§. DCLXXIX. Nominis patroni, et iuris patronatus origo. —
§. DCLXXX. Definitio iuris patronatus. 506.
§. DCLXXXI. Patronorum nomen olim fuit incognitum. —
§. DCLXXXII. Fundatoribus tamen eccleſiarum iura quaedam honorifica conceſſa ſunt. 507.
§. DCLXXXIII. Seculo V. et VI. epiſcopo aedificatori ius praeſentandi indultum. 508.
§. DCLXXXIV. Idque ſec. VII. etiam ad alios fundatores extenſum eſt. —
§. DCLXXXV. Quibus etiam alia iura honorifica exhiberi ſolent. 509.

[redacted]

Conspectus

pag.

§ DCLXXXVI. Vſus iuris patronatus ſec. VIII. in germania iam cognitus fuit. 510.

§. DCLXXXVII. IX. Seculo nomen quoque patronorum inualuit, auctoritas tamen eorum ob multos abuſus admodum infracta eſt. —

§. DCLXXXVIII. Etymologia vocis patroni inueſtigatur. 511.

§. DCLXXXIX. Differunt a patronis eccleſiarum aduocati. 512.

§. DCXC. Quorum varia diuerſis temporibus ratio et conditio fuit. 513.

§. DCXCI. Hisque iura certa conſtituta ſunt. 514.

§. DCXCII. Ius patronatus I.) eſt eccleſiaſticum et laicum. —

§. DCXCIII. Mixtum ius patronatus definitur. 515.

§. DCXCIV. II.) Reale et perſonale. 516.

§. DCXCV. Ius patronatus ex ſua natura mere temporale. 517.

§. DCXCVI. Iure vero decretalium iuri ſpirituali adnexum eſt. 518.

§. DCXCVII. Omnes, et ſoli chriſtiani iuris patronatus capaces cenſentur. —

§. DCXCVIII. Adquiritur ius patronatus a.) modo originario, et quidem 1.) ordinarie fundatione, dotatione, exſtructione. 519.

§. DCXCIX. Fundatio, dotatio, exſtructio definiuntur. 520.

§. DCC. Plures ſimul ad haec tria concurrere poſſunt. —

§. DCCI. Collapſam eccleſiam reaedificans ius patronatus nanciſcitur. 521.

§. DCCII. 2.) Extraordinarie praeſcriptione. 522.

§. DCCIII. 3.) Priuilegio. 523.

§. DCCIV. β.) Modis deriuatis I.) ſucceſſione. 523.

§. DCCV. Si plures exiſtant patrono haeredes, ſinguli in ſolidum ſuccedunt. 524.

§. DCCVI. Ad euitandas vero lites praeſentatio per turnum permittitur. 525.

§. DCCVII. Plures vnius patroni haeredes vocem duntaxat vnius habent in praeſentatione. —

§. DCCVIII. 2.) Donatione. 526.

§. DCCIX. 3.) Permutatione. 527.

§. DCCX.

[redacted]

Partis Tertiae.

pag.

§. DCCX, 4.) Venditione. 528.

§. DCCXI. Patronorum iura ſunt I.) honor eis competens. 529.

§. DCCXII. In ſpecie honor proceſſionis. —

§. DCCXIII. II.) Perceptio alimentorum. 530.

§. DCCXIV. III) Praeſentatio, cuius fundamentum oſtenditur. 531.

§. DCCXV. Tempeſtiue praeſentatus ab epiſcopo inſtituendus. 532.

§. DCCXVI. Praeſentatio facienda intra certum tempus. —

§. DCCXVII. Et quidem ſi ius patronatus eccleſiaſticum fuerit intra 6. ſi laicum, intra 4. menſes. 533.

§. DCCXVIII. Tempus iſtud currit etiam pendente lite. 534.

§. DCCXIX. Patronus laicus variare poteſt, non vero eccleſiaſticus. 535.

§. DCCXX. Hic indignum praeſentans amittit ius patronatus, ille non item. —

§. DCCXXI. Praeſentatio perfecta cenſetur, quum ad ordinarium delata eſt. 536.

§. DCCXXII. Hinc ante praeſentationem perfectam nullum ius praeſentato adquiritur. —

§. DCCXXIII. Hinc literis praeſentationis ordinario nondum exhibitis etiam patrono eccleſiaſtico variare licet. 537.

§. DCCXXIV. Si plures ſunt patroni, a pluribus praeſentatus ceteris praeferendus eſt. 538.

§. DCCXXV. IV.) Defenſio eccleſiae. —

§. DCCXXVI. Ius patronatus amittitur vel ſine 539.

§. DCCXXVII. Vel cum delicto. —

§. DCCXXVIII. In cauſis iuris patronatus ſpectato iure decretalium iudex competens eſt eccleſiaſticus. 540.

§. DCCXXIX. Modus probandi ius patronatus priuatis a tridentino praeſcriptus. 541.

§. DCCXXX. Qui triplex eſt. —

§. DCCXXXI. Modi, quibus alia iura in litem deducta probari ſolent, etiam ad probandum ius patronatus pertinent. 542

)()(2 §. DCCXXXII.

Conspectus

pag.

§. DCCXXXII. Modus id probandi communitatibus a concilio trid. praeſcriptus. 543.

§. DCCXXXIII. Reliqui patronatus exceptis nonnullis a trid. abrogantur. —

§. DCCXXXIV. Vterque modus probandi limitatur. 544.

TITVLVS XXXIX.

DE CENSIBVS, EXACTIONIBVS, ET PROCVRATIONIBVS.

§. DCCXXXV. Definitio et diuiſio cenſus. —

§. DCCXXXVI. Variis ex cauſis perſolui debet. 545.

§. DCCXXXVII. Antiquus ſine conſenſu papae vel epiſcopi nequit; nouus a ſolo papa imponitur. 546.

§. DCCXXXVIII. Cathedraticum definitur. —

§. DCCXXXIX. Ad hoc ſoluendum omnes eccleſiae tenentur, non tamen monaſteria. 547.

§. DCCXL. Definitur exactio, eiusque ſpecies, ſubſidium charitatiuum. 548.

§. DCCXLI. Exigi hoc non poteſt ſine iuſta cauſa et conſenſu capituli. 549.

§. DCCXLII. Regulariter exigere iſthoc poteſt ab omnibus clericis, et eccleſiis ſuae dioeceſeos. —

§. DCCXLIII. Viſitationis epiſcopalis ſumma eſt neceſſitas. 550.

§. DCCXLIV. Scopus eius eſt religionis cultusque diuini promotio. 551.

§. DCCXLV. Viſitationi nec conſuetudo nec exemtio opponi poteſt. —

§. DCCXLVI. Procurationes definiuntur. 552.

§. DCCXLVII. Epiſcopo viſitanti vltra victualia ſibi ſuiſque neceſſaria accipere quidquam prohibitum eſt. —

§. DCCXLVIII. Duas parochias eodem die viſitans vna procuratione contentus eſſe debet. 553.

§. DCCXLIX.

[redacted]

Partis Tertiae.

pag.
§. DCCXLIX. Permiſſum eſt eccleſiis viſitatis victualium loco ſoluere antea conſuetam taxam pecuniariam. 554.
§. DCCL. Poenae decernuntur in eos, qui amplius quid ab eccleſiis viſitatis accipere praeſumunt. —

TITVLVS XL.

DE CONSECRATIONE ECCLESIARVM, VEL ALTARIVM.

TITVLVS XLI.

DE ECCLESIIS AEDIFICANDIS VEL REPARANDIS.

§. DCCLI. Ad res ſacras eccleſiae et altaria pertinent. 555.
§. DCCLII. Eccleſiarum definitio et diuiſio. —
§. DCCLIII. Origo earum inter chriſtianos. 556.
§. DCCLIV. Idem. 557.
§. DCCLV. Nouas eccleſias absque conſenſu epiſcopi aedificare prohibetur. 558.
§. DCCLVI. Hic tamen facultatem concedere non debet, niſi iuſta ex cauſa. —
§. DCCLVII. Maxime ſi noua ſit eccleſia parochialis erigenda. 559.
§. DCCLVIII. Et audito rectore eccleſiae aliisque, quorum intereſt. 560.
§. DCCLIX. Eccleſiarum conſecratio antiquiſſima eſt. —
§. DCCLX. Ea facienda ab epiſcopo loci, in quo eſt eccleſia. 561.
§. DCCLXI. Ab hac tamen differt benedictio. 562.
§. DCCLXII. Eccleſia rite conſecrata reconſecrari non debet, etſi crimine profanata. —
§. DCCLXIII. Et vt per partes ſucceſſiue etiam tota reparata ſit. 563.

CONSPECTVS

pag.
§. DCCLXIV. Conſecratio tamen reiteranda eſt, orto de conſecratione dubio. 563.
§. DCCLXV. Facta eccleſiae execratione. 564.
§. DCCLXVI. Ab execratione deſumi debet pollutio eccleſiae. —
§. DCCLXVII. Quae variis modis fieri poteſt. 565.
§. DCCLXVIII. Polluta eccleſia reconcilianda eſt. —
§. DCCLXIX. Reparatio eccleſiarum facienda ex bonis fabricae deputatis. 566.
§. DCCLXX. His deficientibus rector eccleſiae, aliique beneficiati, nec non patroni ad eam contribuere debent. 567.
§. DCCLXXI. Nec his ſufficientibus recurrendum ad decimatores, atque ad ipſos demum parochianos. —
§. DCCLXXII. Altarium definitio et diuiſio. 568.

TITVLVS XLI.

DE CELEBRATIONE MISSARVM, ET SACRAMENTO EVCHARISTIAE, ET DIVINIS OFFICIIS.

§. DCCLXXIII. Officium ſacrum vel late accipitur. 569.
§. DCCLXXIV. Vel ſtricte. —
§. DCCLXXV. Eſt vel publicum vel priuatum. 570.
§. DCCLXXVI. Munus recitandi officium praecipue ad clericos pertinet. —
§. DCCLXXVII. Quorum aliqui ad publicam recitationem. 571.
§. DCCLXXVIII. Alii tantum ad priuatam obligantur. —
§. DCCLXXIX. Negligentes puniuntur. 572.
§. DCCLXXX. Tenenda in recitando officii forma et ritus noui breuiarii romani. —
§. DCCLXXXI. Miſſa definitur. 573.
§. DCCLXXXII. Partes eius eſſentiales ſunt vel accidentales. —
§. DCCLXXXIII. Miſſa in publicam et priuatam diuiditur. 574.

§. DCCLXXXIV.

Partis Tertiae.

pag.
§. DCCLXXXIV. Diebus Dominicis, et feſtis ſolennioribus miſſas celebrare tenentur quicunque ſacerdotes. 575.
§. DCCLXXXV. Non tamen omnes promiſcue admittendi ſunt. 576.
§. DCCLXXXVI. Hodie ſacerdotibus extra natalem Domini ſemel tantum, eodem die ſacrificare permiſſum eſt. 577.
§. DCCLXXXVII. Miſſam regulariter nec ante aurorae initium, nec poſt meridiem peragere licet. —
§. DCCLXXXVIII. Sacerdoti ſacrificanti ſtipendium conferri conſueuit. 578.
§. DCCLXXXIX. Cuius intuitu plura inculcanda populo. —
§. DCCXC. Plura ipſis etiam ſacerdotibus obſeruanda ſunt. 579.

TITVLVS XLII.

DE SACRAMENTO EVCHARISTIAE.

§. DCCXCI. Nomen euchariſtiae declaratur. 580.
§. DCCXCII. Exponitur, quid de hoc Sacramento moderna fidei profeſſio habeat. 581.
§. DCCXCIII. Panis triticeus et vinum de vite materia huius ſacramenti ſunt. —
§. DCCXCIV. Formam eius conſtituunt verba ſaluatoris, quibus hoc confecit ſacramentum. 582.
§. DCCXCV. Miniſter quoad confectionem ſolus eſt ſacerdos. —
§. DCCXCVI. Euchariſtia hodie iis tantum praebenda eſt, qui vſu rationis gaudent, et rite ſunt inſtructi. 583.
§. DCCXCVII. Publici peccatores a ſacra communione repellendi ſunt. 584.
§. DCCXCVIII. In primaeua eccleſia fideles ſingulis diebus communicabant. —
§. DCCXCIX. Hodie paſcalis ſaltem communio praecepta eſt. 585.
§. DCCC. Eaque facienda in propria parochia. 586.

CONSPECTVS

pag.
§. DCCCI. Negligentes arcentur ab ingreſſu eccleſiae, et mortuis denegatur ſepultura eccleſiaſtica. 586.
§. DCCCII. Infirmorum duplex eſt communio. 587.
§. DCCCIII Vtraque a ſolo parocho diſtribuenda. —
§. DCCCIV. Seruato ritu ab eccleſia praeſcripto. 588.
§. DCCCV. Circumgeſtatio euchariſtiae olim incognita, ſerius in eccleſia inualuit. —
§. DCCCVI. Nullibi tamen praecepta eſt. 589.
§. DCCCVII. Vſus etiam expoſitionis huius ſacramenti recentior. 590.
§. DCCCVIII. Fidei tamen verae conformis eſt. —

TITVLVS XLII.

DE BAPTISMO ET EIVS EFFECTV.

TITVLVS XLIII.

DE PRESBYTERIS NON BAPTIZATIS.

§. DCCCIX. Baptiſmus deſcribitur. 591.
§. DCCCX. Solus baptiſmus fluminis verus eſt baptiſmus. 592.
§. DCCCXI. Forma eius exponitur. —
§. DCCCXII. Materia conſiſtit in aqua naturali. 593.
§. DCCCXIII. Miniſter ordinarius praeter epiſcopum eſt parochus, vel cum licentia eius alius ſacerdos. —
§. DCCCXIV. Baptiſmus conferendus in propria parochia. 594.
§. DCCCXV. Quocunque tempore. 595.
§. DCCCXVI. Etiam infantes baptiſmo offerri poſſunt. —
§. DCCCXVII. Cerimoniae hodie continua ſerie adplicantur. 596.
§. DCCCXVIII. Baptiſmo etiam patrinos adeſſe oportet. —

§. DCCCXIX.

[redacted]

Partis Tertiae.

pag.

§. DCCCXIX. Non tamen omnes ad hoc officium admittendi ſunt. 597.

§. DCCCXX. Effectus baptiſmi ſunt vel interni, et ſpirituales, vel externi et ciuiles. 598.

§. DCCCXXI. Vlteriores effectus eius recenſentur. —

§. DCCCXXII. Sacramentum hoc ante alia ſuſcipiendum. 599.

TITVLVS XLIV.

DE CVSTODIA EVCHARISTIAE, CHRISMATIS, ET ALIORVM SACRAMENTORVM.

§. DCCCXXIII. Euchariſtia ſemper parata adſeruari debet. —

§. DCCCXXIV. Et regulariter quidem in eccleſiis tantum parochialibus. 600.

TITVLVS XLV.

DE RELIQVIIS ET VENERATIONE SANCTORVM.

§. DCCCXXV. Sancti et beati differunt. 601.

§. DCCCXXVI. Cultus conueniens ſanctis eſt vel publicus vel priuatus. —

§. DCCCXXVII. Primo ſolis martyribus, poſtea etiam confeſſoribus et virginibus honor ſacrae apotheoſeos deferri coepit. 602.

§. DCCCXXVIII. Proceſſus ſanctificationis olim ſimpliciſſimus erat. —

§. DCCCXXIX. Solennis apotheoſis ſeculo primo XII. in eccleſiam inducta eſt. 603.

§. DCCCXXX. Pontifex imo et tota eccleſia falli poteſt, non ſolum in beatificatione. 604.

§. DCCCXXXI. Sed ipſa etiam canonizatione. 605.

§. DCCCXXXII. Cultus tamen beatis vel ſanctis impenſus, Deo gratus eſt. 608.

§. DCCCXXXIII. Definiuntur reliquiae. 609.

)()(5 §. DCCCXXXIV.

pag.
§. DCCCXXXIV. Sine illis non conſecrantur altaria. 609.
§. DCCCXXXV. De veneratione ſanctorum et reliquiarum varia quaedam monentur. 610.
§. DCCCXXXVI. Monitum ad proteſtantes de vſu cultuque imaginum. —

TITVLVS XLVI.

DE OBSERVATIONE IEIVNIORVM.

§. DCCCXXXVII. Ieiunium differt ab abſtinentia. 611.
§. DCCCXXXVIII. Sola initio conſuetudine inualuit. 612.
§. DCCCXXXIX. Quo tempore ſingulae eius ſpecies inductae ſint, incertum eſt. —
§. DCCCXL. Ieiunia quoque hebdomadalia conſuetudini debent originem. 613.
§. DCCCXLI. Tempora ieiunii in prouinciis auguſtae domui ſubiectis exponuntur. 614.
§. DCCCXLII. Abſtinentia diebus dominicis per quadrageſimam, ac feria ſexta, et ſabatho per totum annum praecepta eſt. —
§. DCCCXLIII. Ad ieiunium non omnes, qui ad abſtinentiam, obligantur. —

TITVLVS XLVII.

DE PVRIFICATIONE POST PARTVM.

§. DCCCXLIV. Praeceptum purificandi foeminas hodie nequaquam ſtringit. 615.

TITVLVS XLVIII.

DE IMMVNITATE ECCLESIARVM, COEMETERII, ET RERVM AD EAS PERTINENTIVM.

§. DCCCXLV. Eccleſia Chriſtiana qua talis a ciuitate independens eſt. 617.

§. DCCCXLVI.

[redacted]

Partis Tertiae.

pag.
§. DCCCXLVI. Immunitas eccleſiaſtica in perſonalem, realem, et localem diſpeſcitur. 618.
§. DCCCXLVII. Aſylum eccleſiaſticum definitur. —

HISTORIA IMMVNITATIS LOCALIS.

§. DCCCXLVIII. Ius determinandi aſyla maieſtaticum eſt. 619.
§. DCCCXLIX. Occaſionem immunitati eccleſiarum praebuere epiſcoporum interceſſiones. —
§. DCCCL. Ea tamen ex indultis principum fluxiſſe agnoſcitur. 620.
§. DCCCLI. Quod oſtenditur e legibus ciuilibus. 621.
§. DCCCLII. Quarum vim agnouere Patres. —
§. DCCCLIII. Et confirmarunt ſucceſſores imperatores. 622.
§. DCCCLIV. Nec eccleſia per nouem ſecula ius ſibi eſſe diſponendi de hoc templorum aſylo iudicauit. 623.
§. DCCCLV. Canones decreti gratianei, qui obiiciuntur, falſi ſunt. —
§. DCCCLVI. Nec in contrarium quidquam probant cap. 11. 19. cauſ. XVII. q. 4. 624.
§. DCCCLVII. Reſpondetur ad c. 21. 35. 36. ibid. 625.
§. DCCCLVIII. Errant canoniſtae, qui in adſerendo pontifici iure diſponendi de aſylo eccleſiaſtico ad hos canones confugiunt. —
§. DCCCLIX. Quae tamen doctrina poſtea ipſis pontificibus probata eſt. 626.
§. DCCCLX. Praeſertim Gregorio XIV. Benedicto XIII. Clementi. XII. et Benedicto XIV. —

EX QVONAM IVRE DESCENDAT IMMVNITAS LOCALIS.

§. DCCCLXI. Immunitas localis nec ex iure naturae. 627.
§. DCCCLXII. Nec ex diuino poſitiuo. 628.
§. DCCCLXIII. Sed ex humano ciuili et imperatorum pio indultu deriuanda eſt. —
§. DCCCLXIV. Principum itaque eſt de aſylis ſtatuere. 629.

§. DCCCLXV.

Conspectvs

pag.
§. DCCCLXV. Non autem pontificum, niſi habito placeto regio. 630.
§. DCCCLXVI. Priuilegium aſyli ſtrictae eſt interpretationis. 631.

DE LOCIS SACRA ASYLIA GAVDENTIBVS.

§. DCCCLXVII. Gaudent hoc priuilegio 1.) eccleſiae. 632.
§. DCCCLXVIII. 2.) loca alia religioſa. 633.

DE PERSONIS, ET DELICTIS, QVAE ASYLO GAVDENT.

§. DCCCLXIX. Confugientes ad eccleſiam chriſtiani aſylo fruuntur, quorumcunque criminum rei ſunt. —
§. DCCCLXX. Quaedam tamen delicta excipiuntur. 634.
§. DCCCLXXI. Recenſentur vlteriora excepta crimina. —
§. DCCCLXXII. Horum numerus per recentiores pontificum conſtitutiones auctus, magisque declaratus fuit. 635.
§. DCCCLXXIII. Harum conſtitutionum tenor exponitur. 636.
§. DCCCLXXIV. Continuatur idem argumentum. —

DE MODO RECIPIENDI, PROTEGENDI, ET EXTRAHENDI REOS.

§. DCCCLXXV. Confugientes ad aſylum recipiendi ſunt. 637.
§. DCCCLXXVI. Nec recepti per magiſtratus extrahi queunt. 638.
§. DCCCLXXVII. Niſi quis reus ſit excepti criminis. —
§. DCCCLXXVIII. Accepta tamen de vita ac membris ſecuritate confugam extradi neceſſe eſt. 639.

§. DCCCLXXIX.

Partis Tertiae.

pag.

§. DCCCLXXIX. Imo etiam contra latitantem in aſylo proceſſus inſtitui, mortisque ſententia proferri valet. 640.

DE POENIS VIOLANTIVM IMMVNITATEM.

§. DCCCLXXX. Violatores immunitatis duplici poena plectuntur —

DE IMMVNITATE REALI IN SPECIE.

§. DCCCLXXXI. Immunitas realis definitur. 641.

EX HISTORIA OSTENDITVR EAM EX PRINCIPVM PRIVILEGIIS DESCENDERE.

§. DCCCLXXXII. Ea prius a Conſtantino M. conceſſa. 642.

§. DCCCLXXXIII. Poſtea ab eius filio Conſtantino confirmata auctaque fuit. 643.

§. DCCCLXXXIV Quae tamen ad pauperes praecipue clericos pertinuit. 644.

§. DCCCLXXXV. Abrogata a Iuliano apoſtata priuilegia immunitatis renouata ſunt a Valentiano et Valente, Gratiano, Valentino II., et Theodoſio M. —

§. DCCCLXXXVI. Nec minus eccleſiae Arcadius et Honorius fauerunt. 645.

§. DCCCLXXXVII. Priuilegia haec a ſubſequentibus imperatoribus partim reſtricta aut reuocata ſunt. 646.

§. DCCCLXXXVIII. Certi quoque a Iuſtiniano Imp. immunitati huic limites poſiti ſunt. —

QVO IVRE IMMVNITAS REALIS NITATVR.

§. DCCCLXXXIX. Immunitas realis nec ex iure nat. nec diuino poſitiuo, nec humano eccleſiaſtico deriuanda eſt. 647.

§. DCCCXC.

Conſpectvs Partis Tertiae.

pag.
§. DCCCXC. Demonſtratur I.) ex principiis iuris publici vniuerſalis. 648.
§. DCCCXCI. II.) Ex alio medio —
§. DCCCXCII. Confirmatur a Chriſti doctrina. 649.
§. DCCCXCIII. A Theologis et canoniſtis adhuc perperam explicata. 650.
§. DCCCXCIV. Igitur ex ſola principum ſecularium liberalitate proficiſci potuit. 651.
§. DCCCXCV. Qui eam ad bonum reipublicae poſſunt reſtringere, aut plane abrogare. 652.

OBIECTIONES EX S. SCRIPTVRA, ET TRADITIONE EARVMQVE SOLVTIO.

§. DCCCXCVI. Obiectio I.) ex ſcriptura veteris teſtamenti. 653.
§. DCCCXCVII. Obiectio II. 654.
§. DCCCXCVIII. Obiectio III. ex nouo teſtamento. 655.
§. DCCCXCIX. Nec ex traditione immunitas haec probari poteſt. 657.
§. DCCCC. Obiectiones ex conciliis vniuerſalibus vlteriores. —
§. DCCCCI. Nouae ex conciliis vniuerſalibus obiectiones. 658.
§. DCCCCII. Obiectiones ex corpore iuris canonici, et conſtitutionibus pontificum. 659.
§. DCCCCIII. Themata decretaliſtarum ex principiis a nobis praeſtructis reſoluenda ſunt. 660.

[redacted]

LIBER III.

DECRETALIVM

GREGORII IX.

[redacted]

[redacted]

TITVLVS I.

DE VITA ET HONESTATE CLERICORVM.

TITVLVS II.

DE COHABITATIONE CLERICORVM ET MVLIERVM,

TITVLVS L.

NE CLERICI VEL MONACHI SECVLARIBVS NEGOTIIS SE IMMISCEANT.

LIB. V. TITVLVS XXIV.

DE CLERICO VENATORE.

§. I.

Introitus.

Quum omnes hi tituli arctiſſimo nexu inter ſe cohaereant, operae pretium me facturum eſſe arbitror, ſi eos in vnum quaſi faſcem compingam, conuenientique ordine breuitatis ſeruandae, & inutilium, taedioſa-

rumque repetitionum vitandarum cauſa connecterem, & vno obtutu exhiberem.

§. II.

Clerici ad honeſte viuendum obligantur.

Vniuerſe quidem omnes, qui Chriſti doctrinae adhaerent, ad ſectandum vitae honeſtae ſtudium religione obligantur, clericos vero, quanto magis perfectionem profitentur, tanto in id contentius incumbere decet.

Quinam ſub nomine clericorum veniant vid. *P.I. ſect.* 1. *C. IX.* §. 144. ſumma quoque cum ratione praeter ipſos epiſcopos huc canonici eccleſiarum cathedralium, & collegiatarum referendi ſunt; nam et hi *cap* 18. *de V. S.* expreſſe clericorum claſſi inſeruntur. Ex identitate rationis huc quoque pertinent cuiuscunque ordinis, & dignitatis religioſi, qui religionem ab eccleſia adprobatam profitentur.

§. III.

Honeſtatis vitae definitio.

Sicut in officiis negligendis turpitudo, ita in iis excolendis ſita vitae eſt honeſtas omnis. Ad haec autem quum legibus adigamur, non inepte eam definies, *habitum quemdam practicum, iuſtas non modo leges animis cuſtodiendi, verum etiam laudabiliter viuendo exterius illas exequendi.*

§. IV.

[redacted]

§. IV.

Eſt vel interna vel externa.

Deſcriptio hæc ſponte ſua in duas partes abit, prior honeſtatem *internam*, altera *externam* complectitur. Illa agentis *voluntate* conficitur, iſta *decoro*, quod vocamus, *externo*.

Per decorum externum, nolim ego, intelligas fucum, in quo nudo homines peſſime intrinſecus morati omne honeſtatis praeſidium conſtituunt, ad fallaciam facti, formatique non ad emolumentum reipublicae.

§. V.

Vtramque honeſtatem clericis imperat 1mo. recta ratio.

Interius, exteriusque honeſtos eſſe clericos, & ſingularem quidem in modum, vel ſola recta *ratio* iubet. Quum enim praefecti ſint, vt laicorum mores ad virtutem, & Chriſti doctrinam erudiant praeceptores, magiſtri & praeſides: ea profecto ipſos morum, vitaeque integritate oportet viuere, vt ne, quae verbo nos docuerint, opere, & exemplo negare videantur.

§. VI.

2do. S. Scriptura.

Huic praeterea adſertioni pondus primarium addit S. Scriptura. Chriſtus enim apoſtolis, ſucceſſoribus illorum, ac imitatoribus,

clerum puta vniuerſum, *vos eſtis lux mundi*, dixit: *ſic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent patrem veſtrum, qui in coelis eſt.* MATTH. V. 14. Cui congruit illud *Apoſt. ad Tit.* II. 7. et 8. *In omnibus praebe te ipſum exemplum bonorum operum — verbum ſanum, et irreprehenſibile, vt is, qui ex aduerſo eſt, vereatur nihil habens malum dicere de nobis.*

Ne ſolis epiſcopis haec dicta fuiſſe exiſtimes, S. Hieronymum apud GRAT. *can.* 21. VIII. 1. audire iuuat: *Qualis aedificatio erit diſcipuli, ſi ſe intelligat magiſtro eſſe maiorem? Vnde non ſolum epiſcopi, presbyteri, et diaconi magnopere prouidere, ut cunctum populum, cui praeſident, conuerſatione, ſermone et ſcientia praecedant, verum etiam vt inferior gradus, exorciſtae, lectores, aeditui, accolythi, et omnes omnino, qui domui Dei ſeruiunt, quia vehementer eccleſiam Chriſti deſtruit, meliores laicos eſſe, quam clericos.*

§. VII.

3tio *Eccleſia.*

Pondus alterum adiicit CONCIL. TRID. *ſeſſ. XXII. cap.* 1. *de reform. Nihil eſt,* inquit, *quod alios magis ad pietatem, et Dei cultum adſiduo inſtruat, quam eorum vita, et exemplum, qui ſe diuino miniſterio dedicarunt: cum enim a rebus ſeculi in altiorem ſublati locum conſpiciantur, in eos tanquam in ſpeculum, reliqui oculos coniiciunt, ex iisque ſumunt, quod imitentur. Quapropter ſic decet omnino clericos in ſortem domini vocatos vitam, moresque ſuos omnes componere, vt habitu, geſtu, ſermone, aliisque omnibus rebus nil niſi graue, moderatum,*

[redacted]

tum, ac religione plenum praeſeferant; leuia etiam delicta, quae in ipſis maxima eſſent, effugiant, vt eorum actiones cunctis adferant venerationem.

Add. *proem. ſeſſ. XIV. de reform.*

§. VIII.

Tranſitus ad ſingularem honeſtatem.

Poſt Chriſti, poſt concilii, poſt rationis teſtimonia indagandum eſt vlterius, in quonam ſingularis illa vitae honeſtas, et moderatio conſiſtat, quantumque eam eccleſiae, quae hodie praeſertim viget, diſciplina vrgeat.

Vid. Dan. Hanib. Fabrot. *tract. de vita, et honeſt. cleric.* Espencaevs *in comment. ad ap. Paul. ad Tit.*

§. IX.

Interna conſiſtit in voluntate.

Supra (§. 3.) diximus, honeſtatis internae radices in voluntate figi. Miſſis demonſtrationum ambagibus, id, quod certum eſt omnibus, nunc deducimus: ab illa videlicet requiri vitiorum fugam, et ardentiſſimum vniuerſae virtutis ſtudium.

Eſt ſane hic emendatae mentis ſtatus in clerico fundamentum, & baſis omnis, quae ab ipſo exigitur, honeſtatis: quem, ſi tollas, haec ſine dubio breui corruet Grat. *diſt.* XXXVII. *ſeqq.* laborem de hac commentandi aſcetis remittere fas eſt.

§. X.

Externa vero in decoro.

Ad honeſtatem externam, quod adtinet, illa in ordine quodam, et exteriore decentia conſtituitur, ſunt autem, ut haec ſarta, tectaque ſeruetur, alia ad Cvltvm Corporis, alia ad Vitae Aedificationem neceſſaria; et opera e contrario quaedam indecentia omittenda.

§. XI.

I.) *Ad cultum corporis requiritur decentia veſtitus clericorum.*

Huc pertinet I. Cvltvs corporis, igitur 1. in *veſtitu et ornatu* clericorum ex mente Conc. Trid. *ſeſſ.* 14. *cap.* 6. *de reform.* decentia quaedam requiritur, vt *per decentiam habitus externi morum honeſtatem intrinſecam oſtendant.*

§. XII.

Qui pro circumſtantiis variat.

Omnes ergo clerici tenentur, Veſtem ordini ſuo conuenientem deferre. Quaenam autem dicenda ſit veſtis ordini clericali conueniens difficile eſt generaliter determinare, cum pro temporum, ac locorum varietate eam variam eſſe, et mutari poſſe indubitatum ſit. Adſumenda ergo eſt veſtis, quae pro loci, ac tempo-

[redacted]

poris conditione honeſtati clericali ſit conueniens.

Clerici per priora V. ſecula tum in oriente, tum in occidente, quantum ad veſtitum communem, nec veſtis forma, nec colore a laicis diſcernebantur, ſed ſola veſtis modeſtia. Coelestin. *P. in epiſt. ad epiſcopos vienneŋſ. et narbon. prouinc. anno* 428. data. S. Hieron. *epiſt.* ad Nepotian. Concil. Carthag. IV. *can*, 45. ſeculo VI. Clericorum habitus quantum ad formam a laicorum veſte ſecerni coepit in *occidente*, qui mos ſeculo VII. & VIII. roboratus eſt : ſecus accidit in oriente. Iisdem ſeculis epiſcopi, et presbyteri etiam extra ſacra domi, in vrbe, & ruri alba ſuper veſte talari vtebantur. A ſeculo X. vsque ad XIII. incluſiue veſtes talares, et clauſae clericis vindicatae ſunt a conciliis : at de colore nigro earundem nihil adhuc determinatum. A ſeculo XIV. vsque ad noſtra tempora veſtes talares fuere retentae; color tamen niger non niſi poſt trid. ſtabilitus fuit vid. Thomasin. *p.* 1. *lib. II. cap.* 46. 48. 50. *reliq.*

§. XIII.

2.) *Tonſurae.*

Idem tenendum eſt 2.) de *tonſura*, quae olim erat per totum caput, ſola corona in medio relicta, de qua S. Hieron. in can. 7. XII. 1. Hodie autem vſu introductum eſt, vt clerici modicum tantum circulum abraſum in ſuperiore parte capitis deferant.

Vid. Thomasin. *p. I. lib. II. cap.* 37. *ſeqq.*

§. XIV.

3.) *Neglectus barbae, et comarum.*

Vt animi modeſtiam, et vanitatis contemtum publice praeſeferant, cautum eſt 3) clericis, ne laicorum more ſiue *comas*, ſiue *barbam* nutriant, nihilque omnino admittant, quod faſtum, et vanitatem redoleat.

Vid. CAVSS. *XXI. q. 4. per tot. cap. 2. 4. 7. et 15. de vit. et honeſt. cler. clem. 2. eod.* Sic ergo prohibentur clerici vti *pannis rubris*, et *viridibus*, *manicis*, ſeu chyrotecis, *ſutularibus conſutitiis* (qua adpellatione genus calceamentorum venit) *fraenis*, *ſellis*, *pectoralibus*, *calcaribus deauratis*, *aut aliam ſuperfluitatem gerentibus*, *cappis manicatis* (qua adpellatione venit veſtis genus manicis laxioribus inſtructae) *fibulis et corrigiis* auri, et argenti ornatum habentibus, *annulis*, niſi quibus competunt ex officio dignitatis.

§. XV.

4). *Abſtinentia ab armis.*

Id vero 4.) quam ſeueriſſime interdictum eſt, et a manſuetudine etiam alieniſſimum, vt *arma* gerant clerici.

Arma portare adeo alienum ab honeſtate clericorum putabatur, vt olim excommunicati fuerint. *cap. 2. h. t.* ſed hoc de armis proditoriis, atque ſi clerici vellent paſſim ſicut laici, & milites armati incedere, intelligendum eſt. Quia enim clerici & homines, & ciues ſunt, dubium non eſt, quin ad ſui, aliorum, et patriae defenſionem armis vti poſſint.

§. XVI.

§. XVI.

In quorum violatores conciliumtr iden inum varias poenas ſtatuit.

Porro quo ſanctius haec obſeruentur, variae ſtatutae ſunt poenae in violatores horum canonum. De iis enim, qui habitum et tonſuram in publico deferre negligunt, SYNOD. TRID. *ſeſſ. XIV. cap. 6. de reform.* loquens de clericis in maioribus conſtitutis aut aliis beneficium habentibus decernit, *quod ſi, poſtquam ab epiſcopo ſuo moniti fuerint, honeſtum habitum clericalem non detulerint per ſuſpenſionem ab ordinibus, ac officio, et beneficio ac fructibus, reditibus, et prouentibus ipſorum beneficiorum, nec non, ſi ſemel correpti denuo in hoc deliquerint, etiam per priuationem officiorum, et beneficiorum coerceri poſſint ac debeant.*

Clerici in minoribus conſtituti ſi beneficium eccleſ. non habeant, ad deferendum habitum, & tonſuram quidem non tenentur, ſed *priuilegio fori* non gaudebunt. TRID. SESS. *XXIII. cap. 6. de reform.* Diſputari ſolet, an etiam *priuilegium canonis* amittant? Negatiua praeplacet, quia concilium tridentinum eos priuilegio fori tantum priuat.

§. XVII.

Addita limitatione.

At tamen, vt clericus priuilegiis hiſce dicatur priuatus, aliisque canonicis poenis multetur, non ſufficit, quod ex leuitate faſtum, aut pompam ſecularem non nihil adfectet, aut vna, alteraue vice veſtes clericales etiam ſine iuſta

cau-

cauſa dimiſerit, ſed requiritur, vt ita continuet, ac paſſim veſtibus laicalibus vtatur, vt *veſtes clericales abieciſſe*, et vt loquitur TRID. *ſeſſ. XIV. cap. 6. parui pendiſſe* dici queat.

§. XVIII.

II.) *Ad vitae aedificationem neceſſaria ſunt varia.*

Nouit eccleſia, habitu non fieri monachum, nec vitae ſanctimoniam cum veſtibus indui. Ad honeſtatem clericalem quam maxime ſpectat II.) VITAE AEDIFICATIO, ſeu MORVM INNOCENTIA, quam 1.) *incontinentia, et familiarior* cum mulieribus conuerſatio. 2.) *ebrietas*, et 3.) *ſcurrilitas* deſtruunt, quae vitia ſicut in omni homine chriſtiano, ita ſingulari ratione in clerico minime toleranda ſunt.

§. XIX.

1) *Continentia, quam concilium tridentinum praecipit.*

Quam turpe, ac clericorum nomine, qui ſe diuino cultui addixerunt, ſit indignum, in impudicitiae ſordibus, immundoque concubinatu verſari, ſatis res ipſa communi omnium fidelium offenſione, ſummoque clericalis militiae dedecore teſtatur trid. ſeſſ. XXV. cap 14. de reform. *Prohibet ergo ſancta ſynodus quibuscunque clericis, ne concubinas, aut alias mulieres, de quibus poſſit haberi ſuſpicio, in domo vel extra detinere, aut cum iis vllam conſuetudinem habere audeant: alioquin poenis a SS.* *ca-*

[redacted] [redacted]

canonibus, vel ſtatutis eccleſiarum impoſitis puniantur.

Vid. omnino *cap.* 1. *et* 9. *de cohab. cleric. et mulier.* Grat. *diſt. LXXXI. auth. epiſcopo cod. de epiſ. et cleric.* Id vero ſuſtinendum non eſt, quod habet Pichler. *cand. abbreu. ad h. t. n.* 2. *nec pro ſuſpectis per ſe habentur dictarum mulierum famulae — nec vi conſuetudinis coquae, vel ancillae etiam iuniores ad rem oeconomicam curandam neceſſariae.* Hoc verum eſt; foeminae vel ob aetatem, vel primi aut ſecundi gradus conſanguinitatem, et generatim *non ſuſpectae* tolerantur: *can.* 23. *diſt.* LXXXI. et *cap. penult. h. t.* ſi tamen et iſtae vel propter ſe, vel pediſſequae earumdem ſuſpectae forent, protinus remouendae eſſent, quia etiam in his ſcelus contigiſſe compertum eſt. Iuxta S. Auguſtinum etiam vitanda eſt cohabitatio cum ſorore, quia vt ait, foeminae, quae cum ſorore mea ſunt, ſorores meae non ſunt. *can.* 25. *d.* LXXXI.

§. XX.

Sub diuerſis poenis.

Quod ſi tales clerici *a ſuperioribus moniti* (vti nobis liceat verbis vlterioribus Synod. trid. loco §. praec. cit.) *ab eiusmodi mulieribus ſe non abſtinuerint* 1.) *tertia parte fructuum, obuentionum, ac prouentuum beneficiorum ſuorum quorumcumque, et penſionum ipſo facto ſint priuati, quae fabricae eccleſiae aut alteri pio loco arbitrio epiſcopi adplicetur. Sin vero* 2.) *in delicto eodem cum eadem, vel alia foemina perſeuerantes ſecundae monitioni adhuc non paruerint, non tantum fructus omnes, ac prouentus ſuorum beneficiorum, et penſiones eo ipſo amittant, qui praedi-*

dictis locis adplicentur, ſed etiam a beneficiorum ipſorum adminiſtratione, quoad ordinarius etiam, vt ſedis Apoſtolicae delegatus arbitrabitur, ſuſpendantur, et ſi ita ſuſpenſi 3.) nihilominus eas non expellant, aut cum iis ita verſentur, tunc beneficiis, portionibus, ac officiis, et penſionibus quibuscunque eccleſiaſticis perpetuo priuentur, atque inhabiles, ac indigni quibuscunque honoribus, dignitatibus, beneficiis, et officiis impoſterum reddantur, donec poſt manifeſtam vitae emendationem ab eorum ſuperioribus cum iis ex cauſa viſum fuerit diſpenſandum. Sed ſi 4) poſtquam eas ſemel dimiſerint intermiſſum conſortium repetere, aut alias huiusmodi ſcandaloſas mulieres ſibi adiungere auſi fuerint, praeter praedictas poenas excommunicationis gladio plectantur.

Facile autem patet, Trid. hic tantum de clericis beneficiatis loqui: beneficium tamen non habentes poena arbitraria carceris, ſuſpenſionis etc. puniri iubet. ibid.

§. XXI.

2) *Verecundia ſermonis.*

Vti eccleſia caſtas eſſe vult ſuorum actiones clericorum; ita quoque linguam deſiderat impollutam, et aures verecundas. *Magis enim his conuenit* (concil. pariſ. VI. can. 30.) *lugere, quam ad ſcurrilitates, et turpiloquia in cachinos ora diſſoluere.*

Can. 6. DIST. XLIV. *can.* 19. DIST. XXXVI. Huc quoque refert. *c.* 15. *h. t. ne clerici nimis, ioculatori-*

[redacted]

ribus, et hiſtrionibus intendant, multo minus (*cap.* 12. *eod.*) *ipſimet ludos theatrales inſtituant, et ſuae inſaniae ludibria edant.*

§. XXII.

3.) *Sobrietas.*

Si tanto ſtudio continentia clericis praecipitur, quid mirum, ſi potus, cibique, qui omnis incontinentiae fomes, et fomenta ſunt, moderatio praeſcribatur? cap. 14. h. t. *vinum ſibi temperent, et ſe vino.*

Cum in popinis, et tabernis ebrietatis, commeſſationumque vitia praecipue ſoleant regnare, eas frequentantes de illis eſſe ſuſpecti, iam pridem harum frequentatio tanquam vitae, et honeſtati clericorum aduerſa clericis per canones ſeuere inhibita fuit. *cap.* 15. *h. t.*

§. XXIII.

III.) Euitanda ſunt opera 1. *in ſe et ex ſuo obiecto.*

Praeterea exigit honeſtas externa. III.) Operum Quorundam Indecentium Omissionem. Quaedam autem 1.) *in ſe, et ex ſuo obiecto* in clericis indecentia ſunt; hinc volunt canones, *ne clerici ludant ad aleas, vel taxillos, vel etiam huiusmodi luſibus interſint. cap.* 15. *cit. ne vſuras exerceant. cap.* 2. *h. t.*

Pauperibus debentur ſuperflua clericorum bona; hinc nec prodige dilapidanda, nec auare coaceruanda ſunt. Nomine alearum non ſolum veniunt ludi fortunae, ſed etiam mixti generis, qui fortunae,

et artis eſſe dici poſſunt: S. ANTONINVS. Part. II. *tit.* I. *c.* 23. ſane craſſa eſt illorum philoſophia, qui nullibi luſum chartarum, ſiue plagellarum clericis interdictum reperiunt. vid. van. ESPEN. *part.* I. *tit.* II. *cap.* 5.

§. XXIV.

2. *Vt clericis indecentia.*

Sunt adhuc alia 2.) quae tanquam indecentia a clericis vt omittantur SS. Canones peroptant. Et quidem *nemo militans Deo implicet ſe negotiis ſecularibus*. II. Tim. 2. quae modo abſtrahunt a rebus diuinis, modo contemtum, ac vilipenſionem ſtatus clericalis, ac religioſi pariunt.

Cap. 1. 2. 3. 4. 5. 8. 9. *ne cler. vel monach.* Sic dedecet clericum peragere officium *procuratoris* excepta defenſione orphanorum, aut viduarum, *adminiſtratoris, iudicis, praefecti principum ſecularium, officium tabellionis*, ſeu *notarii publici*, niſi in cauſa inquiſitionis contra haereticos. Neque ſtatui clericali conuenit *ordinatio aciei, praefectura machinarum bellicarum etc. exercitium artis chirurgicae, praeſertim per inciſionem, aut aduſtionem.* Nullatenus autem ſtatui, ac vocatione clericorum contrarium eſt ſtudium legum ciuilium, modo ea fiat moderatione, vt nec contra Apoſtoli praeceptum II. Tim. 4. Deo militantes negotiis ſecularibus implicentur, neque diſceptationum forenſium peritiam per ſtudium illud adfectent. *l.* 41. *cod. de epiſ. et cler.* dein licet laudabile ſit, ſi clerici aliquo manuum opere vel otium vitare, vel victum inde quaerere ſtudeant, non tamen ea debent eſſe ſordida, e. g. macellarii, cauponis etc. *clem.* 1. *h. t.*

§. XXV.

[redacted]

§. XXV.

Quo pertinet mercatura.

Inter cetera negotia ſecularia maxime dedecet clericum *mercatura*, quae et a rebus diuinis abſtrahit animum multo maxime, auaritiam ſapit, aliisque periculis clericum exponit.

Antiquos in hanc rem canones, & patrum ſententias vid. apud GRAT. *diſt. LXXXVIII. cap. fin. de vit. et honeſt. cler.* TRID. *ſeſſ. XXII. cap.* 1. *de reform.* Eam mercaturam, quae ſolius lucri cauſa fit, hic intelligi, vel me tacente quilibet perſpicit, quam *SS.* canones ita deteſtantur, vt clericos turpis lucri gratia negotiantes *deponi* ab ordine, et gradu clericali *can.* 4. *diſt.* XCI. imo excommunicari iubeant. *cap.* 6. *ne cler. vel monach.* add. *C. fin. de vit. et honeſt. cler.* vbi clericus, qui tertio monitus a negotiationibus ſecularibus non abſtinet, interim quo ad bona priuilegium clericale amittere dicitur.

§. XXVI.

Et venatio.

Ex eadem ratione *epiſcopum, presbyterum, aut diaconum, canes, aut accipitres, aut huiusmodi ad venandum habere non licet, quod ſi quis talium perſonarum in hac voluptate ſaepius detentus fuerit, ſi epiſcopus eſt, tribus menſibus a communione: ſi presbyter duobus, ſi diaconus ab omni officio ſuſpendatur. cap.* 1. *de cleric. venat.*

Aſt tot limitationes, et exceptiones ab interpretibus contra rigorem canonum in hac materia adducuntur, vt clerici venationibus addicti facile mores

ſuos purgare poſſint. Modeſtam enim admittunt probantque venationem; clamoroſam tantum, et nimis frequentem eius vſum reprobant. vid. paſſim *Canoniſtae ad h. t. de cler. venat.*

§. XXVII.

De quibus omnibus concilium tridentinum latius loquitur.

Addimus effatum concilii TRID. *ſeſſ. XXII. c. 1. de reform. Cum igitur quo maiore in eccleſia Dei, et vtilitate, et ornamento haec ſunt, ita etiam diligentius ſint obſeruanda: ſtatuit S. ſynodus, vt quae alias a ſummis pontificibus, et a ſacris conciliis de clericorum vita, et honeſtate, cultu doctrinaque retinenda, ac ſimul de luxu, commeſſationibus, choreis, aleis, luxibus, ac quibuscunque criminibus, nec non ſecularibus negotiis fugiendis, copioſe ac ſalubriter ſancita fuerunt, eadem impoſterum eisdem poenis, vel maioribus arbitrio ordinarii imponendis obſeruentur.*

TITVLVS III.

DE CLERICIS CONIVGATIS.

§. XXVIII.

Eccleſia clericis commendat coelibatum.

Deſcriptae hactenus clericorum honeſtati quam plurimum addi, ceterasque dotes

[redacted]

tes ordini huic neceſſarias mirifice augeri poſſe, ſi pudendas non modo foeminarum amicitias, ſed iuſta etiam connubia refugiant diuinorum myſteriorum diſpenſatores, *omni aeuo eccleſia* iudicauit.

Et quidem diuinus eccleſ. fundator perfectam caſtitatem poſſibilem eſſe docuit, eamque ſequacibus ſuis conſuluit Matth. *XIX.* 4. 5. 6. 11. *et* 12. Nullo autem iure diuino, nec naturali, nec poſitiuo eam clericis praeceptam eſſe ſatis certum eſt.

§. XXIX.

Et quidem merito.

Sunt tamen, qui in dubium vocant, an eccleſia potuerit, vel ſaltem recte poteſtate ſua vſa ſit, dum clericos perpetuae caſtitatis lege, et voto conſtrinxit? Quod vero dubium facile ſolueris, ſi hanc legem *iuri naturali* minime repugnare, et *eccleſiam poteſtate legislatiua* praeditam eſſe cogitaueris, rationesque, quibus permota fuit, ſerio perpendere volueris.

Ita cenſeo obligationem ſeruandae caſtitatis clericis impoſitam tam ex praecepto, quam ex voto immediate deſcendere, quum eccleſia ipſis ordinandis non ſolum votum; ſed etiam continentiam immediate praecipiat, vt ex dicendis patebit. Votum vero et ipſum expreſſe, vel tacite editum immediate obligat.

§. XXX.

Cum conueniat 1.) *rectae rationi.*

Ea autem clericorum nuptias impediendi ratio eccleſiae conſiſtit in eo, ne rerum temporalium ſollicitudine, ac ſenſuum deſideriis, et voluptate implicati a diuinis officiis, et eccleſiaſticis miniſteriis (quibus vi ſuae vocationis mancipati ſunt) impediantur, et retrahantur, quaſi ad clericos verbis apoſtolicis (1. COR. VII.) diceret eccleſia: *volo vos autem ſine ſollicitudine eſſe. Qui ſine vxore eſt, ſollicitus eſt, quae domini ſunt, quomodo placeat Deo. Qui autem cum vxore eſt, ſollicitus eſt, quae ſunt mundi, quomodo placeat vxori, et diuiſus eſt.*

Hanc eccleſiae mentem expreſſit ALEXANDER III. in *cap.* 12. *de cler. coniug.* in prima compilat. decretal. apud ANT. AVGVST. vbi rationem matrimonii clericalis interdicti reddit his verbis: *Quoniam vxorati cum diuiſi ſint, et eos cogitare oporteat, quomodo vxoribus placere valeant, obſequiis non ſolummodo poſſunt intendere diuinis.* GRAT. *diſt. XXXI. can.* 1. 2. 4. 5. 6. *ſeqq. cap.* 3. *h. t.* THOMASIN. *vet. et nou. diſcip. P. I. lib. II. cap.* 60. ſeqq. Spuriae ergo ſunt rationes illae arcanae, ob quas GREGOR. VII. matrimonia clericorum reprobaſſe contendit BOEHMERVS *iur. eccleſ. proteſt. ad h. t §. XII. ſeqq.* Neque enim omnium coelibatum clericis ſeu conſulentium, ſeu praecipientium conciliorum, ac pontificum peruerſam adeo mentem fuiſſe vlli perſuaſerit. Porro etiamſi daremus, quod tanto opere vrget BOEHMERVS l. c. §. 2. ſeqq. coelibatum clericorum traditioni vniuerſali ab antiquiſſimis temporibus deriuatae non inniti; an non tanta vis legis Chriſti conſilio, et communi eccleſiae conſenſu perlatae, quanta eiusmodi traditionis merae eccleſiaſticae.

§. XXXI.

§. XXXI.

2.) *Sacris litteris.*

Interim hac de re eccleſiae graecae, et latinae varia, atque diuerſa fuit diſciplina, quam ab vtriusque incunabulis repetere, et declarare iuuabit. Nimirum *caſtitas*, quam CHRISTVS poſſibilem demonſtrauit, et conſuluit a S. PAVLO 1. CORINTH. VII. 1. ſeqq. inſuper eſt commendata, ipſique matrimonio praelata, eamque primus eccleſiae chriſtianae clerus, ſeu apoſtoli ad amuſſim ſeruarunt.

Quod autem apoſtoli, qui vxores duxerant, ab eis ſeceſſionem fecerint, vt Chriſto vni adhaererent, id S. HIERON. *lib. I. aduerſus Iouin.* exprimit ex illis PETRI ad CHRISTVM verbis: *Ecce nos reliquimus omnia et ſequuti ſumus te.* Vbi ait S. Pater: *Adſumti in apoſtolatum relinquunt officium coniugale.* Conſentit in hoc BOEHMERVS §. V. l. cit. Apoſtolorum tempore coelibatum coniugio praelatum fuiſſe.

§. XXXII.

Obiectio refutatur.

Dicet non nemo; quid ergo haec ſibi volunt verba APOSTOLI 1. COR. IX. *Numquid non habemus poteſtatem ſororem mulierem circumducendi, ſicut ceteri apoſtoli, et fratres Domini, et Cephas?* Hoc, inquam ego, volunt vt per *ſorores mulieres*, ne vxores intelligas, ſed pias foeminas, quae ſequebantur apoſtolos, ſicut etiam Chriſtum ſequebantur LVC. VIII. certe ſi fuiſſent vxores, tanquam *ſorores* eas habebant absque vſu matrimonii.

Ita exponunt hunc textum TERTVLL. *lib. de monag.* HIERON. *lib. I. in Iouin.* AVGVST. *lib. de op. monach. cap. IV.* AMBROSIVS, CHRYSOST. THEODOR. aliique in I. COR. IX. praeſertim CLEM. ALEXAND. *lib. III. ſtrom.* LEO IX. ap. *grat. diſt. XXXI. cap.* 2. quidquid contra hanc ſanctam, antiquam, et eruditam auctoritatem garriat BOEHMERVS §. II. et III. l. c. Negari tamen nequit, quin ſucceſſu temporis ſub hoc praetextu abuſus irrepſerint. CIRON. *ad tit. de cohabit. mulier.* §. 5.

§. XXXIII.

3.) *Diſciplina primaeuae eccleſiae.*

Statim inde ab *apoſtolorum temporibus* digniſſimum hoc imitatione exemplum in amplectendo coelibatu, et viri apoſtolici, et ſucceſſores illorum, quamprimum ſacris initiari coeperant, ſequuti ſunt. Vt adeo primis eccleſiae ſeculis, tam apud graecos, quam latinos, ſaltem *conſuetudine* continentia SS. ordinibus, epiſcopatui videlicet, presbyteratui, et diaconatui adnecteretur.

Nolo hic diſputare, num coelibatus prioribus eccleſiae ſeculis SS. ordinibus fuerit adnexus praecepto apoſtolico? Num SYNOD. NICAE. *can.* III. hiſce eundem praeceperit? vid. NATAL. ALEXAN. *in hiſt. eccleſ. ſecul. IV. diſſ. XIX. propoſit.* 2. *et* 3. *tom. IV.* ſufficiant in rem noſtram luculentiſſima antiquitatis teſtimonia. ORIG. *homil. XXIII. in libr.* NVM. EVSEB. *lib. I. demonſt. euang. cap.* 9. CYRILL. HIEROS. *catech. XII.* et tandem S. EPIPHAN. *haereſ. LIX. cathac.* quem BOEHMERVS dicendo *obſeruantias antiquas* adpellatione *canonum eccleſiae* olim veniſſe miſere refutat. THOMAS. *cit. cap.* 60. *et* 61.

§. XXXIV.

§. XXXIV.

Et quidem graecae.

Quamuis autem in *oriente* lex iſta plene, et vniuerſe non obtinuerit, vt ab vxoribus ſeſe deinceps continerent, qui iam mariti in ſacerdotium, aliumue maiorem ordinem veniſſent: certum tamen eſt, eos ſaltem vitam coelibem ducere obſtrictos fuiſſe, qui aut virgines, aut vidui ſacros ordines ſuſceperunt.

Can. Apost. *XXV.* concil. ancyr. *can.* 10. Neocaesar. c. 1. Gangrens. c. 4. Chalced. c. 14. in omnibus hiſce locis nihil expreſſe ſtatuitur de perpetua continentia clericorum, qui iam ante ſuſceptos ordines maiores coniugium inierant. Ob euitanda ergo maiora mala SS. patres, conciliaque eam graecorum conſuetudinem tolerabant. Atque haec ipſa eſt ratio, quod patres nicaeni conſilio Paphnutii adquieuerint, qui pro illorum temporum circumſtantiis conſultius eſſe putauit, clericum ab illa, quam iam pridem, cum laicus erat, vxorem duxiſſet, non seiungere. Socrat. *in hiſt. eccleſ. lib. I. cap.* 8.

§. XXXV.

Ac latinae.

Siricius P. R. ſub finem *ſeculi IV.* primus fuit, de quo certo conſtat, qui epiſcopis, presbyteris, et diaconis perpetuam continentiam vſu diuturno, et ab apoſtolicis temporibus introductam decreto ſuo firmauit, quem ſequuti ſunt alii pontifices et concilia.

In epiſt. ad Himer. tarracon. cap. VII. CONCIL. CARTHAG. II. *can.* 2. INNOCENT. I. P. *in epiſt. ad pictricium rothomag. epiſc. cap.* 9. ſic ſcribit, *tenere debet omnino eccleſia, vt ſacerdotes, et leuitae cum vxoribus ſuis non miſceantur* ap. GRAT. D. XXI. c. 4. NAT. ALEX. cit. *diſſert. XIX. prop.* 2. *tom. IV.*

§. XXXVI.

Exemtis tamen ab eo IV. ordinibus minoribus et ſubdiaconatu.

Id vero prioribus *quinque ſeculis* nusquam comperies, *caſtitatem minoribus quatuor ordinibus* fuiſſe adnexam: imo nec ſubdiaconatus vniuerſaliter illa ligabatur. Quod enim ad ſubdiaconos adtinet, iis GREG. M. ſeculo VI. exemplo LEONIS M. continentiam quidem impoſuit, ad diſciplinam hanc nec ipſe, nec eius ſucceſſores, nec concilia vsque ad *ſeculum* XI. in eccleſia, vt in legem vniuerſalem euaderet perfecte figere potuerunt.

CONCIL. CARTHAG. V. *can.* 3. S. LEO M. *epiſt. LXXXIV. cap.* 4. GREG. M. *lib I. epiſt. XLII. cap.* 9. *de aet. et qual. et ord. praef.*

§. XXXVII.

Subdiaconatus autem a ſeculo XI. huic coelibatus legi ſubiectus eſt.

Poſtquam autem *ſubdiaconatus ſacris ordinibus* generali lege fuit adnumeratus, fluctuans circa coelibatum ſubdiaconorum diſciplina deter-

terminata, et vindicata eſt a *ſeculo XI.* ad moderna vsque tempora.

Thomasin. *cap.* 65. *l. c.* §. 3.

§. XXXVIII.

4.) *Nec minus diſciplinae hodiernae eccleſiae tam graecae.*

Quaenam fuerint in *eccleſia graeca* coelibatus fata paucis videamus: conſentit cum *latina* 1) quod epiſcopo non liceat poſt conſecrationem ſuam contrahere coniugium, ne dum vti prius iam contracto. 2.) Perpetuae quoque continentiae lege reliquos eccleſiae miniſtros cum ſubdiaconis, ſi coelibes ad hos ordines perueniant, adſtrinxit. At vero 3) conſuetudinem clericorum cohabitandi vxoribus ante ordinationem ductis ratihabet, ac adprobat. *in can.* 13. concil. trvll. *ad finem ſeculi VII. celebrati.*

Hunc etiam morem adhuc hodie eccleſia permittit graecis *cap. 6. de cler. coniug.* praecipit autem ſimul, vt ſacerdos, antequam S. Miſſam celebret, vel per hebdomadam, vel per triduum ab vxore abſtineat. Benedict. XIV. *bullar. tom. I. bulla LVII. de dogm. et rit. ab italo-grae. tenend.* §. *VII.* n. 28.

§. XXXIX.

Quam latinae I.) quoad clericos minores, qui matrimonium valide, ac licite contrahunt.

Porro videamus, qualis ſit moderna eccleſiae noſtrae circa clericorum coelibatum, aut

coniugium diſciplina. I.) Clerici, qui minoribus ordinibus duntaxat ſunt initiati, recte contrahunt matrimonia, nulla lege id ipſis prohibente.

Quinimo *can.* 14. *diſt.* XXXII. id expreſſis verbis permittit: nec aliqua in hoc eſt differentia inter graecam et latinam eccleſiam.

§. XL.

Sed tamen amittunt (a.) beneficium.

Si tamen eiusmodi clerici in minoribus conſtituti matrimonium contrahant, a) amittunt quae habent, beneficia, et ad alia obtinenda *redduntur inhabiles cap. 3. et 5. h. t.*

Quod etiamſi ratum ſolummodo fuerit matrimonium, obtinet, non item, ſi aut a *ſciente*, aut ab *ignorante nulliter fuit contractum.* De valido quippe tantum loquuntur iura. Neque quod tamen canones ſupponunt, ſtatum talis adſumſiſſe dici poteſt, beneficio haud congruum, ſeu incompatibilem.

§. XLI.

Et quidem ipſo iure.

Neque per *ſententiam* primum iudicis, ſed *iure ipſo* beneficiis excidunt: Tenentur ergo reſtituere fructus à die coniugii perceptos; non enim alia intentione, aut conditione, quam coelibatus, confertur beneficium ab *eccleſia*, cen-

cenſeturque renunciare, qui ſtatum alium pugnantem cum clericatu adſumendo conditionem non implet.

Quamuis cit. *can.* dicant eos *ſpoliandos*, *priuandos*, *compellendos*, eae tamen voces non deſignant, per ſententiam iudicis eos priuandos *iure*, *ac titulo* beneficii (quo iam exciderunt) ſed poſſeſſione ſolummodo, ſi eam adhucdum retineant. Neque lex haec poenalis eſt; ſed in bonum ſtatus eccleſiaſtici lata.

§. XLII.

Et (b.) priuilegia clericalia.

b) Amittunt *priuilegia clericalia* exemtionis ab oneribus publicis, et reliquis, et tum demum *canonis et fori* priuilegium retinent, ſi vnam, eamque virginem ſibi deſpondeant, habitum, et tonſuram clericorum more deferant aut beneficium eccleſiaſticum habeant. Vel, ut Synodvs Tridentina addidit, *cuidam eccleſiae ex mandato epiſcopi inſeruiant, vel in ſeminario clericorum, aut in aliqua ſchola, vel in uniuerſitate de licentia epiſcopi, quaſi in via ad maiores ordines ſuſcipiendos verſentur.*

Cap. vn. h. t. in 6. et Trident. Sess. *XXIII. cap. 6. de reform.* quod dixi de priuilegio fori, id in *criminalibus* intelligendum eſt. *In ceteris enim gaudere nolumus priuilegio clericali cap. cit.*

§. XLIII.

§. XLIII.

II.) Quoad clericos in maioribus ordinibus conſtitutos.

Quod II.) ad *clericos* in *ordinibus maioribus*, ad quos hodie et ſubdiaconatum referimus, conſtitutos adtinet, adtentantes contrahere matrimonium aperte deciſum in *cap. I. qui cler. vel vouent. matri.* id nullum prorſus eſſe, et a TRID. SESS. XXIV. *can. 9. de reform. matrim.* dicitur anathema adſerenti, *clericos in maioribus conſtitutos poſſe matrimonium contrahere, contractumque validum eſſe.*

§. XLIV.

In quos variae poenae ſunt ſtatutae.

Inſuper grauibus poenis tales ſunt obnoxii: imprimis compelluntur *mulieres dimittere*, et facti poenitentiam agere. *cap.* 1. *et* 2. *qui cler. vel vouent.* Dein prohibentur in ſuſceptis ordinibus miniſtrare, et ad altiores aſcendere, *cap. cit.* adeoque fiunt *irregulares*, in qua tamen irregularitate poſt peractam poenitentiam epiſcopus (niſi viduam, vel corruptam duxerint, et ſic interpretatiuam bigamiam contraxerint) diſpenſat. *cap.* 1. *cit.* demum ipſo facto incurrunt *excommunicationem* latam *clem. vn. de conſang.* non tamen reſeruatam.

An etiam hi amittant beneficia? non puto; de hac enim poena nihil ſtatutum reperitur, et ceſſante, quae reſpectu eorum eſt, qui in minoribus contrahunt legis ratione, ceſſare debet ipſius legis diſpoſitio.

§. XLV.

§. XLV.

In Germania etiam amiſſio beneficii.

In Germania praeterea per leges imperii cautum eſt, vt ſi quis forte archiepiſcopus, epiſcopus, aut alia perſona eccleſiaſtica ad ſacra A. C. tranſiret (cuius praeludium matrimonium ab iis initum eſſe praeſumitur) eo ipſo *dignitate* ſua excideret, *beneficioque* priuaretur *integra tamen exiſtimatione*, quam cautionem RESERVATVM ECCLESIASTICVM adpellant.

INSTR. PAC. OSNABRVG. *art.* V. §. 15.

§. XLVI.

III.) Quoad clericos coniugatos ordinandos.

Circa eos tandem III.) qui coniugali vinculo adſtricti ad ſtatum clericalem adſpirant, hoc erit tenendum, fieri non poteſt, vt maritus promoueatur ad ordines etiam minores, vel primam tonſuram; niſi ipſe prius caſtitatem voueat, vxor conſentiat, eaque religionem ingrediatur, vel ſaltem, ſi per aetatem de incontinentia ſuſpecta non ſit, votum caſtitatis emittat.

Can. 6. *diſt.* LXXVII. *cap. vlt. de temp. ord. in* 6. TRID. SESS. XXIII. *cap.* 4. *diſt.* XXXII. *c.* 2. *h. t. cap.* 5. *et* 8. *de conuerſ. coniug.*

TIT-

TITVLVS IV.

DE

CLERICIS NON RESIDENTIBVS IN ECCLESIA VEL PRAEBENDA.

§. XLVII.

Connexio.

Inter alia clericorum officia locum non poſtremum tenet officium *reſidendi in loco beneficii.* Quinam vero clerici, quo iure, et quomodo ad reſidentiam obſtringantur, quinam, et quibus ex cauſis ab ea excuſentur, et quae poenae in non reſidentes a SS. canonibus decretae ſint? praeſens dabit titulus.

§. XLVIII.

Reſidentia definitur et diuiditur.

RESIDENTIA ECCLESIASTICA *commoratio eſt in loco beneficii adſidua ad ſeruitium perſonale eccleſiae praeſtandum.* Bifariam haec diuiditur. Alia quippe *vera*, *ficta* eſt alia. Illa praeter realem in loco praeſentiam, id etiam inuoluit, vt pro beneficii natura beneficiatus ipſe ſacras functiones obeat: atque huic ficta, quam diximus, opponitur, quae realem quidem praeſentiam non requirit; adtamen iuris quadam interpretatione facit, vt reuera abſens ex iuſta cauſa eum in finem

prae-

praeſens eſſe fingatur, vt fructus beneficii tuta conſcientia percipere queat.

C. 14. *et* 15. *h. t. et c. vn. eod. in* 6. Fagnan. *ad c. licet* 22. *n.* 23. *de praeb.*

§. XLIX.

Ad eam obligantur omnes curam animarum habentes.

Ratio et reuelatio clamant clericos omnes, quos *eccleſia gregis dominici paſtores conſtituit*, *curaque animarum onerat*, nulla ratione habita dignitatis, nôminiſue nimirum patriarchas, primates, archiepiſcopos, epiſcopos abbates, priores, praepoſitos, parochos ad perſonalem reſidentiam vi officii eſſe obſtrictos, quum paſtor gregi ſuo non cenſetur inuigilare, qui perſonaliter ab eo abſens alii, ſeu mercenario eius cuſtodiam committit.

Inde eſt, quod concilia, pontifices, et SS. patres clericos vno ore ad reſidentiam hortentur eamque non tam praecipiant, quam iam aliunde praeceptam ſupponant. Trid. *ſeſſ. XXII. c.* 1.

§. L.

Quae in exordio eccleſiae non ſeruata.

Equidem inde ſtatim ab exordio ſuo eccleſiae ratio non ſinebat, vt paſtores ſtabilem in anguſtis ſibi ſedem figerent: quamdiu videlicet meſſis erat *multa*, *operarii* autem pauci.

Ex

Ex hoc capite CHRISTVS ECCLESIAE CONDITOR adſcenſurus dixit Apoſtolis: *euntes in mundum vniuerſum praedicate euangelium omni creaturae.* Subdit ſacer textus: *illi autem profecti praedicauerunt vbique.* MARC. VI. 20. Nequaquam ergo Chriſtus apoſtolos ſuos ad certam, et limitatam orbis partem miſit, ſed in mundum vniuerſum, vt docerent omnes gentes, et praedicarent vbique.

§. LI.

Ab apoſtolis ſenſim eſt introducta.

Adtamen *ſucceſſu temporum apoſtoli* aliquam *reſidendi* ſpeciem praebuerunt. Singuli enim, vt eſſent vbique, nullatenus fieri poterat: quare alius aliam ſibi orbis partem delegerat: is in Europa, in Aſia iſte, ille alibi in vinea domini laborabat. Atque prima haec orbis partitio ampliorum veluti dioeceſeon diuiſionem praeſeferebat, in quibus ipſi diſciplinae arbitros, et rectores agerent.

§. LII.

Idem.

In tanta etiamnum laboris, et regionum vaſtitate omnibus apoſtoli per ſe ſimul adeſſe non poterant: quare ex diſcipulis ſuis ſeligebant, quos vel eccleſiis recens extructis epiſcopos praeficerent, vel in remotiſſimas, quo ipſi venire non poterant, terras pari cum poteſtate ablegarent. Illorum itaque ſedes arctioribus circumſcripta terminis fuit, quos deſerere

vere nefas erat: iſtis contra ſpatioſius excurrere licuit more, modoque apoſtolico. Haud difficile eſt opinor, vt in illa locorum circumſcriptione ſpeciem dioeceſeos, ita etiam in ſtabilitate reſidendi morem videre.

§. LIII.

Primi autem epiſcopi vere reſidere coeperunt.

Certe poſt *mortem apoſtolorum* epiſcopi quibusdam ſe vinculis dioeceſibus ſuis adſtrictos credebant, tum ne vaga eſſet, confuſaque iurisdictio, tum vel maxime, vt diuo PAVLO morem gerentes, adhaerentes certae *gregis portioni* eidem adcuratius *adtenderent*, atque ex praecepto IOAN. X. 3. 4 proprias oues nominatim vocarent, easque educerent, atque ante eas vaderent.

Notum eſt illud S. CYPRIANI *ſingulis paſtoribus portio gregis fuit adſcripta, quam regat vnusquisque, et gubernet lib VI. epiſt. VI.*

§. LIV.

Hoc patet ex primis quinque ſeculis.

Quid quod conciliis etiam patribusque *primorum V. ſeculorum* res haec maxime cordi fuerit, ſatis teſtantur annales eccleſiaſtici. Ne alia commemorem, SYNODVS SARDICENSIS iam *can. VII.* decreuit, *ne epiſcopi ad co-*

mitatum accedant, niſi forte hi, qui religioſi imperatoris litteris vel inuitati, vel euocati fuerint; et can. XIV. tempus etiam abſentiae praeſcribit, quod niſi neceſſitas ſit inexorabilis, *trium hebdomadum* curriculo abſoluatur. CONCILIO CARTHAGINENSI V. quod verius VI. ſub AVRELIO dixeris totius AFRICAE plenario id *can. V.* placuit, vt *nemini epiſcoporum facultas ſit relicta principali cathedra ad aliquam eccleſiam in dioeceſi conſtitutam ſe conferre, vel in re propria* diutius, quam oportet conſtitutum, curam, vel frequentationem propriae cathedrae negligere.

Vid. HARDVIN. *in collect. concil. tom. I. de concil. ſard. col.* 643. *et* 647. *de concil. carthag. tom. I. col.* 987.

§. LV.

Idem.

Aduerte ſis eadem conciliorum decreta ad inferiores etiam paſtores, quos *curatos* vocamus, porrigi, ſynodus enim NICAENA I. *can. XVI.* iam antea ſtatuerat: *quoscunque presbyteros, aut diaconos, qui ab eccleſia ſua diſcedunt, nequaquam ad aliam eccleſiam recipiendos, eosque, ſi non reuertuntur, communione priuandos eſſe.*

Ap HARDVIN. *tom. I. col.* 330.

§. LVI.

Nec minus tribus conſequentibus.

Cum *ſeculis* etiam *proxime ſuccedentibus*, *ſexto* videlicet, *ſeptimo*, et *octauo*, hac ſuper re concilia non minus et *pontifices*, quam *imperatores* conſtitutiones ederent, ſententia apud omnes de *reſidendi neceſſitate* fundata iam antea communis euadebat. Sic IVSTIN. *Nou. VI. cap. I.* ſanxit, *vt ne epiſcopi diutius, quam anno vno ab eccleſiis ſuis abeſſent, neque id etiam, niſi ineluctabilis cogat neceſſitas.* Verum cum indulgentius hoc factum eſſet, conciliis, et pontificibus ſuperioris aeui rigorem reducere eſt viſum. Quare patres trullani, quod in concilio ſardicenſi olim conſtitutum erat, continuos tres dominicos dies concedebant, quibus ſi abfuerint ab eccleſiis ſuis, epiſcopi, et clerici, ſeu alii beneficiati exauctorentur.

SYNOD. TRVLL. ſeu *Quini-ſext.* can. 80. conferri omnino meretur THOMASIN. *de diſcip. vet. et nou. eccleſ. p. II. lib. III. cap. XXX. ſeqq.*

§. LVII.

Fuerunt tamen cauſae legitimae a reſidentia excuſantes.

Rigorem canonum temperarunt cauſae ab ipſa eccleſia adprobatae, quae epiſcopos, aliosque beneficiatos curae animarum addictos a *reſidentia excuſabant*, eosque, ſi reuera ſubeſſent, in *conſcientia* tutos reddebant.

 Quo

Quo referri ſolebant euocationes epiſcoporum ad concilia tam vniuerſalia, quam particularia, ad comitia regni, ad aulam principis, legationes ſacrae, aliaeque ſimiles, quibus fauor neceſſitatis vtilitatisue euidentis, et pietatis utriusque et reipublicae ſacrae, et politicae ſuffragabantur, de quibus late THOMASIN. *de diſcipl. vet. et nou. eccleſ. p. II. lib. III. c. 36. ſeq. t. II.*

§. LVIII.

Variae dein cauſae laxitati eius occaſionem dederunt.

Sed quae optimarum ſemper rerum fortuna fuit, diſciplinam optimam corrupere *varii abuſus*, qui paulatim irrepere coeperunt. Fauebant laxitati reſidentiae inualeſcentes a *ſeculo XI.* expeditiones cruciatarum in terram ſanctam; licentia docentibus, et diſcentibus clericis paſſim conceſſa, vt per plures annos a loco beneficii ſine diſpendio fructuum abeſſe potuerint: iter ad curiam romanam vel litium proſequendarum, vel beneficiorum conſequendorum cauſa ſuſceptum. Acceſſit receſſus *ſeculo XIV.* ſummorum pontificum Auenionem, qui ipſi abſentes a ſede ſua erant perfaeiles in concedendo beneficiatis priuilegio, vt etiam non reſidentes fructus beneficiorum lucrari poſſent. Auxit malorum cumulum beneficiorum pluralitas hodiernum vſque in diem propagata.

Vid. FLEVRII *in inſt. iur. eccleſ. p. II. t. 28. §. 3.* vbi mala ex negligentia reſidentiae profluentia hiſce verbis amare deplora : *populus ſine doctrina, clerus ſine diſciplina, vitia impunita, cultus publicus ne-*

[redacted]

neglectus, eccleſia ſine ornamentis, aedificia ſine reparationibus, pauperes denique deſtituti ſatis proclamarunt, quantum intereſſet clericos non reſidere.

§. LIX.

Cui ab eccleſia medela eſt adlata.

Non defuere tamen *concilia generalia*, et *particularia*, ipſique *pontifices*, qui ſummis ſtudiis in id incubuere, vt huic corruptelae mederentur, et canonum antiquorum priſtinum vigorem, et obſeruantiam reſtituerent, quod abunde teſtantur canones, et decreta pontificum huic titulo in decretalibus, et in ſexto inſerta, *vid. cap.* 15. *de reſcript. in 6.* In Synodo autem tridentina omnium luculentiſſime decreta ſunt, quae caput praeſens illuſtrant.

Inter cetera, quae hac de cauſa ibi pertractabantur, ſummis animorum motibus agitata eſt quaeſtio, an reſidentia iure diuino praecipiatur? Aiebant galli et hiſpani, negabant germani, et itali, quam hiſtoriam ſparſim expoſuit Pallavicinus *in hiſt. concil. trid. lib. XVIII. c.* 15. *et lib. XXI. c.* 13. Obtinuit tandem gallorum, et hiſpanorum ſententia, eaque doctrina in *ſeſſ. VI. c.* 1. *et ſeſſ. XXIII. c.* 1. non quidem verbis expreſſis, et in terminis, vt aiunt, terminantibus, aequipollentibus tamen et virtualiter fuit definita, et declarata. Fagnan. *ad cap. ex parte* 8. *h. t. n.* 21 vbi rem grauiter monet, quod hanc controuerſiam ante publicationem concilii trid. fere incognitam, et ab Ambroſio Catherino, archiepiſcopo compſenſi primum traditam temporum iniquitas celebrem reddiderit.

§. LX.

Huius tituli partitio.

Tot ſeculorum merita, tantas in hoc negotio eccleſiae vigilias, quo penitius videamus, adcuratior paulo tituli huius tractatio faciet. Quare dicendum videtur I.) de *reſidentia epiſcoporum.* II.) de *reſidentia parochorum*, aliorumque *curatorum*, etiam *religioſorum* III.) de *reſidentia* illorum, qui habent *ſimplex beneficium*, et *canonicorum.* Quae ita pertractabimus, vt audito iure legitimas reſidentiae exceptiones, et poenas etiam non reſidentium haud praetereamus.

§. LXI.

Epiſcopi iure diuino reſidere tenentur.

Si patres audiamus, reſidendi neceſſitas, qua ligantur epiſcopi, non arbitrariis vnius eccleſiae decretis, ſed *lege* adeo *diuina* impoſita eſt, et firmata. Quare fortiſſima etiam, quae huic cauſſae patrocinantur, argumentorum ſubſidia et ſacris litteris, et innatae muneris paſtoritii naturae conſentanea in medium adferunt. Certe quisquis in paſtorum ordinem venit, Chriſti in ea, quae obtigerit, eccleſiae parte vices ſubit. Atque *perſonale* hoc quidquam nuncupamus, quia adligatum perſonae cenſetur. Si vero, vt certiſſimum eſt, absque *perſonali* apud gregem reſidentiae officio huic ſatisfieri nequeat, pari iure, id eſt, *diuino* ad reſidendum epiſcopos teneri fateare neceſſe eſt.

§. LXII.

[redacted]

§. LXII.

Et quidem ſua, non opera vicaria.

Sed epiſcopis vtique fauere videtur notiſſima iuris regula 68. in 6. *poteſt quis per alium, quod poteſt facere per ſe ipſum.* Falleris, nam Chriſtus paſtoribus commendauit, vt ipſi gregem, non vtique mercenarii paſcant: ad epiſcopi, cum eligitur induſtriam, ad *ipſius* non alterius cuiuſdam qualitates reſpicitur. Quo itaque animo, quo iure, et titulo vicarius, ſupra quem ſors non cecidit, et *gregi* obtruditur, et Christo? Chriſto inquam, qui ſoli vicarium *ſibi*, *vicario vicarium non* ſuffecit.

Ioan. *cap.* X. 2. *ſeqq.* Hincmar. *epiſt.* XLV. *cap.* 16.

§. LXIII.

Nulla obtinente conſuetudine contraria.

Sed dicis fortaſſe, conſuetudo reclamat! verum *conſuetudini* reclamat apoſtolus, Timotheum et in Timotheo epiſcopum quemuis officii admonens: tv *vero*, inquit, non alius, tv *vero vigila, in omnibus labora, opus fac euangeliſtae, miniſterium* tvvm *imple. II.* Tim. *IV.* 5. Aut ſi conſuetudo, ſaepe magiſtra peſſima tantum valet, facili aeque brachio paulinum hoc eluſero monitum: *adtendite vobis, et vniuerſo gregi, in quo vos* Spiritvs *S. poſuit regere ec*-

cleſiam Dei, quam adquiſiuit ſanguine ſuo. ACT. XX. 28.

TRID. *ſeſſ. VI. cap. I. de reform.*

§. LXIV.

Nec praerogatiua perſonarum.

Nec *eminens perſonarum eccleſiaſticarum qualitas*, et *dignitas* id efficere poteſt, vt a gregis ſui cuſtodia, ac ſollicitudine paſtorali, et quod conſequitur, a reſidendi lege eximantur. Tacentibus nobis loquitur SYNOD. TRID. *omnes patriarchalibus, metropolitanis, ac cathedralibus eccleſiis quibuſcunque, quocunque nomine, et titulo praefectos, etiamſi S. R. eccleſiae cardinales ſint, obligari ad perſonalem in ſua eccleſia, vel dioeceſi reſidentiam, vbi iniuncto ſibi officio defungi teneantur.*

Seſſ. XXIII. cap. 1. de reform.. Non defuere ex epiſcopis, qui verba quaedam in hoc decreto expuncta volebant, ne videretur concilium decidere, reſidentiam perſonalem iure diuino requiri. Sed vicit ſanior pars.

§. LXV.

Cui obligationi otioſa reſidentia non ſatisfacit.

Nec tibi perſuadeas, qualemcunque reſidentiam ſufficere, vt legi ſatisfiat. Ad *laborioſam*, non otioſam te ſynodus reſidentiam obligat, vt gregi tuo paſtor *adtendas, et in-*

ui

uigiles, vt in omnibus labores, et miniſterium tuum impleas, vt ouium tuarum, de quarum ſanguine ſupremo iudici reſpondebis, cuſtodiae incumbas, easque *a lupis defendas.*

Seſſ. VI. cap. I. de reform. cap. 3. h. t. et cap. 2. de translat. Vnde nec eccleſia in ordinatione, ſeu conſecratione epiſcopi tantum ad reſidentiam, ſed ad laborem epiſcopos mittit, dum ordinando dicit: *vade, et praedica populo tibi commiſſo.*

§. LXVI.

Sunt tamen quidam caſus, qui ab ea eximunt.

Fieri autem poteſt, vt vel *ratio legis*, vel *officiorum colliſio* exceptionem a reſidentiae neceſſitate poſtulent. Si enim interdum ex maiore ouium vtilitate ſit abſentia epiſcopi, quam praeſentia *corporea*: nae perperam is intelligit eccleſiam, qui caſu hoc adeſſe malit, quam abeſſe. Si vero eccleſiae vniuerſae bonum agatur, cum illi particularis quaedam cedere, et ſua etiam immolare commoda debeat, paſtorem quoque ſuum rebus ita exigentibus concedere, iſtamque ferre orbitatem etiam aliquo forſan impendio tenebitur.

§. LXVII.

Quos concilium tridentinum expreſſit.

Hinc Synod. Trid. *ſeſſ. XXIII. cap. I. de reform.* poſtquam omnes quacunque dignitate fulgentes ad reſidentiam obſtrictos dixit, de-

clarat quidem integrum eſſe nemini ab eccleſia diſcedere, adtamen hac addita limitatione: *niſi ex cauſis, et modis infra ſcriptis, id eſt, cum* 1.) CHRISTIANA CHARITAS, 2.) VRGENS NECESSITAS, 3.) DEBITA OBEDIENTIA, 4.) ac EVIDENS ECCLESIAE, vel REIPVBLICAE VTILITAS, *aliquos non nunquam abeſſe poſtulant, et exigunt.*

§. LXVIII.

Idem.

Verum num *chriſtiana charitas, vrgens neceſſitas, vel euidens eccleſiae, aut reipublicae vtilitas abſentiam requirant, ſynodus noluit proprio epiſcoporum iudicio permittere; ſed decernit; has legitimae abſentiae cauſſas a beatiſſimo* ROMANO PONTIFICE, *aut a* METROPOLITANO, *vel eo* SVFFRAGANEO *antiquiori reſidente, qui idem Metropolitani abſentiam probare debebit, in ſcriptis eſſe probandas, niſi cum abſentia inciderit propter aliquod munus, et reipublicae officium epiſcopatibus adiunctum, cuius quoniam cauſſae ſunt notoriae, et interdum repentinae, ne eas quidem ſignificari metropolitano neceſſe erit.*

TRID. *l. c.*

§. LXIX.

Minutis vero abſentiis in hac lege haud comprehenſis.

Quoniam autem, *qui aliquantiſper tantum abſunt ex veterum canonum ſententia, non viden-*

dentur abeſſe, quia ſtatim reuerſuri ſunt, ſacroſancta ſynodus vult, illud abſentiae ſpatium ſingulis annis ſiue continuum, ſiue interruptum extra praedictas cauſſas nullo pacto debere DVOS, *aut ad ſumnium* TRES MENSES *excedere, et haberi rationem, vt id* AEQVA EX CAVSSA *fiat, et absque* VLLO GREGIS DETRIMENTO: *quod an ita ſit; abſcedentium conſcientiae relinquit, quam ſperat religioſam, et timoratam fore, cum Deo corda pateant, cuius opus non fraudulenter agere ſuo periculo tenentur. Interim ipſos admonet, et in domino hortatur, ne per illius temporis ſpatium dominici aduentus, quadrageſimae, natiuitatis, reſurrectionis Domini, Pentecoſtes, item et corporis Chriſti, quibus refici maxime, et in domino gaudere paſtoris praeſentia oues debeant, ipſi ab eccleſia ſua cathedrali vllo pacto abſint; niſi epiſcopalia munia in ſua dioeceſi eos alio vocent.*

TRID. *ſeſſ. XXIII. cap. I.* Illud tamen cogitent epiſcopi a grege ſuo iuſta de cauſa abſentes, vt, ſi corpore adeſſe nequeant, adfectu tamen, et cura, quantum fieri poteſt, ſemper adſint. S. AVGVST. *epiſt.* 122.

§. LXX.

Et in epiſcopos diutius quam fas eſt abſentes varias poenas ſtatuit.

Videre iam ſupereſt, quomodo eccleſia in transſgreſſores legis animaduertat. Et quidem epiſcopos, neque obtenta facultate, neque ſuffragante ratione profectus, niſi *tertio menſe* redierit, amittit *fructus omnes epiſcopatus*

tus tempori, quod ſupra eſt, reſpondentes, id eſt, vti aliter loquuntur, pro rata temporis abſentiae. Neque opus eſt, vt poenae iſtius ſententia *declaretur*, quia conſcientia iam ante tenetur omnia ad fabricam eccleſiae, vel in pauperes conferre. Quod ſi abſentia vltra ſpatium ſemeſtre proceſſerit, redituum vnius *anni pars quarta* perit, ſi alterum huic tempori *ſemeſtre* accedat *alteram quartam partem* eo ipſo iterum amittit. Poſtea autem creſcente contumacia archiepiſcopi eſt, tres intra menſes ſummum pontificem hac de re certiorem reddere, ſecus eo ipſo poenam incurrit *interdicti* in eccleſiam ingreſſus.

TRID. *ſeſſ. VI. cap. I. ſeſſ. XXIII. cap. I. de reform.*

§. LXXI.

Eodem ac epiſcopi iure reſidere tenentur parochi ceterique curati.

Factae partitionis ordo parochos iam tangit, alioſque, qui curam animarum gerunt. Hos vero *eadem*, quae *epiſcopos* reſidendi *lex* ſtringit. Praeter argumenta, quae vtriusque communia ſunt, ex abundantia quadam nouam ex TRIDENTINO demonſtrationem addimus. Illud vero *praecepto diuino mandatum eſſe omnibus* docet loc. cit. *quibus animarum cura commiſſa eſt, oues ſuas agnoſcere, pro his ſacrificium offerre, verbique diuini praedicatione, ſacramentorum adminiſtratione, ac bonorum operum exemplo paſcere, pauperum alia-*

rum-

[redacted]

rumque miſerabilium perſonarum curam paternam gerere, et in cetera munia paſtoralia incumbere. Sed haec omnia nequaquam ab iis praeſtari, et impleri poſſunt, qui GREGI SVO *non* INVIGILANT, *neque* ADSISTVNT. Diuinum ergo hoc eſſe praeceptum ſacra ſynodus aperte definit.

Quare eant parochi cum vſu contrario, quantumuis longaeuo, vocent conſuetudinem, diſpenſationem iactitent: corruptela eſt: mille diſpenſationes nihil agunt. Ante legis ratio, vel ſtatus colliſionis in conſiliis habeatur, quam exemtiones hae indulgeantur. Nusquam ſane eccleſia abſentias permittit, niſi certiſſime abſit vna gregis detrimentum: Ceterum multa fieri conſtat, quae *facti* dicuntur, non *iuris*.

§. LXXII.

Quibus nec vicarios ſubſtituere licet.

Neque *ſurrogatione Vicarii* lex iſta eluditur. Eaedem quippe rationes, quas ſupra de epiſcopis adtulimus, etiam huc faciunt. Nonne eccleſia paſtores eligens, aliosque animarum curatores perinde perſonarum virtutem, nauitatem, animum in ſacra conſiderat? Haec vero quis vnquam docuit prudens, alterius poſſe fidei, et operae committi? Praeterea examinare nolim, quis ordinarie gregi curatius inuigilet, et ſincerius, natiuusne, vt ita loquar, parochus, an adſcitus. Id etiam rationi diiudicandum relinquo, isne de altari viue-

viuere mereatur, qui altari ipſe non ſeruiat: eſto idoneum ſibi hominem ſubſtituerit.

Cap. 43. §. 1. *de off. et poteſt. iud. deleg. cap.* 12. *eod. in* 6. Adde ESPEN. *part. I. tit. III. cap. IV. et V.*

§. LXXIII.

Quod limitatur.

Ceterum tam rigida non eſt eccleſia mater, vt rebus exigentibus in hac cauſſa nihil concedat. Adtamen id praecipit omnibus, qui infra epiſcopos ſunt, animarum cura grauatis, vt *quandocunque eos, cauſſa prius per epiſcopum cognita, et probata, abeſſe contigerit, vicarium idoneum ab ipſo ordinario adprobandum cum debita mercedis adſignatione relinquant, diſcedendi autem licentiam in ſcriptis, gratisque concedendam vltra bimeſtre tempus niſi ex graui cauſſa non obtineant.* SYNOD. TRID. *loc. cit.*

Cap. 6. *de elect. in* 6. ſunt tamen, qui vocant in dubium, an ſicut trimeſtri epiſcopus, ita curatus bimeſtri tempore ſine facultate abeſſe nequeat. Dubium ſane odioſum! dubium, ut loquar mitiſſime, et periculis non paucis, et diſciplinae laxitati maxime obnoxium: atque hoc ipſo ex capite abſque multa argumentorum contentione animoſe reiiciendum. Sed tacebo plures decretaliſtarum hac in materia aberrationes, nimisque benignas interpretationes. Quaerunt nonnulli, an beneficiatus curatus *tempore peſtis* ad euitandum periculum abeſſe poſſit? His reſpondet GREGOR. II. P. *in epiſt. II. ad quemdam Bonifacium, epiſcop. ſcripta*, hiſce ver-

verbis: *quod valde fatuum videtur, non enim valet quisquam effugere Dei manus. ap* Hardvin. *tom. III. col.* 1860. Sane miles ſtationem ſuam deſerere nequit, etſi certum vitae periculum ei immineat.

§. LXXIV.

Non reſidentium poenae ſunt in concilio tridentino expreſſae.

Epiſcoporum conditio, et eorum, qui inferiores ſunt, non reſidentium par eſt, ſi animarum curae ſeſe dederunt. Ex Tridentini enim mente *ſeſſ. XXIII. cap. I.* pro *rata temporis fructus non faciunt ſuos*, ſed eos ante omnem etiam ſententiam declaratoriam reſtituere, atque ad pias cauſſas erogare tenentur.

Sunt iterum, qui dubitant, imo ſunt, qui fidentius negant, ad reſtitutionem teneri parochum: pro quo cooperatores gregem cuſtodiunt: id eſt, qui reſidet in otio, non vt paſcat ipſe, ſed paſcatur. Pudenda res eſt, quam ſanior ſententia reſpuit.

§. LXXV.

Hactenus dicta etiam de ſuperioribus religioſis intelligenda ſunt.

Quae hactenus de officio reſidendi epiſcopis, omnibusque aliis beneficia curata poſſidentibus lege naturali, et diuina impoſito latius tradita ſunt, de *ſuperioribus* quoque *regularibus* intelligenda eſſe identitas rationis

nis luculenter euincit; nam et hos numero paſtorum animarum comprehendi nemo negauerit.

Quum vero ſuperiores regulares ob votum paupertatis ſibi non adquirant, priuationi fructuum a canonibus ſtatutae ſubiacere nequeunt. Eos tamen illegitime abſentes nec a reatu peccati, multo minus a poenis a conſtitutionibus ordinis religioſi dictatis immunes eſſe omnes facile admittunt.

§. LXXVI.

Reſidentia non curatorum praecipue canonicorum.

Hactenus de reſidentia curatorum: ſuperſunt ii, qui ſine animarum cura beneficiis potiuntur, e. g. CANONICI etc. hos vero ad *reſidentiam perſonalem* adſtringi indubitata res eſt. Beneficium enim propter officium confertur; *cap. fin. de reſcript. in* 6. ſed iure cautum eſt, ne quis ad beneficium adſumatur, niſi una in eo reſideat loco, vbi officium obire poſſit. *cap.* 6. *h. t.*

Quoad beneficia prorſus ſimplicia contrariam videmus conſuetudinem, quae excuſari poteſt, quia horum reſidentia eſt ſaltem iuris eccleſ. ſimulque haec obligatio aeque per alium impleri poteſt. Aliud foret, ſi reſidentia requiratur ex intentione fundatoris. ESPEN. *p. II. ſect. III. tit. I. cap.* 3.

§. LXXVII.

Non debet eſſe otioſa.

Quodnam vero reſidendi genus requiratur, ſi petis, id etiam laborioſum, canones et ſynodus

[redacted]

NODVS TRIDENTINA exigunt. Cum enim beneficiorum inde ſit origo, vt diuina honorificatius, variaque in domo DOMINI officia rectius obeantur: quis non videt, otio, ac deſidia haec neutiquam praeſtari. Quid prodeſt igitur illorum in loco praeſentia; vbi vero diuinis nunquam adeſſe conſpiciuntur.

Gloſſa ad *cap. vn. de cler. non reſid. in 6.* vt ergo canonici dicantur reſidere ad mentem canonum, tenentur diuino officio non tantum pro parte, ſed integro adſiſtere, alias enim pro parte duntaxat reſiderent.

§. LXXVIII.

Eorumque abſentia vltra tres menſes quolibet anno non protrahatur.

Quid de iis dicam, qui raro ſuas, aut vix vnquam eccleſias vident, vbique frequentiores quam ibi? Homines iſti optimis fundatorum opinionibus iniurioſi et illuſtres interdum eccleſiae labes, vt in ordinem redigantur, ſtatuit TRIDENTINVM *ſeſſ. XXIV. cap. 12. de reform. quod obtinentibus in cathedralibus, aut collegiatis eccleſiis dignitates, canonicatus, praebendas, aut portiones non liceat vigore cuiuslibet ſtatuti, aut conſuetudinis* VLTRA TRES MENSES *ab iisdem eccleſiis quolibet anno abeſſe: ſaluis nihilominus earum eccleſiarum conſtitutionibus, quae longius ſeruitii tempus requirunt.*

Locus eſt animaduerſioni. Sacra ſynodus nouem omnino menſium commorationem requirit, quidquid

 de

de ſtatutis, et de conſuetudine contraria ſit. Poteſtne eos nihilominus conſuetudo obumbrare, qui tres vltra menſes vacant? Aſt *immemorialis* eſt conſuetudo. Audio. Sed qualemcunque illam decretum concilii ſuſtulit. Verum enim vero ſeuerum illud Tridentini decretum in Germania receptum non eſt? Vſus itaque (dicamne abuſus) in plerisque Germaniae canonicatibus contrarius viget.

§. LXXIX.

Neque pro voluptate conceditur.

Vehementer tamen cauendum eſt, ne concilii indulgentia in partem ſequiorem accipiatur, et *trimeſtris abſentiae ius* quoddam pro canonicorum *voluptate* et licentia exſculpatur. Id vero nunquam S. SYNODVS cogitauerat, ſed ſi cauſae honeſtas voluerit, ne facultatem a ſuperioribus ſuis ſpecialem ad tempus hoc expetant, id conſtitutum eſt.

Denuo in alia omnia abire videas decretaliſtarum turbam.

§. LXXX.

Sed legitimae cauſae requiruntur.

Quamuis et leges, et officii ratio canonicos adigat, vt ſtationi ſuae adhaereant, tamen *cauſae non deſunt*, quare eam impune quandoque deſerant. Imo ad cauſſam, frequentius cur abſit canonicus, momentum minus ſufficit, quam *parochis*, aliisque *animarum*

cura

[redacted]

cura occupatis ſuffragetur: cum quod illius vices facilius per alium ſuppleantur, tum quod ex abſentia eius tantum in eccleſiam et animas non redundet detrimentum.

§. LXXXI.

Inter quas recenſentur 1mo ſeruitium epiſcopi.

Eas inter cauſſas, quae abſentiam canonicorum excuſant, *ſeruitium* eſt vel *neceſſarium eccleſiae*, vel *vtile*, quod epiſcopi cauſa ſuſcipitur, quatenus illud epiſcopum reſpicit. Adtamen ius commune ita diſpoſuit, vt duo tantum et ſimplices quidem canonici epiſcopi officiis ſimul occupentur.

Cap. 7. & 15. *h. t.*

§. LXXXII.

2do. ſtudium in academia.

Vſitatiſſima hodie abſentiae cauſa eſt *ſtudium in ſcholis publicis, et probatis:* voluit enim ipſa SYNOD. TRID *ſeſſ.* V. *cap. I. in fin.* vt ſcholares, qui in ipſis ſcholis ſtudent, priuilegiis omnibus de perceptione fructuum, praebendarum, et beneficiorum in abſentia a iure communi conceſſis plene gaudeant, et fruantur.

Cap. fin. de magiſt. cap. 12. *h. t.* Duas hic aduerte conditiones: prima exigit, vt canonicus vel SS. theologiae vel SS. canonibus det operam: altera vero, vt ſingulis ſemeſtribus, aut ſingulis ad minus

annis aut epiſcopo, aut capitulo teſtimonia ſtudiorum a profeſſore ſuo exhibeat. Ego vero corollarii modo illud infero non niſi ſinceriſſime, et praevio quidem examine de diligentia, et progreſſu in litteris eſſe ſcribendum, cum enim eccleſiae mens haec ſit, vt egregios et eruditos miniſtros educet, magiſtrorum reticentia, ſeu adulatio capitulis, epiſcopis, et ipſi denique eccleſiae turpiſſime imponit, van ESPEN *P. I. tit. VII. cap.* 10.

§. LXXXIII.

Aliaeque plures.

Longum eſſet alias recenſere cauſſas, quas interpretes canonum tum ex *iure communi*, tum ex *priuilegiis particularibus* adferunt. Hae vero omnes cum ea ſemper moderatione, et limitatione valent, vt videlicet praeſentium numerus par ſit officiis diuinis rite perſoluendis: deinde pleraeque illarum *fructus groſſos*, pauciores *quotidianas* etiam *diſtributiones abſentibus* permittunt. Atque iſta obiter notanda duxi.

Vid. *cap.* 7. *et* 16. *h. t.* conf. praecipue FAGNANVS *ad h. t.*

§. LXXXIV.

Canonici non reſidentes variis ſubiacent poenis.

Qui vero in *eccleſiis cathedralibus aut collegiatis* tenent dignitates, praebendas, ſeu portiones, ſi vltra *tres menſes* iniuſte *abſint*, p
mo

mo anno priuantur dimidia parte fructuum, quos ratione etiam praebendae, ac reſidentiae fecerunt ſuos. Quod ſi iterum eadem fuerint vſi negligentia, priuentur omnibus fructibus, quos eodem anno lucrati fuerunt; creſcente vero contumacia contra eos iuxta SS. canonum conſtitutiones (quae habentur *in cap. 4. 8. ſeqq. vlt. h. t.*) *eſt procedendum*, TRID. SESS. XXIV. *cap.* 12. *de reform.*

§. LXXXV.

Quo pertinet amiſſio diſtributionum quotidianarum, quae ſunt vel proprie.

Praeter poenas nunc recenſitas canonicos a beneficio abſentes *diſtributionibus quotidianis priuari* certi iuris eſt. Sunt autem *diſtributiones proprie acceptae portiones redituum eccleſiaſticorum, quae diſtinctae a praebendis, ſiue fructibus groſſis, ſeu annuis beneficii quotidie diſtribui ſolent illis, qui divinis officiis interſunt*, et a quibusdam *manualia, victualia*, aut *praeſentiae* dicuntur; *ſiue deinde ex certis menſuris frumenti, vini, ſiue in pecunia conſiſtant.*

§. LXXXVI.

Vel inproprie tales.

Illud monere non abs re erit, quod in quibusdam eccleſiis nullae praebendae, ſeu fructus groſſi habeantur, ſed *fructus omnes in com-*

mune conferantur, et *ex illis ſingulis diebus determinata portio cuilibet canonico, qui diuinis intereſt, pendatur.* De his portionibus, ſi canonice loquamur, intelligi non debent, quae de diſtributionibus quotidianis fere talibus canones ſtatuunt, cum in his eccleſiis tales in ſingulos dies diſtributae portiones praebendae potius rationem habeant (ne canonia ſit ſine praebenda) quam diſtributionum vere talium a praebenda diſtinctarum.

Diſtinctionem inter fructus groſſos beneficii, et diſtributiones quotidianas vere tales non eſſe inanem vel ex eo patet, quod alicui ex iuſta cauſa abſenti competere poſſit ius lucrandi fructus groſſos ſui beneficii, quin diſtributiones quotidianas percipere queat. *cap.* 7. *h. t. cap.* 30. *de elect. in* 6. *clem.* 2. *de aet. et qual. praef.* et vice verſa nihil impedit, quin quis priuetur fructibus beneficii, vel certe illis non gaudeat, cui tamen perceptio diſtributionum quotidianarum non denegatur.

§. LXXXVII.

Quas eccleſia eum in finem praecipue inſtituit.

Finis eccleſiae inſtituendi *diſtributiones quotidianas proprie tales* in eccleſiis cathedralibus et collegiatis alius non fuit, quam vt *canonicorum* in perſoluendis officiis negligentia, et tepor earum priuatione *multaretur*, ipſique hac multae comminatione ad diligentiorem, et frequentiorem diuini officii perſolutionem excitentur, et ideo CONCIL. TRID. *ſeſſ. XXI. cap.* 3. ſtatuit *in eccleſiis tam cathedralibus quam collegiatis, in quibus nullae ſunt diſtributiones*

quo-

quotidianae, vel ita tenues, vt veriſimiliter negligantur, tertiam partem fructuum quorumcunque prouentuum, et obuentionum tam dignitatum quam canonicatuum, perſonatuum, portionum, et officiorum ſeparari debere, et in diſtributiones quotidianas conuerti.

Per ſe patet huic ſeparationi locum eſſe non poſſe, niſi in illis beneficiis, quae reſidentiam poſtulant, et in eccleſia cathedrali, vel collegiata exiſtunt, vel eius praebendis perpetuo ſunt vnita. GARCIAS *de benef. L.* 3. *c.* 2. *num.* 473.

§. LXXXVIII.

Et vt canonici ſeruitium perſonaliter implentes eas tantum percipiant additis quibusdam exceptionibus.

Vt finis diſtributionum quotidianarum ab eccleſia inſtitutarum eo certius obtineatur, ſanxit praeterea CONC. TRID *ſeſſ. XXII. cap.* 3. *vt canonici eccleſiarum cathedralium, vel collegiatarum, ſi perſonaliter competens ſibi ſeruitium iuxta formam ab epiſcopis praeſcribendam quolibet die ſtatuto non impleuerint, illius diei diſtributionem amittant, nec eius quoquo modo dominium adquirant, ſed fabricae eccleſiae, quatenus indiget, aut alteri pio loco arbitrio ordinarii adplicetur.* Quod ipſum in *ſeſſ. XXIV. cap.* 12. repetitur, et hiſce verbis confirmatur; *vt ii ſoli diſtributiones, qui ſtatis horis interſuerint, recipiant, reliqui quauis colluſione, aut remiſſione excluſa his careant iuxta* BONIFACII *VIII. decretum, quod incipit*

conſuetudinem, quod S. Synodus in uſum revocat non obſtantibus quibuscumque ſtatibus, et conſuetudinibus.

Cap. vn. de cler. non reſid. in 6. reprobat omnem conſuetudinem concedentem diſtributiones quotidianas aliis, quam qui *actu* et vere horis canonicis *iuxta cuiuslibet eccleſiae ordinationem rationabilem factam, vel faciendam interſuerint exceptis illis*, quos (1) *infirmitas*, ſeu (2) *iuſta, et corporalis neceſſitas*, aut (3) *euidens eccleſiae vtilitas* excuſaret. Addit Pontifex idem de diſtributionibus etiam pro anniuerſariis defunctorum largiendis eſſe obſeruandum.

§. LXXXIX.

Idem.

His tribus exceptionibus duas alias adiecit CONCIL. TRID. et diſpoſuit (1) in *ſeſſ. XXIV. cap* 8. vt *poenitentiarius* in eccleſia cathedrali, *dum confeſſiones in eccleſia audiet, interim praeſens in choro habeatur*, et (2) in *ſeſſ. XXII. cap. 3.* ſtatuit, eos etiam, qui in cathedrali, vel collegiata eccleſia obtinent dignitatem ſine iurisdictione, adminiſtratione, vel officio habeantque ſimul extra ciuitatem in dioeceſi eccleſiam curatam, *pro tempore, quo in hac reſederint, ac miniſtrauerint, tanquam praeſentes ſint, ac diuinis interſint, in cathedrali, vel collegiata habeantur.*

Interpretes decretalium plures alias exceptiones addere ſolent: ſed ſine canone loqui erubeſcat canoniſta.

T I-

[redacted]

TITVLVS V.

DE PRAEBENDIS ET DIGNITATIBVS.

§. XC.

Definitur beneficium generatim.

Natales huius vocis *beneficii* prout apud nos viget, in iure feudali ſunt inquirendi. Quae enim *munera regia* olim nuncupabantur, ea deinceps *beneficiorum* et *feudorum* nomine veniebant. Vnde factum eſt, vt ea etiam bona, praedia, et iura illis adnexa, quibus clericus ex eccleſiae liberalitate ad vitae dies frueretur, nomen beneficii acceperint, quod orta feudorum adpellatione in ſacro ſolum foro ciuitate donatum eſt.

Car. du Fresne gloſſ. lat. voc. *munus regium, beneficium.* Apud Francos adpellatione *beneficii* veniebat omne *ius vtendi, fruendi bonis pro officio conceſſum.* Mvratorivs *in antiquitat. ital. diſſert. XI. col.* 554.

§. XCI.

Et beneficium eccleſiaſticum ſpeciatim.

Atque tale *beneficium*, quod *eccleſiaſticum* dicitur, *ius* definitur *perpetuum quoscunque fructus ex eccleſiae bonis percipiendi propter ſpirituale officium auctoritate eccleſiaſtica adnexum.* Habes in hac deſcriptione totam, vti par eſt, beneficii eſſentiam, quae I.) quidem ſita eſt in *officii natura*, quod *ſacrum* ſit, ſeu *ſpirituale:* inde vulgatum illud, *beneficium datur propter officium. cap.* 15. *de reſcript. in* 6. et vt ait SYNOD. TRID. *ſeſſ. XXI. cap.* 3. *de reform. beneficia ad diuinum cultum, atque eccleſiaſtica munia conſtituta ſunt.* II.) *In iure fructus percipiendi.* Oſtendam vero dein, quando ius hoc mutatis ſcilicet temporibus exortum ſit. III.) *In perpetuitate*, quae tam diuturna ſit, ac vita beneficiarii. IV. Denique in *auctoritate eccleſiae*, ſeu epiſcopi, ſeu pontificis, vt ea aliquatenus ſalua perſiſtat, et ex eorum manibus et ſacra munia, et poſſeſſiones a clericis accipi videantur. Quorum ſi vnicum abſit, iam non beneficium proprie tale ſed irregulare concipimus.

Van ESPEN. *P. II. ſect. III. tit. I.* Aliter quidem theologi beneficium eccleſiaſticum definiunt; verum ſiue canoniſtarum, ſiue theologorum definitio teneatur, in idem recidere videtur: cum et noſtra definitio ſat exprimat ipſum officium, ſeu miniſterium eccleſiaſticum eſſe principale, atque ius percipiendi fructus eſſe acceſſorium. Inde conſequitur 1) laicos incapaces miniſterii ſacri *a beneficiis* eccleſiaſticis omnino *excludi.* 2. Neque *penſiones*, quae ex reditibus eccleſiaſticis cuipiam adtribuun-

[redacted]

buuntur, neque *praeſtimonias*, ſeu ſtipendia ex iisdem detracta ad alendos ſtudioſos, aut milites in ſacro bello beneficiorum vere talium numero adſcribi poſſe. Nec. 3) *canoniam ſimplicem*, quae eſt *ius habendi ſedem in choro, et vocem in capitulo* per ſe beneficii nomine venire; quia poteſt dari ſine praebenda ſeu beneficio.

§. XCII.

Quod etiam nomine praebendae venit.

Alio vocabulo beneficia haec etiam *praebendae* vocantur: quamuis reuera olim, et hodiedum diſcrimen inter vtraque agnoſcatur. Ceterum vox ipſa originem ex profanae militiae vſu traxiſſe certum eſt.

Capitvl. Reg. Franc. *addit. III. cap.* 112. *apud Baluz. tom. I. col.* 1178. *cap.* 8. *h. t.* In quo pontifex inter *beneficia* et *praebendas* minorum clericorum diſtinguit, et reapſe inter ſe differre liquet ex eo, quod 1.) beneficium ius certos eccleſiaſtico officio iure perpetuo adſignatos reditus percipiendi deſignet, praebendae vero generatim acceptae notione veniat omne id, quod ex communibus etiam bonis clericis ad ſuſtentationem vitae praebetur. Et hoc in ſignificatu canonici quoque in communi vita aeque, vt monachi viuentes *praebendas* habuere; non beneficia poſt diſceſſum a vita communi demum erecta. Qua de cauſa beneficia diſtinctas praebendas vocat pontifex in *cap.* 10. *de conceſſ. praebend.* Deinde 2) *beneficia* ad certum numerum ſunt reſtricta, contra *praebendae proprie dictae* determinatam quantitatem non habent, vt adeo plures poſſint eſſe canonici, quam beneficiati. Negari tamen nequit: has voces pedetentim promiſcue fuiſſe ſumtas, ut patet ex *cap.* 17. *h. t.* vbi per *praebendale beneficium* praebenda quo-

quoque intelligitur. Add. *cap.* 29. *h. t. et cap.* 32. *de verb. ſignif.*

§. XCIII.

Beneficiorum ratio diuerſa fuit.

Non vna, eademque ſemper fuit in eccleſia beneficiorum ratio. Cum tamen vtile, imo pene neceſſarium ſit non tantum de moderna, ſed etiam de priſtina circa beneficia diſciplina eſſe inſtructum, vt ex hac notitia facilius ipſe eccleſiae ſpiritus, qui ſemper praecipue adtendendus, percipi poſſit, rem ab origine repetendam eſſe duximus.

§. XCIV.

Aevo apoſtolorum.

Iis, qui eccleſiae ſeruiunt, ſubſidia vitae omnia deberi ipſe quidem APOSTOLVS I. COR. IX. 7. ſeq. ex *lege naturae*, *ex moſaica*, ex *diuina* denique CHRISTI *lege* inuictis totidem argumentis demonſtrauit. Quamuis autem apoſtoli, eorumque diſcipuli, vt plurimum a iuſtiſſimis vitae commoditatibus conſiliorum euangelicorum tenaces abſtinuerint, nec ſibi, nec aliis in vinea domini certum ſtipendium conſtituerint, ne, quod S. PETRVS I. *epiſt.* *II.* admodum diſſuadet, turpis lucri gratia eccleſiaſticam gerere praefecturam videretur, *iure* tamen *ſuo* alimentum, ſiue ſuſtentationem vt loquimur, ab eccleſiis poſtulare potuiſſent.

Id

[redacted]

Id quod D. Pavlvs pluribus argumentis euincit *cit. loc.*

§. XCV.

Eorumque ſequacium?

Quod ſi igitur ad *priora* eccleſiae *ſecula* reſpicimus; in propatulo eſt, alias nec *clericis praebendas*, alia nec *beneficia* fuiſſe, praeterquam *ſportulas* eas, et *portiones*, quas ex communi penu, et maſſa oblatorum, atque poſſeſſionum epiſcopi ſuo arbitrio porrexerant, qui diſtributioni rerum temporalium cum iuſtitia, et charitate praeſidebant. Deinde vero in oeconomos, diaconos et archidiaconos hanc curam deuoluebant, ita tamen, vt has omnes epiſcopus ipſe ex cleri ſui collegio deligere, eis normam totius regiminis praeſcribere, atque ad rationes reddendas adigere poſſet, vt ergo non imminuta, ſed ſarta tecta ſeruata ſit epiſcoporum auctoritas.

Concil. Gangrens. *can.* 7. *et* 4. Antioch. *can.* 24. Chalcedon. *can.* 26. Const. Apost. *lib.* 8. *cap.* 30. Thomas. *P. III. lib. II. cap.* 1. *ſeq.*

§. XCVI.

Pauperes cum clericis etiam in partem diſtributionis veniebant.

Eam autem viri ſanctiſſimi in diſpenſandis rebus eccleſiaſticis tenuerunt rationem, vt cum *clericis* ſimul et *pauperes* pro merito, et mo-

modo quemque ſuo ad partes legitimas vocarent. Vigente enim illibata frugalitatis lege a PAULO commendata, et his a CYPRIANO verbis declarata *lib. I. epiſt.* 10. *quod ſibi ad victum, atque veſtitum neceſſarium fuerit*: quo aleret, et veſtiret eccleſia pauperes, ſemper abundabat. Satis quoque manifeſtum eſt, clericis, vt pauperibus, parce erogatum fuiſſe, vt non egerent, non vt abundarent.

CAN. APOST. *XL.* CONST. APOST. *lib. VIII. cap.* 30. 31. S. CYPRIAN. *lib. III. epiſt.* 24. IVSTIN. M. *apolog. II.* THOMAS. *loc. cit. cap.* 12.

§. XCVII.

Poſtea vero facta eſt diuiſio bonorum.

Felicior fuit hic eccleſiae ſtatus, quam vt eum ferre potuiſſet peruerſa mortalium conditio. Vt enim inualeſcenti auaritiae, cupiditati et pauperum negligentiae obuiaretur, noua ſane, ſed neceſſaria iuris antiqui remiſſione opus fuit, qua priſcam in pauperes diſciplinae pietatem magis, magisque deminutam, minime auctam fuiſſe experientia demonſtrat. Cum itaque prius epiſcoporum erat arbitrari, quid, quantumue ad clericos ſuos, et pauperes alendos, aliosque neceſſarios ſumtus impendendum foret, introducta iam fuit *ſeculo V.* in *quatuor partes redituum diuiſio*, modusque diſpenſandi ita determinatus, vt ſumma quidem cum poteſtate epiſcopus diſpenſationi rerum eccleſiae praeeſſet, canonicae tamen portionis legi, qua cautum eſt, *vt bona eccle-*

[redacted]

eccleſiaſtica in epiſcopum, in clerum, in ſarta tecta, et pauperes aequatis portionibus diſtribuantur, ſeruiret.

Auctores fuere SIMPLICIVS, et GELASIVS, pontifices relati in *cauſ. XII. q. II. can.* 23 *ſqq.* Quare autem quarta ſoli epiſcopo obueniret? Hanc rationem GELAS. *epiſt. X. reddit: quod ſcilicet peregrinos et captiuos* (nobiliores) *excipere deberet.*

§. XCVIII.

Eaque nullo pauperum diſpendio.

Quamuis autem ſancitum ſit eccleſiae decretis, vt quarta ſaltem redituum pars pauperibus erogetur, ideo beneficiarii memores apoſtolicae mediocritatis, neceſſario eſſe contenti adſueſcant, *reſidua egenis* diſtribuere, luxumque et abundantiam defugere, ne obliuiſcantur. Vna enim conſtat, et eadem natura harum partium, atque totius: vtque ante partitionem, ita et poſtea pauperum eſt tota ea ſubſtantia. Haec eccleſiaſticae diſciplinae conſtantiſſima ſunt placita, nec vllis temporum vicibus, nec partitionum quibuscunque legibus mutabilia.

Interim veriſimillimum eſt, locum non fuiſſe quadripartitae illi diſtributioni, niſi quinto demum ſeculo. Nil aliud demonſtrant priorum ſeculorum teſtimonia, quam epiſcopum ſummo iure ſacros reditus diſpenſaſſe nulla certa conſtrictum lege, niſi caritatis. S. AMBROSIVS *offic. lib. II. cap.* 21. imo in orientali eccleſia nec ſeculo V. haec diuiſio obſeruabatur. CYRILL. ALEXAND. *tom. V. P: II. p.* 211.

§. XCIX.

§. XCIX.

Eadem bonorum diuiſio vbique recepta eſt.

Haec piorum redituum partitio *ſeculo ſexto*, et *duobus conſequentibus* non apud *italos* modo, et *gallos*; verum etiam *hiſpanos*, et *germanos cum rom. pontificum*, tum *conciliorum opera* continuata fuit. Cumque illa epiſcoporum auctoritate ſtabilita fuerit, nunquam res eccleſiaſticas diſpenſandi poteſtas eorum manibus excidit: qui ſuum adeo eſſe putabant, vt ſub *ſeculi VI.* initium praediola quaedam iure *uſusfructus* non clericis tantum, ſed laicis etiam concederent, ea tamen lege, vt eccleſiam ſemper bonorum iſtorum dominam agnoſcerent, ad quam etiam mortuo poſſeſſore cum omnibus acceſſionibus et ſtatu meliore reuertantur. Quamquam vero non niſi grauibus de cauſis repetebantur, irreuocabilia tamen cenſeri non poterant: neque enim certis vnita officiis erant, ſed precario tenebantur; vnde ipſis quoque haec nata ſunt nomina *precatoriae*, *precariae*: et quia vitae neceſſaria praeſtarent, etiam *praeſtariae* dicebantur. Ad hoc vsque aevum recurrunt, qui beneficiorum eccleſiaſticorum antiquitatem determinant: quorum videlicet quamdam imaginem in minuſculis hoc genus praediis deprehendi non immerito ſentiunt.

THOMAS. *P. III. Lib. II. cap.* 14. *ſeqq.* SYMACHVS *pap. epiſt. V.* relatus a Gratiano *cauſ. XVI. q. I. can.* 61. CONCIL. AGATHENS. *can. VII. XXII. XXXVI. LIX.*

[redacted]

LIX. Avrel. I. *can. XXIII.* Avrel. III. *can. XVII. cauſ. X. q. II. can.* 1. *ſeqq. cauſ. XII. q. II. can.* 32. *et* 35. *cauſ XVI. q. III.* *can.* 11. Ceterum admodum rarae fuere hae conceſſiones; neque lege ordinaria, ſed tamen ex ſingulari aliqua neceſſitate, aut ob ſingularia perſonae alicuius merita factae.

§. C.

Paulatim vero non faciem mutauit modo.

Adtamen haec epiſcoporum auctoritas ſub *ſeculi IX.* exordium non nihil labefactari coepit, quandoquidem ea non adtenta praedia, de quibus ſupra dictum eſt, in clericos, et canonicos, xenodochia, et templorum fabricam transferri coeperunt. Ita quidem quadripartitae diſtributionis forma, qualis prioribus quatuor ſeculis ſub epiſcoporum auſpiciis, et deinceps pontificum maxime, atque conciliorum curis obtinuerat, non periit omnino; ſed tamen immutata eſt adeo, vt alia prorſus videretur.

Thomas. *loc. cit. cap.* 19. *ſeqq.*

§. CI.

Sed fere exuit.

Inſtabilis ſemper, et fluctuans beneficiorum diſciplina poſt viciſſitudines iſtas nondum poterat conſolidari. Nam clerico, qui forte in demortui locum venerat, moleſtum et odio-

ſum videbatur nouis precibus epiſcoporum pro reditibus adire. Igitur ipſo inſuper habito ius percipiendi fructus ſuos intra limites adiudicatum erat presbyteris inualuitque tandem axioma iuris: *parochi habent fundatam intentionem ad percipiendos prouentus intra fines ſuarum parochiarum prouenientes.* Sic abiit ſubito in ius tituli, quod nuper *perſonale* dicebatur: et pedetentim per eccleſias commigrans vbique domicilium fixit.

VAN ESPEN *p. II. ſect. III. tit.* 1. ſequuta ſunt capitula tum cathedralia, tum collegiata, in quibus canonici, abiecta regularis vitae communitate, vt lamentatur TRITHEM. *chron. hirſaug. ad an.* 977. agros communes inter ſe partiri, et in titulum beneficii ſibi vindicare auſi ſunt. Add. IVO. CARNOT. *epiſt.* 69.

§. CII.

Vnde beneficii perpetuitas orta eſt.

Quid multis! ſicut feuda annorum ſucceſſu ita naturam permutarunt, vt perpetua quodammodo fierent, et dum haeres ſuperſtes eſt, vaſallo mortuo non exſpirent: ſic *beneficia* quoque *eccleſiaſtica*, quae olim ex *nutu epiſcopi* dependebant, officio cuidam ſacro perpetuo adnexa, perinde *aetatem* ferunt *indeterminatam*; neque facere epiſcopus poteſt, vt, qui muneris incommoda ſuſcepit, ne commoda eius percipiat.

Vnde beneficia, quae vocant, *manualia* ad nutum conferentis conceſſa: *Vicaria temporalis*, ſeu adminiſtra-

ſtatio beneficii curati: *Commenda temporalis* bonorum eccleſiaſticorum ad tempus commiſſa, aliaque eiuſmodi temporaria iura beneficiis proprie talibus accenſeri nequeunt.

§. CIII.

Diuiduntur beneficia I.) *in curata et ſimplicia.*

Recenſuimus abunde beneficiorum naturam, et originem, vt eorum claſſes nunc ſpectemus, ordinis ratio poſtulare videtur. Atque duplex illorum genus ſtatuitur: in primo quidem ea continentur, quae paſſim *curata* vocamus propterea, quod *ſacrum tribunal internum reſpiciant, curamque animarum, et conſcientiae moderationem coniunctam habeant.* Sunt alia, quae nonniſi *improprie* hoc nomine inſigniri merentur, quae *negotia eccleſiaſtica in tribunali, ſeu foro externo, et contentioſo curant, vimque et auctoritatem ſuam exſerunt.* Ad genus alterum pertinent ea, quae *non curata*, vel *ſimplicia* audiunt, cum neque ad populum, neque ad clerum curas ſuas conuertere debeant.

Cap. 28. *et* 38. *h. t. cap.* 8. *et.* 16. *cod. in* 6. Ad ſimplicia in regula referuntur canonicatus eccleſiarum cathedralium. et collegiatarum, nec non capellae, et capellaniae. Rebuff. *prax. benef. tit. ſecul. benef. quotup.* du Fresne *gloſſ. lat.* voc. *capella, capellanus, capellania.* Thomas. *de vet. et noua eccleſ. diſc. p. I. lib. II. cap.* 91. *ſeqq.* van Espen. *p. II. ſect. III. tit. I. cap.* 4.

§. CIV.

Dantur II.), quibus dignitas, perſonatus, aut officium adnexum eſt.

Cum ius canonicum inter *beneficia*, de *dignitatibus* etiam, et *perſonatibus*, de *adminiſtrationibus*, *officiis*, et *praebendis* modo *cura oneratis*, modo *liberis* mentionem faciat, pronum eſt, II.) ex hoc capite aliud beneficiorum diſcrimen formare, eorum ſcilicet, *quibus adnexae ſint dignitates, aut perſonatus, vel quae nudo adhaereant officio. Dignitas* vero eſt, vbi cum *beneficio iurisdictio quaedam externa cohaeret. Perſonatus* dicitur, ſi *eminentia, vel praerogatiua beneficium illuſtret.* Et cui *ſimplex rerum eccleſiaſticarum cura committitur*, is gerit *officium.*

Cap. 18. *de fil. presbyt. cap.* 1. *de conſuet. in* 6. *clem.* 4. *h. t.* Synonimice vero quandoque in ipſo iure canonico voces *perſonatus*, et *dignitatis* vſurpantur, *cap.* 8. *de conſtit. cap.* 8 *de reſcript.* Nihilominus tamen in aliis textibus a ſe inuicem diſtinguuntur. *cap.* 28. *h. t. cap.* 11 *de reſcript. in* 6. Licet autem ſynonimice quandoque accipiantur, reuera tamen non ſolum nomine, ſed et reipſa differunt. Si enim ad apices iuris, imo ad praxin reſpiciamus, tum demum dignitas proprie ſic dicta adeſt, ſi perpetuo *beneficio*, et *titulo* illa adhaeret, ſimulque cum adminiſtratione coniuncta eſt. VAN ESPEN *p. II. ſect. III. tit. I. cap.* 2. *§.* 12. *et* 13.

§. CV.

§. CV.

Quod antiquitati fuit incognitum.

Haec quidem beneficiorum diuiſio *antiquis* inaudita fuit; tum enim alia excellentia, eminentia alia haud noſcebatur, niſi quam ordinum diuerſitas dederat. Neque tum etiam, quum vitam canonici communem agerent, dignitatis, et perſonatus nomina in beneficiis reponebantur; ſed nuda erant officia ex ſuperiorum voluntate, et nutu pendentia. Verum communi hac viuendi ratione ſublata, introductisque beneficiis coeperunt ea, quae ſpectata origine duntaxat fuerunt nuda *officia* in *titulos beneficiales* erigi, et ſenſim etiam in *dignitatès* praeſertim in Germania degenerare, vbi clerici maioribus eminendi deſideriis acti, non pro ordinum vtique, et functionum, ſed quadam iurisdictionis magnitudine ſeſe efferre ſatagebant. *Perſonatus*, qui ex labentis diſciplinae ruinis ſurrexit, ante ſeculum XI. ignotus.

Van Espen *loc. cit.* Iuuat hoc loco aliquam dignitatum obiter notitiam dare, quae pro eccleſiarum tum cathedralium, tum collegiatarum conſuetudine erat varia. Plerumque digniorem in choro, congregationibus, ſacris proceſſionibus locum adferunt, interdum etiam veſtium diſcrimine noſcuntur, plerumque opimis ſe reditibus commendant. Sunt vero *dignitates*, vel *capitulorum*, vel *eccleſiarum cathedralium*. Ad priores referuntur: *Praepoſitus*, *decanus*, *cantor*, *ſcholaſticus*, *theſaurarius*, *canonicus*, *theologus:* ad poſteriores, *archidiaconus*, *archipresbyter*, *poenitentiarius*, *officialis*, et *vicarius*

generalis epiſcopi. Verum quod ſupra monui, varia eſt eccleſiarum conſuetudo *cap. 6. de conſuet.* VAN ESPEN. *p. I. tit. XI. cap.* 1 *et tit. XII. cap.* 1. *ſeqq.* Praeclare hanc in rem SYNOD. TRID. *ſeſſ. XXIV. cap.* 12. *de reform. dignitates in eccleſiis praeſertim cathedralibus ad conſeruandam augendamque eccleſiaſticam diſciplinam fuerunt inſtitutae, vt, qui eas obtinerent, pietate praecellerent, aliisque exemplo eſſent.* Et S. BERNARDVS ad epiſcopos quidem, et praelatos, nec minus ad quosuis id genus honoribus conſpicuos, ſed etiam ad omnes in dignitate conſtitutos dixit: *honorificabitis autem* (miniſterium) *non cultu veſtium, non equorum faſtu, non amplis aedificiis, ſed ornatis moribus, ſtudiis ſpiritualibus, operibus bonis.*

§. CVI.

Diuiduntur III.) *in ſecularia et regularia.*

Cum inter canonicos alii ſeculares dicerentur, alii regulares, beneficia etiam, quibus gaudebant, diſcrimen hoc ſequebantur, quare III.) eorum aliqua *ſecularia*, aliqua *regularia* nuncupantur. Illa ſunt, quae *a clericis poſſidentur, qui nulli religioſorum ordinum nomen dederunt*: et in dubio etiam eſſe praeſumuntur talia, niſi forte capellae ſint, quae vocant, in monaſteriis conditae. *Regularia vero ſunt*, quae vel *ordini religioſo addicta* vel a *regularibus teneri debent, tum quia ipſius beneficii natura, ſeu ſpecialis fundatorum voluntas, vel etiam praeſcriptio ita ferunt.*

TRID. SESS. *XIV. cap.* 10. *et* SESS. *XXI. cap.* 21. *de regular.*

§. CVII.

[redacted]

§. CVII.

Orta inde regula.

Ex hac ipſa vero diſtinctione celebrata haec regula proficiſcitur: *beneficia regularia regularibus, ſecularia ſecularibus clericis ſunt conferenda.* Per ſe igitur nemo monachorum parochiarum adminiſtrationi idoneus cenſetur. Vid. FAGNAN. *ad cap. 5. de ſtatu monach.* nec opinioni contrariae vlli patrocinantur canones, ne quidem ii, quos GRATIANVS *diſt. XVI. q. I. can.* 21. 25. S. AMBROSIO et BONIFACIO P. perperam tribuit. Nullum certe veſtigium, ſi eruditos hodie conſulimus, monachos in parochias vocandi moris, nec *VII. nec VIII. ſeculo* ádparet. Quare non immerito etiam INNOCENTII III. auctoritas concidit, qui plus iuſto, cum ad antiquos canones prouócaret, GRATIANO credidit. Praeclara potius eſt reclamatio *concilii chalcedonenſis p. III. act. XV. can.* 4. epiſcoporum igitur imperio parochiis praefici regulares poſſunt. Quae generalis regulae exceptio tridentino non improbata. Imo ſi placet eccleſiae, ad epiſcopatum ipſum euehi poſſunt. In eo tantum nonnulli haeſitant, ſitne pontificis romani diſpenſatio neceſſaria, nec ne?

* Vid. GONZALEZ. *in comment. ad c. 5. de ſtat. monach.* Adde TOMAS. *p. I. lib. III. cap.* 13. *ſeqq.* FLEVRII *inſtit. iur. eccleſ. p. II. c.* 19. Atque haec regula omnibus canoniſtis probata in variis fundatur textibus iuris. *cap. 5. et 32. de praeb. in 6. clem. vn. de ſuppl. negl. prael.* add. *cap.* 27. *de elect.* TRID. *ſeſſ. XIV. cap.* 10. *de reform. et ſeſſ. XXII. cap.* 2.

[redacted]

ſed tamen diſputant non pauci, an temporis *immemorialis*, an cum titulo XL. annorum poſſeſſio faciat, vt beneficium ſeculare in regulare conuertatur? Maior eſt controuerſia, an ius ex inſtrumento manifeſtum de ſuis quemdam beneficio praeficiendi apud regulares continuo extinguatur, ſi XL. annis ipſi ſuperſedentes vnum, pluresque ex interuallo clericos ſeculares ſibi ſuffecerint. Quaeſtio eodem in caſu etiam controuerſo moueri ſolet. vid P. BOECKN. *h. t. num.* 10. *ſeqq.*

§. CVIII.

Sunt IV.) *compatibilia et incompatibilia.*

Quamprimum remiſſum eſt de reſidendi rigore; quod fieri tum maxime debuit, cum plura vni beneficia conferri coeperant: noua rurſum ſe dabat diſtinctio. IV.) Alia quippe inter ſeſe concordia, alia diſcordia ſunt: illa nomine barbaro, *compatibilia*, haec vero *incompatibilia* dicuntur. Huius generis ſunt ea, quae *totum ſingulatim hominem, omnemque eius operam, et ſtudium ſibi vendicant:* quare immobilem quamdam reſidendi neceſſitatem inducunt. Quae cum maior eſſe, minorque pro beneficii natura poſſit, inde diſtinctum fuit inter *primi*, et *ſecundi generis incompatibilia.* Alterius ordinis exiſtimantur, quorum *tanta non eſt impatientia, vt ſtare vnum cum altero nequeat.*

VAN ESPEN *p. II. ſect. III. tit. III. cap.* 4. vbi §. 8. oſtendit, diſtinctionem hanc incompatibilium per TRID. *ſeſſ. VII. cap.* 4. *de reform.* non eſſe ſublatam.

§. CIX.

§. CIX.

Et incompatibilium duo ſunt genera.

Iam vero *incompatibilia primi generis* dicuntur, quorum *tanta eſt inuicem diſſenſio, vt ad ſecundum accedere non poſſis, quin hoc ipſo vacare primum incipiat. cap.* 28. *et clem.* 3. *extr. com.* 4. *h. t.* Mutuam hanc beneficiorum intolerantiam deprehendimus in duobus curatis, in dignitatibus duabus, in totidem perſonatibus; imo in curato etiam vno vna cum dignitate ſiue in eadem ſiue in diuerſis eccleſiis. Quin duo etiam *vniformia*, licet ſimplicia ſint ſub vno, eodemque tecto exiſtentia *cap.* 9. *de conceſſ. praeb. clement.* 6. *h. t.* conſequutus enim beneficium alterum, ipſo iure amiſit primum. *Secundi generis incompatibilia* ea vocantur, quorum *ſocietas quidem non poteſt ſubſiſtere, adtamen ſecundi pacifica conſequutione priore non continuo ipſo iure poſſeſſor excidit.* Atque inde eſt, cur incompatibilia quoad retentionem nuncupentur.

Vt cum ſcholis loquamur, beneficiorum incompatibilitas oritur ex triplici capite (1) ratione *reſidentiae*, quia vtrumque exigit reſidentiam incompoſſibilem, vti ſunt duo epiſcopatus, duae dignitates in diuerſis eccleſiis, duo canonicatus, vbi viget diſpoſitio tridentini, reſidentiam nouem menſium praecipientis. (2) ratione *ſeruitii*, quia vtrumque eodem tempore ſeruitium, vel miniſterium eccleſiaſticum requirit. Et haec quidem *natura ſua incompatibilia* eſſe facile conſtat. Alia vero (3) ita diſponente iure eccleſiaſtico *ratione ſuſtentationis ſufficientis incompatibilia* cenſentur, quum clericus

duo beneficia habere nequeat, quorum quodlibet congrua alimenta praebet, licet obligationi ſatisfacere poſſet. TRID. *ſeſſ. XXIV. cap.* 17. *de reform.*

§. CX.

Ex pluralitate illorum autem multa oriuntur mala.

Beneficia *compatibilia*, quemadmodum paulo ante memoratum eſt, ea ſunt, quae copulationem quamdam non detrectant. Etſi nihil explicatius canones antiqui de iis referunt, operoſum tamen non eſt intelligere, quid ipſi mallent, cum vnum clericum pluribus eccleſiis praefici prohibeant. Ipſa *recta ratio* ex multis capitibus a *beneficiorum pluralitate abhorret.* Inprimis enim beneficiis ſingulis officia aeque ſingula adnectuntur. *can.* 1. *diſt. LXXXIX.* ita vt vnum officium vix digne valeat aliquis adimplere *cap.* 1. *de conſ. in* 6. Eſſene igitur quidquam a SS. *canonum aequitate* magis *alienum* poteſt illo *beneficiorum congeſtu*, qui hodie ex abuſu in vſum fere iam abiit? *cap.* 3. *de cler. non reſid. extr. execrab.* 4. *int. com. h. t*, Denique quid ſit? Pia fundatorum voluntas defraudatur, et vni decoctori *paratur vagandi materia*, *diuini cultus minuuntur*, *hoſpitalitas in ipſis beneficiis debita non ſeruatur. Extr. cit.* Eſſene rectius quid poteſt diui THOMAE ſententia? *quod lib. IX. quaeſt. VII. art.* 11. pluralitas beneficiorum adnumeranda eſt actionibus, quae abſolute,

[redacted]

lute, et in ſe conſideratae deformitatem, et inordinationem quamdam important.

Niſi ergo circumſtent cauſſae, quibus haec inordinata penitus abſtergantur, aduerſus beneficiorum multitudinem ius naturae ſententiam tulit, quidquid fauor. et conſuetudo contra perorent. S. Thomas. *loc. cit. vid.* omnino Concil. Chalced. *can.* 10. *ſynod. oecum. VII. can.* 15. *cauſ. XXI. q. I. can.* 2. Quare etiam, atque etiam videamusne ante praeſtitam hanc cautionem aut a conſuetudine, aut a fauore, diſpenſationeque palpum nobis obtrudi patiamur. Nam vt ait Panorm. ad *cap.* 22. *de elect. diſpenſatus etiam per papam* ſine cauſa tutus non eſt quoad eccleſiam triumphantem. Neque pontifex aliter faciens, vti Fagnan. differit ad *cap.* 8. *de cler. non reſid. n.* 65. foret *diſpenſator*, ſed *diſſipator.* Ceterum ſuper pluralitate beneficiorum ſolus papa diſpenſat ex ſtylo curiae rom. cui introducendo non parum fauit concilium lateran. ſub Innocent. III. *in cap.* 28. *h. t.*

§. CXI.

Illi adtamen aliquae cauſae fauent.

Verum quaenam ſunt illae cauſſae, quibus circumſtantibus plura ad vnum beneficia coire poſſunt? Eas D. Thomas *loc. cit.* explicat. *Neceſſitas* vera, non ficta; *eccleſiae vtilitas* (Synod. oecvm. *VII. can.* 15. Synod. Emeritens. *can.* 19.) et *mens* fundatoris non contraria. At cum ſacris perinde, ac profanis hominum ambitio, et auaritia abuti ſoleat, quid mirum, ſi ſacris canonibus ſeruitutem ſibi fauendi impoſuerint? Quid mirum, ſi a *commendis*, et vnionibus, quarum vſus

priſcis

priſcis eccleſiae temporibus rectiſſimus erat *can.* 3. *cauſ. XXXI. q. I.* colorem pro ſe mutuarint? Quid mirum, ſi defendendae iniquitati ipſa legum propugnacula obiecerint? Quod factum eſt ſane *ſeculo* potiſſimum *IX*, et *ſequentibus*, vbi tantum ſibi ſumſerunt, vt beneficii etiam curati vicarios conſtitui poſſe contenderent. Sententiae perniciofiſſimae pallium praebere debuit regula a Gregorio IX. in *cap.* 54. *de elect.* ſtabilita: *vnam eccleſiam parochialem inſtitutam, alteram commendatam habere permittens.* Acceſſerunt immaturae nimis, et immoderatae diſpenſationes, quas a concilio Lvgdvn. I. teſtante *cap.* 3. *de off. ord. in* 6. probari, a Clemente V. tamen, et Ioanne XXII. *in extrauag.* 2. *et* 4. *h. t. inter com.* minime commendari videas.

Synod. Paris. *an.* 829. *can.* 49. Concil. Lateran. *ſub Alexand. III. can.* 14. *cap.* 3. *de cler. non reſid. cap.* 15. *h. t.* Van Espen. *p. II. ſect. III. tit. III. cap.* 2.

§. CXII.

Adulterinis vero concilium tridentinum praecipue obuiauit.

Quo latius itaque corruptela iſthaec dominabatur, eo communius erat eccleſiae ſtudium, vt potenter vbique contra iretur. Vetuſtiſſimarum aetatum, et pontificum ſollicitudines non commemorabo: quanti fuerint Concilii Tridentini conatus, vt omnes *abuſus* e medio tollerentur, luculenter adparet ex eius-

dem

[redacted]

dem decreto condito in *ſeſſ. XXIV. cap.* 17. *de reform. Quod in quibuscunque perſonis, quocunque titulo, etiamſi cardinalatus honore fulgeant, mandat obſeruari, vt impoſterum vnum tantum beneficium eccleſiaſticum ſingulis conferatur. Quod quidem ſi ad vitam eius, cui confertur, honeſte ſuſtentandam non ſufficiat, liceat, nihilominus aliud ſimplex ſufficiens, modo vtrumque perſonalem reſidentiam non requirat, eidem conferri. Haec quae non modo ad cathedrales eccleſias, ſed etiam ad alia omnia beneficia tam ſecularia, quam regularia, quaecunque etiam commendata, pertineant, cuiuscunque tituli, ac qualitatis exiſtant.*

Add. *ſeſſ. VII. cap.* 2. *et* 4. *de reform.* Ergo auctoritate *concilii tridentini* non omnis omnino beneficiorum adcumulatio ſimpliciter, et promiſcue fuit proſcripta.

§. CXIII.

V.) *Sunt electiua et collatiua.*

Quum denique duo modi ſuperſint adquirendi beneficia per ſolemnem electionem, vel ſimplicem dationem, quae donationis, vel prouiſionis ſpeciem praeſefert, et *collatio* nominatur. V.) Inde diſtinctio quinta beneficiorum naſcitur, quae *electiuorum* eſt, et *collatiuorum.* De electione autem iam ſupra *lib. I. tit.* 6. diſſeruimus. Reſtat, vt hic de collatione agamus.

§. CXIV.

§. CXIV.

Collatio definitur et diuiditur.

Collatio proprie dicta definitur *adſignatio, ſeu conceſſio vacantis beneficii ab eo facta, qui poteſtatem habet.* Haec *ſi nullius praeſentationi ſit obnoxia, libera* vocatur: contra vero, ſi *neceſſitatis vinculo conſtricta ſit, vt obtemperari debeat patronorum praeſentationi non libera*, ſeu etiam *inſtitutio* nuncupatur. Differt collatio ab electione, et praeſentatione in eo, quod illa ante captam iam poſſeſſionem *ius in re* conferat. *cap.* 17. *h. t. in* 6. Inde regula haec oritur: *beneficia eccleſiaſtica non poſſunt obtineri ſine inſtitutione canonica, cap.* 1. *de regul. iur. in.* 6.

Beneficia etiam per praeſcriptionem improprie talem absque b. f. obtineri poſſe, modo nec ſimoniace, nec per vim ſit obtenta, tum rationes praeſcriptionem propriae talem alias exigentes, tum *reg. cancell. XXXVI.* vtpote in Germania receptae euincunt. VAN ESPEN. *p. III. ſect. III. tit. IX. cap.* 3. *et.* 4.

§. CXV.

Quae primario et ex ſe ad epiſcopos pertinet.

Procul dubio eſt, *primario* quodam, et iure quaſi *naturali collationis ius* ad *epiſcopos* pertinere, Vnde firmiſſimum eſt robur illius regulae: *iuris communis diſpoſitione, primaeuoque, eccleſiae vſu omnia beneficia quan-*

docun-

[redacted]

docunque, et quomodocunque vacantia ad epiſcopi, ſeu ordinarii loci collationem ſpectare. Quamdiu enim beneficiorum, et SS. ordinum fraterna ſocietas erat, alterum ſine altero conceſſum ab epiſcopis non fuit. Quare iidem ſimul ordinum, ſimul beneficiorum collatores habebantur, et erant.

Thomas. *vet. et nou. eccleſ. diſcip. p. II. lib. I. cap.* 33. *ſeqq.* van Espen. *p. II. ſect. I. tit. IX. cap.* 2. *et ſect. III. tit. IV. cap. I.* Quibus in locis hanc adſertionem noſtram plurimis argumentis ſolide demonſtratam inuenies.

§. CXVI.

Adhibito cleri conſilio.

Vt vero epiſcopi in miniſtrorum electione ſecuritatem eccleſiae praeſtarent, cleri etiam ſui conſilium adhibuerunt, imo ipſius adeo populi teſtimonium de moribus, et vita ordinandorum audiendum exiſtimarunt. Concil. Carthag. *IV. can.* 22. ſed populo deinde excluſo *ſeculo XII.* ſoli cathedralium canonici velut ſenatores epiſcopi ſe gerebant; atque ex hoc principio nulla ſine ſuo conſenſu beneficia conferri permiſerunt, cui conforme eſt, quod Alexand. III. in *cap.* 4. *de his, quae ſiunt a prael.* ſcribit: poſtea collationes illae aeque, ac ipſa bona eccleſiarum pro locorum varietate varie diuidebantur. Eſt vbi epiſcopus, eſt vbi capitulum; eſt denique vbi coniunctim conferunt.

§. CXVII.

§. CXVII.

Praeſertim in eccleſiis cathedralibus.

Maiorem in modum mixtum hoc conferendi ius in *beneficiis cathedralibus* probatur. Quid enim aequius eſſe poteſt, quam vt epiſcopus, et capitulum, qui corpus veluti vnum efficiunt cum de canonici, id eſt, noui membri electione agitur, vna ſuffragium ferant *cap.* 15. *de conceſſ. praeb. cap. vn. ne ſed. vac. in 6.* Verum eligendi modus in diuerſis eccleſiis diuerſus eſt.

ZYPAEVS. *iur. nou. tit. de praeb. num.* 4. ex eadem ratione iure communi electio canonicorum eccleſiarum colleg. ſpectare videtur ad canonicos vna cum ſuo decano, aut illo, qui cum canonicis vnum corpus conſtituit; quamuis et aliquando hoc ius ad ſolum praepoſitum pertineat.

§. CXVIII.

Adtendendus tamen eſt vſus ſingularum eccleſiarum.

Verum in hac beneficiorum collatione adtendendus eſt *vſus ſingularum eccleſiarum*, qui ſiue ex *iure communi*, ſiue *ſpeciali fundatione*, ſiue *legitima praeſcriptione*, *aut priuilegio* originem habeat, ſeruandus eſt: cum hic nonniſi de diſciplinae momento agatur, quae pro temporum, et bonorum varietate varia eſſe poteſt.

Quid-

Quidquid id eſt, hoc tenendum, reor, ſemper eſſe debere aliquam, et praecipuam auctoritatem epiſcopi ſiue libera eorum collatio ad alios eſſet deuoluta, ſiue per ius patronatus, aliumue titulum reſtricta. *cap.* 3. *de inſtitut.*

§. CXIX.

Summo pontifici falſo tribuitur poteſtas illimitata conferendi beneficia.

Ante *XI. ſeculum* alium nemo collatorem beneficiorum, quam ordinarium nouerat: rationem ſupra §. 115. adtulimus. Primus inter rom. pontifices ſurrexit *Clemens IV*, qui hanc ſibi poteſtatem vindicabat decretali ſua praecipiens, *vt eccleſiarum, perſonatuum, et dignitatum, aliorumque beneficiorum eccleſiaſticorum plenaria diſpoſitio ad rom. pontificem noſcatur pertinere, quoque non ſolum ipſa cum vacant, poſſit de iure conferre; verum etiam ius in ipſis tribuere vacaturis.* Ex iſta, et aliorum pontificum conſtitutione, quae falſis Iſidori decretalibus potiſſimum innitebatur, tandem enata eſt peruerſa decretaliſtarum ſententia, vniuerſam beneficiorum poteſtatem, qua late patet orbis, in manu pontificis eſſe. Inde venerunt tot *mandata de prouidendo, gratiae expectatiuae, reſeruationes, regulae cancellariae,* aliique ſpecioſi, quos curia rom. excogitauit, tituli, quare epiſcoporum in conferendis beneficiis auctoritas diuino iure ipſis tributa, vix non extincta, malaque innumera in eccleſia excitata ſunt.

 Van

Van Espen. *p. II. ſect. III. tit. VI. cap. I. ſeqq.* Thomass. *loc. cit. cap. 43. ſeqq.* Franc. Dvarenvs *de SS. miniſter. lib. III. cap. I.*

§. CXX.

Quae ei nec vi primatus.

Non ignoro, primatum S. Petro, eiusque ſucceſſoribus a Christo eſſe conceſſum. Sed quae exinde fluit poteſtas tota, quanta eſt, ad vnitatis eccleſiae conſeruationem, et ad aedificationem comparata ſit, oportet. Quaenam autem horum ſit cum illa poteſtatis plenitudine connexio, experientia docuit. Pertinet *vi primatus* ad romanum pontificem leges, et canones condere, quatenus digne, et rite conferantur beneficia, ſtatuere poenas in indigne conferentes etc. non autem iura epiſcoporum interuertere.

Vide *lib. I. tit. de aetat. et qual. ordin.*

§. CXXI.

Nec vi decretalium adtribui poteſt.

Equidem in libris decretalium plura occurrunt loca, quibus praeciſe definitum eſt, illimitatam eſſe papae poteſtatem in conferendis beneficiis *cap. 2. h. t. in 6. clem. 1. vt lite pendent. nih. innou.* Veneramur, vt par eſt, ſummorum pontificum decretales, ſi tamen hae

[redacted]

hae lubrico epiſtolarum Iſidorianarum fundamento nitantur, et ſyſtemati eccleſiae aperte aduerſentur, quod ſapientiſſimus eius conditor ita coordinauit; vt ſalua maneant et iura primatui ſedis apoſtolicae divinitus adnexa, et epiſcoporum, quos itidem Spiritvs sanctvs poſuit regere eccleſias ſuas particulares, auctoritas earundem corruat neceſſe eſt. Fruſtra igitur ſunt ii, qui id genus quaeſtiones in corpore iuris canonici, auctoritate quadam infallibili deciſas eſſe ſibi, et aliis perſuadere conantur.

In ipſis decretalibus latent veſtigia haud obſcura huius iuris antiqui epiſcopalis. *cap.* 1. *de capell. monach. cap.* 3. *de inſtit. cap.* 12. *de haeret. cap.* 16. *de offic. iud. ord.* Ergo qui epiſcopum a beneficiorum collatione excludere, eiusque collationem reſtringere praetendit, titulum probare debet, alias in dubio pro epiſcopo eſt iudicandum.

§. CXXII.

Imo nec laici iuris conferendi beneficia incapaces dici poſſunt.

Sunt qui ius conferendi beneficia, cum ſacrum ſit, profanis omnino hominibus denegant. Hi vero ſcholaſticis ſubtilitatibus innutriti, cum falſiſſimas ſibi *de hoc iure conferendi* opiniones comparauerint, mirum non eſt, ſi etiam perperam ratiocinentur. Si paulo maiorem cum optimis hiſtoricis familiaritatem, penitiorem corporis iuris canonici notitiam alerent, nullo negotio intelligerent, *ius* hoc vtpote *leg*

dininae non repugnans a plurimis PRINCIPIBVS pridem eſſe exercitum.

Ius conferendi beneficia laicis non poſſe competere explorati iuris eſſe aiunt, eo, quod hoc ius ſit poteſtatis ſpiritualis; at ſi prius determinetur quid per *ius conferendi* intelligatur, rem omnino extra dubium poſitam fore exiſtimo. Quid quod plurimi principes ius hoc *pleno iure* iam exercuerint, ex hiſtoria, et corpore iuris canonici praeſertim eccleſiaſtici Hungarici ſatis adparet.

§. CXXIII.

Beneficia conferenda ſunt dignis.

Vt beneficio quisquam potiatur, DIGNVS omnino ſit: indigno enim ſi conferatur, nemo negauerit, nullam eſſe collationem *cap. 22. de elect. et cap. 7. 14. eod. in 6. cap. 1. de inſtit. in 6. cap. 7. de cler. excom.* Hinc generatim requiritur I.) *iuſta aetas, vt nullus in epiſcopum eligatur, niſi qui iam trigeſimum aetatis annum exegerit. cap. 7. de elect. vt nemo deinceps ad dignitates quascunque, quibus animarum cura ſubeſt, promoueatur, niſi qui ſaltim 25. ſuae aetatis annum adtigerit.* TRID. SESS. *XXIV. cap. 12. de reform. et cap. cit. Ad ceteras autem dignitates, vel perſonatus, quibus animarum cura nulla ſubeſt, clerici alioquin idonei, et 22. annis non minores adſcribantur.* TRID. *loc. cit. vt nullus denique prima tonſura initiatus, aut etiam in minoribus ordinibus conſtitutus ante 14. annum beneficium obtinere poſſit.* TRID. SESS. *XXIV. cap. 12. de reform.* II.)

Com-

Competens morum probitas, et ſcientia, vt in clericali ordine verſatus doctrina ad ſuum munus exequendum neceſſaria, ac morum integritate commendetur. Trid *loc. cit.* Inſtructus ergo quiuis eſſe debet iis dotibus, quas tum natura beneficii, cum ius eccleſiaſticum ſcriptum, vel non ſcriptum, vel etiam ſtatuta capitulorum requirunt.

Quum omnes dignitates, quin et canonicatus in eccleſiis cathedralibus inſtituti ſint, vt in regimine eccleſiae epiſcopo opera, et conſilio adſiſtant. Trid. *ſeſſ. XXII. cap.* 2. *de reform.* non immerito declarauit, *vt quicunque poſthac ad eccleſias cathedrales erit adſumendus, ſcientia eiusmodi polleat, vt muneris ſibi iniungendi neceſſitati poſſit ſatisfacere, ideoque antea in vniuerſitate ſtudiorum magiſter, ſiue doctor, aut licentiatus in SS. theologia, vel iure canonico merito ſit promotus, aut publico academiae teſtimonio promouendus ad eccleſiam cathedralem idoneus ad alios inſtruendos, et docendos oſtendatur.* Sed non omnes capiunt verbum hoc; van Espen *P. III. ſect. III. tit, II. cap.* 1. *ſeqq.*

§. CXXIV.

Adtamen praeferendi digniores.

Imo ſi rem ex animarum emolumento, et rationis dictamine ſpectamus, digniores *etiam*, ſi modo adſint, dignis in beneficiorum aditu praeferendos eſſe, definitum opinor. Ideo Fagnan. *ad cap. 8. de conſuet. num.* 19. ait: *omnia iura clamant, vt meliores, et ſanctiores eligantur*, qua obligatione patroni etiam laici obſtringuntur. Quod ſi negligatur melior, et *digno* conferatur, iura humana ſtatuerunt,

electionem, collationem, et inſtitutionem ſacerdotiorum validas eſſe, alias omnis collatio, et electio, calumniam, lites, et controuerſias habere poſſet.

Ceterum difficile eſt comparatae dignitatis gradus in quouis caſu determinare. Interea tamen CONCIL. TRID. *ſeſſ. XXIV. cap.* 18. *de reform.* Generales adſignat notas, eum definiens praeficiendum eſſe, *qui aetate, moribus, doctrina, prudentia, et aliis rebus ad vacantem eccleſiam gubernandam opportunis ceteris magis idoneus iudicatus fuerit* In hac autem idoneitate determinanda debet adtendi bonum commune eccleſiae, vtilitas totius dioeceſeos, beneficii qualitas, locus, tempus, aliaeque circumſtantiae expendendae: *volo homines dare beneficiis, et non beneficia hominibus* altiſſime cordi inſculpendum. Fit ergo, vt *magis doctus* non ſemper cenſendus ſit *magis dignus* S. THOMAS 2. 2. *q.* 63. *art.* 2. *et* ESPEN. *P. II. ſect. III. tit.* 14. *cap.* 3. *et* 4.

§. CXXV.

Quod conuenit diſpoſitioni concilii tridentini.

Quantum cordi fuerit CONCIL. TRID. vt non niſi DIGNIORES ad munus paſtorale, et eccleſias vocentur, quam maxime patet ex *ſeſſ. XXIV. cap.* 18. *de reform.* vbi ſtatutum fuit, *vt epiſcopus, ſi qua orbata ſit paſtore eccleſia, et qui ius patronatus habet intra* 10. *dies, vel aliud tempus ab epiſcopo praeſcribendum, idoneos aliquot clericos ad regendam eccleſiam coram deputandis examinatoribus nominet. Liberum ſit tamen aliis, qui aliquos ad id aptos nouerint, eorum nomina deferre, vt poſſit poſtea de cuiuslibet aetate, moribus, et ſuf-*

ſufficientia fieri diligens inquiſitio, et ſi epiſcopo, aut ſynodo provinciali pro regiminis more videbitur magis expedire per edictum etiam publicum citentur, qui volunt examinari. Peracto examine ait porro Trid. *renuncientur idonei - - ex his epiſcopus eum eligat, quem ceteris magis idoneum iudicauerit, vt illi, et non alteri collatio eccleſiae ab eo fiat, ad quem ſpectabit eam conferre.*

Noluit tamen S. Synodvs nouo euocandi genere, id eſt per *edictum publicum* legitimae vocationis regulas a DD. iam pridem praeſcriptas infringere, aut regulam Paulinam vulnerare ad Hebr. *cap. V. v. 4. Nemo ſumat ſibi honorem, ſed qui vocatur a Deo tanquam Aaron:* ſed veluti ſubſidio hanc formam miſit, ita quidem, vt pro temporum ratione permittere eam potius, quam abſolute probare videatur. Quis enim adprobabit clericorum ad beneficia praeſertim curata curſitationes, et ſollicitudines. Notum enim eſt ex S. Thoma 2. 2. *q.* 100. *art.* 5. *ad* 3. *ſi aliquis pro ſe rogat, vt obtineat curam animarum, ex ipſa praeſumtione redditur indignus.* At experientia docet, mores a ſaluberrima doctrina non raro diſcedere.

§. CXXVI.

Eum in finem concurſum requirentis.

Equidem generali expreſſione cum omnibus clauſulis, quas ampliantes vocant, ſatis inſinuauit Trid. Synod. *loc. cit.* ſe velle, vt forma concvrsvs praeſcripta in cuiuscunque eccleſiae parochialis prouiſione, quantum conditio temporum ferret, ſeruaretur. At neſcio, quo fato contigerit, vt nimium frequens

alias fauorum extenſio hoc in caſu locum non inuenerit. Subtilibus enim renitente legum ratione interpretationibus factum eſt, vt a neceſſitate concurſus eximerentur I.) Eccleſiae, in quibus cura animarum ſpectat ad eccleſiam collegiatam, et cura exercetur per canonicos, vel alios clericos. II.) ſi cura ſit penes capitulum, aut monaſterium, vel aliquam dignitatem, quam vero vicarius gerat, quem *amovibilem* dicimus. III.) ſi eccleſia parochialis adnexa eſt dignitati; idemque dignitate auctus ipſemet curam ſuſcipiat. IV.) ſi quis parochialem eccleſiam reſignet coram Pontifice in *fauorem* certae perſonae, aut permutatio fiat beneficii. V.) ſi eccleſia ſit iuris patronatus mere laicalis: quae omnes exceptiones, et fors aliae, an conformes ſint menti concilii hanc formam concurſus praeſcribentis, vt diligentius ac ſeuerius ſaluti animarum prouideretur? Alii viderint.

Sed quid ſi eccleſia parochialis quidem ſit vnita, et incorporata alicui monaſterio, aut capitulo, vel dignitati, ſed cura actualis ſit penes vicarium perpetuum, qui inſtar veri beneficiati inſtituatur? vid. van ESPEN. *P. II. ſect. III. tit. V. cap.* 2.

§. CXXVII.

Ceterum conſuetudo recipiendi canonicos nobiles tantum non eſt omnino improbanda.

Multo maior videtur eſſe conniuentia in canonicorum electione, vbi ſaepe diligentius

ad

[redacted]

l SANGVINIS PRAEROGATIVAM, quam meitorum perſonalium commendationem adtentur. Sunt equidem nonnulla canonicorum llegia, quae iſtud nobilitatis examen ex ipſa ndationis origine eruere conantur. Conſueidinem hanc reieciſſe quidem videtur GREOR. IX. *cap. 37. h. t.* quae tamen conſuetudo, el ſtatutum, ſi praeter gentis vetuſtatem requae adſint animi dotes, cur ſit improbanım nulla cauſa eſt. MOLAN. *lib. II. de canon. ıp. 29.*

§. CXXVIII.

Quid in Germania de hac materia alio loco.

Dicendum hoc loco etiam eſſet *de concorttis nationis germanicae, reſeruationibus, anrtis, primariis precibus*, niſi haec omnia alio m loco occupata fuiſſent.

Id. DISSERT. NOST. *principiis Iuris eccleſiaſtici Germaniae.*

TITVLVS VI.

DE CLERICO AEGROTANTE VEL DEBILITATO.

§. CXXIX.

Clericis aegrotantibus vel alio modo impeditis ſubſtituuntur coadiutores.

Ne miniſtris eccleſiae aegrotantibus, vel debilitatis per amotionem a beneficio noua addatur adflictio, et alii exemplo territi a diuino miniſterio abſterreantur, eccleſia ſollicita, et miſericors mater ab omni retro aetate prouide ſtatuit, vt beneficiato cura animarum gravato, et canonice inſtituto, quem labores, ſenium, morbusue tanto oneri impoſterum ferendo imparem reddiderant, alius clericus ſub nomine VICARII, ADMINISTRATORIS, vel quod receptius eſt, COADIUTORIS ſubſtituatur, et ſaluo manente omni iure, quod antea habuit, percipiendi fructus, in adiutorium adiungatur.

Apud

Apud GRAT. *c. VII. q. I. per tot. cap.* I. *h. t. nec obſtat cap.* 4. *h. t. et cap.* I. *de aetat et qualit. praeſ.*

§. CXXX.

Qui ſunt vel temporanei vel perpetui.

Sunt autem coadiutores ex natura impeditae adminiſtrationis, cuius ſubleuandae cauſa conſtituuntur *temporanei*, et *reuocabiles* ceſſante ſcilicet impedimento, deſtituti iure ſuccedendi in praelatura, ſi vacauerit, vel *perpetui*, ſi impedimentum ſit perpetuum, et quidem vel ſine vel cum ſpe ſuccedendi mortuo coadiuto, quod hodie frequentius eſſe ſolet.

Vide ſupra *Lib. I. tit. XXIX.*

§. CXXXI.

Quique in ſubſidium vocantur.

Eſt ergo COADIVTOR *perſona eccleſiaſtica digna, et habilis, quae beneficiato canonice inſtituto, in exercitio autem curae animarum pro ratione beneficii vel ad tempus, vel ad dies vitae legitime impedito ab eccleſia eum in finem ſubſtituitur, vt eum adiuuet, vicesque eius gerat, et ſuppleat in miniſterio, et ſeruitio ſacro.*

Recentior diſciplina genus aliud coadiutorum inuexit, qui a pontifice dari ſolent praelatis minime impeditis; imo etiam non raro inuitis, et reipſa nil aliud ſunt, quam deſignati ſucceſſores in euentum prae-

praelaturae vacantis ſine vlla praeuia adminiſtratione, alioue onere. vid. ſupra *loc. cit.*

§. CXXXII.

Cum ſpe etiam futurae ſucceſſionis.

Abhorruiſſe eccleſiam omni tempore a ſucceſſione haereditaria in praelaturis, aliisque beneficiis nemo niſi omnis antiquitatis eccleſiaſticae ignariſſimus ignorat. Adtamen a via veritatis quam longiſſime aberraret ille, qui propterea omnem coadiutoriam etiam perpetuam cum certa SPE FVTVRAE SVCCESSIONIS coniunctam genuinis principiis iuris publici eccleſiaſtici repugnare contenderet, ſcrupulum omnem adimit deciſio CONCIL. TRID. *in ſeſſ. XXV. cap. 7. de reform.* ita ſonans: *Quod ſi quando eccleſiae cathedralis, aut monaſterii vrgeat neceſſitas, aut euidens vtilitas poſtulet praelato dari coadiutorem, is non alias cum futura ſucceſſione detur, quam haec cauſa prius diligenter a S. rom. pontifice ſit cognita, et qualitates omnes in illo concurrere certum ſit, quae a iure, et decretis huius ſanctae ſynodi in epiſcopis, et praelatis requiruntur.* Et ne mera verba dare videatur S. SYNOD. ſubiicit clauſulam valde energicam, vi cuius *alias conceſſiones ſuper his factas ſubreptitias eſſe declarat.*

Quamquam TRID. *loc. cit.* de coadiutoriis perpetuis eccleſiarum cathedralium, et monaſteriorum vnice loquatur, conceditur tamen *in ſeſſ. XXI. cap. 6.* etiam epiſcopis, *vt illiteratis, et imperitis parochialium eccleſiarum rectoribus, ſi alias honeſtae vitae ſint,*

[redacted]

ſint, coadiutores aut vicarios pro tempore deputent, partemque fructuum eidem pro ſufficienti victu adſignent, vel aliter providere poſſint.

§. CXXXIII.

Nec deſunt exempla in eccleſia orientali.

Annales eccleſiaſticos euoluenti, non deſunt epiſcoporum exempla, qui viribus fracti in extrema ſenectute adiutores ſibi adſciuerant. NARCISSVS quidam epiſcopus hieroſolymitanus ſenex annorum omnino centum anno poſt ſeculum ſecundum duodecimo ALEXANDRVM elegit CAPPADOCIAE tum epiſcopum, qui modo coadiutor, deinde etiam ipſi ſuccederet. Perinde a MACARIO factum eſt eiusdem vrbis epiſcopo: is MAXIMVM optauit epiſcopum dioſpolitanum, quem ſubinde ciues hieroſolymitani interim pro adiutore, ſed futurum poſtea ſucceſſorem habebant.

EVSEB. *lib. VII. cap.* 11. SOZOMEN. *lib. II. cap.* 18. THOMASS. *P. II. lib. II. cap.* 55.

§. CXXXIV.

Et occidentali.

Eadem ratione eccleſiae africanae lumen ad cathedram hipponenſem euectum eſt. Cum enim VALERIVS aegritudines, quae ſenectam comitari ſolent, paulatim ingraueſcere ſentiret,

ret, a primate carthaginenſi obtinuit, vt AVGVSTINVS in epiſcopum *conſecratus ei in cathedra non tam ſuccederet, quam vt epiſcopus accederet*, vt verba ſonant apud GRAT. *c. VII. q. I. can.* 12. Ipſe dein AVGVSTINVS etiam, dum in viuis eſſet, de ſucceſſore ſibi proſpexerat.

Sup. *lib. I. tit. XXIX.* POSSIDON. *in vit. Auguſt. cap.* 8. THOMASS. *loc. cit. cap* 56.

§. CXXXV.

Habita tamen ratione vel inſignis neceſſitatis vel eccleſiae vtilitatis.

Quae quum ita ſe habeant, facile omnes intelligent, vel inſignem NECESSITATEM, vel praeclaram eccleſiae VTILITATEM ſemper effeciſſe, vt coadiutores admitterentur. Nihil ergo neque exempla haec, neque decretum concilii eos iuuat, quorum adiutorium alio non ſpectat, quam vt ambitioni, et vtilitati propriae conſulant, & paſtore defuncto pro mercede gregem reportent.

§. CXXXVI.

Coadiutorum conſtitutio olim erat penes Metropolitanum.

Quemadmodum vigente antiqua eccleſiae orientalis, et occidentalis diſciplina ius omne eli-

eligendi, confirmandi conſecrandique epiſcopos penes METROPOLITANVM SYNODVMQVE PROVINCIALEM ſtetiſſe indubitata monumentorum eccleſiaſticorum fide conſtat, ita ipſemet epiſcopus ſenio, infirmitateque confectus epiſcoporum comprouincialium iudicio, et metropolitani auctoritate ſibi coadiutorem cooptabat, vt adeo hoc in negotio ea tempeſtate pontificis nullas fuiſſe partes ſatis inter omnes conueniat exceptis iis epiſcopatibus, quorum praeſules vicaria pontificis auctoritate praefulgebant.

Thomass. *loc. cit. cap.* 57. 58. de Marca *de concord. S. et I. lib. VI. cap.* 8. Prohibet quidem Antioch. Synod. *can.* 23. ne epiſcopi ſuos ſibi ſucceſſores adſciſcant, cauerat quoque Concil. Nicaen. *I. cap.* 8. ne vna in vrbe duo ſint epiſcopi. Minime tamen legitima coadiutorum conſtitutio in caſu neceſſitatis erat reprobata, quam omnium prouinciarum vſus adprobauerat. *ſup. loc. cit.*

§. CXXXVII.

Hodie vero penes pontificem.

Verum aeuo ſequiori curia rom. adiutores creandi poteſtatem inter *res arduas*, et *maiores*' repoſuit, nouamque iuribus pontificiis acceſſionem fecit. Quare Bonifacivs VIII. qui equidem doctrinam hanc de *cauſis arduis* non inuenit, hunc tamen caſum adplicationis

op-

opportunitate in *cap*. 1. *h. t. in 6*. veſtigiis prae-deceſſorum ſuorum inhaerendo ex earum numero non excluſit.

De Marca *loc. cit. cap.* 8. *et* 9. Thomas *loc. cit. cap.* 56. *ſeqq. ſup. loc. cit.* §. 571.

§. CXXXVIII.

Et quidem perpetuorum.

Poſtquam per *cap. 2. et 3. de conceſſ. praeb.* et Trident. *ſeſſ. XXIV. cap.* 19. *de reform.* gratiae expectatiuae, quas vocant, ſublatae fuerant, atque inconſulto, et abnuente pontifice nulli prorſus beneficio COADIVTOR PERPETVVS concedi poterat: in propatulo eſt, quam adſtricta epiſcoporum, quam extenſa pontificis ſit potentia. Remiſſius non nihil de coadiutoribus temporariis agitur; ſi epiſcopos, et praelatos exemptos excipias, quibus etiam pontifex coadiutores temporarios conſtituendi ius ſibi vindicat. Quod ſi vero ipſorum eccleſiae Roma longius diſtent, epiſcopus cum adſenſu capituli, vel ſi ipſe mentis ſit impotens, capitulum, vel duae ipſius partes coadiutorem decernunt. Tum autem, cum epiſcopus impar eſt officio, ſimulque impatiens coadiutoris, ea de re pontificem conuenire oportet.

Cap. vn. h. t. in 6. cap. 3. *et vlt. h. t.* Trid. *ſeſſ. XXI. cap.* 6. *de reform.* quaeſtionem illam, an coadiutor

cum

[redacted]

cum ſucceſſione a papa dari valeat? More decretaliſtarum egregie reſoluit P. Wiestner *h. t. num.* 16.

§. CXXXIX.

Qui regulariter iisdem gaudent iuribus ac coadiuti.

Cum adiuti vbique vices adiutor gerat, ſeu *ſpiritualia*, et *ſacra*, ſeu *profana*, et *temporalia* agantur, per ſe conſequitur, quod pari avctoritate, poteſtateque vbique ſit praeditus. Et fieri quoque ſic amat, niſi poteſtati limites arctiores circumtendat pontifex, vel quisquis is eſt, qui coadiutorem probauit. Hinc litterae apoſtolicae, et, ſi non niſi temporarius epiſcopo eligatur adiutor, capituli mens adcurate inſpiciatur. Praeterea quaedam ſunt a iure communi excepta, quae violare nefas foret. Ita vlli conferre beneficium, aut momenti maioris negotium ſuſcipere ſine adiuti conſenſu nequit: cui etiam, vel capitulo de rebus geſtis reddere rationem tenetur.

Cap. 5. *h. t. et cap. vn. eod. in* 6. *cap. vlt. de off. vic. in* 6. *cap.* 81. *de reg. iur. in* 6. Fagnan. *in cap.* 5. *h. t. num.* 4. Quaeritur, an cum futura ſucceſſione, et libera adminiſtratione epiſcopo datus coadiutor ea, quae iurisdictionis ſpiritualis, et temporalis ſunt, exercere valeat eo, cui datus eſt inuito. Vid Wiestner. *h. t. num.* 24.

§. CXL.

Nec non eadem dignitate ſub diuerſo tamen reſpectu.

Lis poteſt oriri duplex de dignitate coadiutoris. Vel enim in eccleſia, aut capitulo ADIVTOR cum CLERICIS concurrit, qui ordine et conditione infra *adiutum* ſunt poſiti, vel cum COADIVTORIBVS ALIIS, et tum locum ſui principalis occupat. Vel contra iis immiſcetur, qui principali ipſi conditione non cedunt, et tum hos inter locum capit poſtremum. Rationem hanc adferunt iuris canonici interpretes: quia illi radiis fulgent propriis, is vero non niſi mutuatis, ſeu alienis.

GARZIA *de benef. p. IV. cap. V. num. 65. ſeqq.* Aliquando tamen aliud adhuc intuitu extraneorum coadiuto non ſubiectorum faciendum eſt diſcrimen iuxta diuerſitatem functionum. In aliquibus enim praerogatiua datur intuitu qualitatis perſonalis: in aliis vero iuxta praerogatiuam ipſius dignitatis.

§. CXLI.

Congrua quoque portione ipſis adſignata.

Quandoquidem pondus vniuerſum regiminis adiutori incumbit, nihil aequius eſt, quam vt laborum ſuorum fructus percipiat. Quod ſi tanta ſit redituum amplitudo, vt diuidi in vtrosque commode poſſit, in vtrosque ADIVTOREM videlicet, et ADIVTVM diuidatur: ſecus de facultatibus eccleſiae conue-

[redacted]

ueniens debet adſignari PORTIO. Verum ſingularis hic quaeſtio mouetur: vtrius maior habenda ſit ratio; an adiutoris, an adiuti, ſi de neceſſariis vitae ſubſidiis agatur. PANORMITANVS neutri defuturus ad *cap.* 4 *h t. num.* 6. nouam annuam exactionem pro adiutore parochianis imponit. Adtamen ab hac ſententia longiſſime abeſt TRIDENTINVM, quod ab epiſcopo vult, ſi annuam ipſe penſionem coadiutori adſignare nequeat, vt ſimplex illi beneficium conferat, quantum congruae quidem vitae ſuſtentationi ſufficiat. *ſeſſ. XXI. cap.* 4. *et* 6. *de reform.*

Cap. vn. h. t. in 6. cap. 3. *h. t.* aliud dicendum, ſi absque praeſente adminiſtrationis onere ad futuram ſolum ſucceſſionem coadiutor deſtinetur; tunc enim emolumenta ipſi ex coadiutoria nulla competere aequitas ſuadet.

§. CXLII.

Hoc vero munus variis modis ceſſat.

Coadiutoris ceſſatio *quatuor* potiſſimum caſibus eſt obnoxia: quorum duo ab adiuto, duo ab adiutore dependent. 1.) quidem emoritur munus hoc poſt *mortem* adiuti ſeu *veram*, ſeu *ciuilem*. 2.) poſt receptam ab eo *virium integritatem*. 3.) Si coadiutor ſponte ſe munere *abdicet:* aut 4.) denique ad illud obtinendum ſubito *inhabilis* reddatur, moriaturue. Ceterum per ſe ſatis patet, *temporarium* hic intelligi *coadiutorem.*

§. CXLIII.

In Germania varia circa coadiutores obtinent. IMO.

I.) *Germaniae* praeſules adiutores ſibi adſumunt primario *cum ſpe ſucceſſionis*, non ſenectutis maxime, et imbecillitatis leuamento. Ire inficias non poſſum ab antiquis hac cauſa quam longiſſime hodiernis moribus receſſum eſſe. Verum enim vero ſua quoque commoda perpetuae id genus coadiutoriae in Germania habent, modo *dignitatis*, et *virtutis*, *vtilitatis*, ac *ſalutis eccleſiae* potior, quam *ſanguinis ratio* habeatur.

PET. de MARCA *de concord. S. et I. lib. VI. cap. VIII. §. 9.* PET. LEVRENIVS *de vic. epiſc tract. II.* Fauor adiutoris, et gratia gentis cuiusdam illuſtris, ambitio quoque, et ſuffragiorum conductio, et captatio ſpei ſuccedendi haud raro inter rationes mouentes adiutorem conſtituendi eſſe ſolent.

§. CXLIV.

II DO.

II.) Cum igitur apud germanos non raro adiutores *cum ſpe ſuccedendi* epiſcopis adiungantur, vt diſſidia, aliaque mala vtrique reipublicae *ſede vacante* vehementer nocitura auertantur; patere exiſtimo, eos epiſcopo ſuperſtite neque in profana, neque in ſacri regiminis ſocietatem venire, proindeque aliud *non conſequi ius*, quam quod ſcholae *ad rem*

eſſe

eſſe dicunt. Siue igitur eccleſiam, et dioeceſin, ſiue ſecularem ſpectemus prouinciam, adiutoris quieſcit, et ſuſpenſa eſt auctoritas, quamdiu epiſcopus viuit. Exſpirante tandem eo adiutor confeſtim ipſo iure ſuccedit, et absque vlteriori electione eccleſiae, et reipublicae regimen auſpicatur.

§. CXLV.

IIItio.

III.) Quemadmodum vero capitula germaniae priſcum ſuos antiſtites eligendi morem tenaciter ſeruant, vt excluſa pontificis prouiſione, et exule omni regum nominatione ſuos ſibi praeſules eligere poſſint: ita penes ea tantum poteſt eſſe auctoritas *adiutores in ſpem ſucceſſionis* adſciſcendi. Ipſi quidem epiſcopi vt plurimum capitula commonere ſolent ad cooptandum eiuſmodi adiutorem perpetuum. Quod ſi vero conſenſum detrectent impertiri, illis quoque inuitis capitula adiutorem, et ſucceſſorem adiungere poſſunt.

Concord. Nat. Germ. *§. III.* Haud ignoro, eſſe pleroſque, qui exiſtimant conſenſum epiſcopi abſciſſe neceſſarium eſſe. Levrenivs *loc. cit tract. II. cap. 4. q. 365.* concedo decens eſſe illum rogari, nihilominus tamen nullus dubito adfirmare, etiam inuito, et conſenſum ſine cauſa detrectante praeſule eius ſucceſſorem a capitulo, ſi euidens eccleſiae bonum id poſtulet, deſignari poſſe. Fagnan. *ad cap. 5. h. t.*

§. CXLVI.

IV TO.

IV.) Sed quamuis germani PONTIFICIS ROMANI *prouiſionem* detrectent, illius tamen *auctoritatem*, *confirmationemque* adhibeant neceſſe eſt: qui pro arbitrio adiutorem ſibi a praeſule, et capitulo oblatum admittere, vel repudiare poteſt. Poſtulationum enim, et adiutorum probatio, admiſſioque merae gratiae, et iuris imperfecti eſſe cenſetur. Verum quid ſi curia romana praeſentatum ſibi adiutorem repudiat? Tum nouus a capitulo ſucceſſor nominabitur, nominatumque pontifex confirmabit, adeoque ex ipſo nunquam ſtabit, qualis potiſſimum detur, ſed qualis potiſſimum probetur.

LEVRENIVS *loc. cit. q.* 359. Hinc in precibus pontifici pro admittendo tali adiutore offerendis nulla *electionis et poſtulationis* mentio facienda, ſi ſtylum curiae rom. ſequi oportet, ſed humiliter petendum eſt, vt pontifex dignetur coadiutorem, in quem epiſcopus, et capitulum conſenſerint, concedere, ſuoque confirmare decreto. Si papa conſenſerit in coadiutoriam cum iure ſucceſſionis admittendam, adiuuandus autem ante expeditas, et datas apoſtolicas litteras fuerit mortuus, aut reſignauerit, litteras apoſtolicas impetrantem nullatenus iuuare cenſeo deficiente coadiutoria, eique adnexo iure ſuccedendi. Si vero poſt litteras iam equidem datas, et expeditas, ſed tamen prius quam fuerint praeſentatae adiuuandus e vita, aut beneficio diſceſſerit, locum eſſe ſucceſſioni adſerimus, cum in gratiae reſcriptis *datae*, non praeſentatae, tempus reſpiciatur. *cap.* 7. *de reſcript.* vid.

D

P. BOECKN. *ad h. t. num.* 9. *et.* P. WIESTNER *h. t. num.* 18.

§. CXLVII.

V TO.

V.) Equidem oſtendimus, ſucceſſorem epiſcopi eſſe deſignandum *capituli electione*, *et conſenſu*, quem in hoc electionis extraordinariae maximi momenti negotio aeque ac in ordinaria capitulariter ponendum eſſe iura, et ratio dictant. Vocandi igitur ſunt omnes capitulares, et collegialiter congregandi, vt conſenſum ſuum per pluralitatem ſuffragiorum, quae ſaltem in electione coadiutorum regularium ad mentem concilii tridentini *ſeſſ. XXV. cap 6. de regular.* deberent eſſe ſecreta, manifeſtent, et declarent.

LAVRENIVS *cit. loc. q.* 356. aliique, qui magno agmine eum ſequuntur, ſufficere putant, ſi de conſenſu capituli qualitercunque dato ſatis conſtet, quod ab omni iuris ratione mihi alienum eſſe videtur. Niſi me omnia fallant, in tota hac materia coadiutoriarum perpetuarum nimium ſtylo curiae romanae indulgent decretalium doctores.

§. CXLVIII.

Ceterum poteſtas pontificis circa coadiutorias minores valde eſt reſtricta per concordata nationis Germaniae.

Quae hactenus dicta ſunt, vti ſupra iam monuimus, ad *electiuas* praeſertim, et *maiores*

res eccleſiarum dignitates pertinere adparet. Quum vero in beneficiis etiam collatiuis adiutores cum ſpe ſuccedendi frequenti vſu inualeſcere poſſent, de illis quoque paucis agendum. Hos adſciſcendi arbitrium ſibi ſoli vindicat pontifex romanus. Cum vero concordata nat. germ. quascunque gratias *praeuentiuas*, *exſpectatiuas*, *reſeruationes*, *ac collationes*, *et quasuis diſpoſitiones ordinariorum ius*, *et collationum interuertentes*, et in ſex menſibus papae non reſeruatis impedientes excludant, atque prohibeant: Quumque capitulatio quoque imperatoria hosce curiae rom. auſus ſeuere reprimat: facile intelligitur, vehementer *reſtrictam* atque arctis *circumſcriptam* limitibus eſſe in GERMANIA *pontificis* circa eiusmodi *coadiutorias* indulgendas *poteſtatem.* Hinc ſingulae, quas concedit, coadiutoriae irritae ſunt, et vanae, niſi beneficium menſe papali vacet, vel eius collatio ex alia cauſa ad ipſum pertineat.

Vid. *concord. nat. germ.* §. *V. in meo corp. iur. publ. et eccleſ. et* CAPIT. CAESAR. *art. XIV.*

TI-

[redacted]

TITVLVS VII.

DE

INSTITVTIONIBVS.

§. CXLIX.

Definitur inſtitutio, et quidem neceſſaria.

Inſtitutionis vocabulum latius, vel ſtrictius in iure canonico accipi ſolet. In ſenſu latiore quoscunque legitimos ad dignitates, et beneficia eccleſiaſtica perueniendi modos, electiones ſcilicet, poſtulationes, prouiſiones, collationes, nominationesue ambitu ſuo complectitur, de quibus omnibus intelligenda eſt decantatiſſima illa regula prima iuris in ſexto, *quod beneficia eccleſiaſtica ſine canonica inſtitutione legitime obtineri nequeant*; in ſignificatu ſtrictiore, et proprie nomine INSTITVTIONIS venit *conceſſio beneficii ad praeuiam praeſentationem facta*. Häec cum praeſentato, niſi canonicum obſtet impedimentum, ab epiſcopo negari nequeat merito *neceſſaria* nuncupatur. Alio etiam vocabulo *verbalis*, et *tituli collatiua* dicitur propterea, quod haec inſtitutio cum titulo beneficii clerico ſimul *ius in re* conferat, cum patronus praeſentando non niſi *ius ad rem* tribuerit.

Cap. 17. de praeb. in 6. cap. vlt. in fin. de conceſſ. praeb. in 6.

§. CL.

De qua I. agimus.

De *inſtitutione neceſſaria* agendum eſt primo: deinde duas ipſius ſpecies examinabimus; quarum altera *adprobationis*, altera *inueſtiturae* nomine innotuit.

§. CLI.

Illa vi legis 1. epiſcopo, 2. eius vicario generali, 3. capitulo competit.

Cum epiſcopis ordinariam muniorum non minus diuinorum, quam beneficiorum diſtributionem canones in manus dederint; huius vero inſtitutionis vi et ipſum beneficium, et titulus conferatur canonicus, adeoque eius opera clericus eccleſiae adſcribatur; nulla vnquam controuerſia fuit, quis praecipue inſtituendi ius ſibi vindicet. Canones eam primo loco tribuunt EPISCOPO. CONCIL. TRID. *ſeſſ. XIV. cap. 12. de reform.* conſonat *cap. 3 h. t. cap. 4. de offic. archid.* Deinde 2.) eiusdem VICARIO GENERALI etiam *ſine ſpeciali mandato cit. cap. 3.* Et deinde 3.) ius illud omne ſede vacante ad CAPITVLVM deuoluitur. *cap. 1. h. t. in 6.*

Vid.

Vid. P. Boeckn *ad h. t. num.* 5. ad quem vero epiſcopum inſtitutio clerici pertineat, cuius eccleſia in duarum dioeceſium limitibus ſita eſt, dubiam eſſe, variamque doctorum opinionem adſerit. P. Wiestner. *h. t. num. 6.*

§. CLII.

Ex priuilegio autem.

Eadem inſtituendi poteſtas ex diſpoſitione Concil. Trid. *cit. ſeſſ. cap.* 13. *et ſeſſ. XXV. cap.* 9. praelatis etiam inferioribus epiſcopo ex *priuilegio* competere poteſt. Inde eſt, cur abbatiſſae, aliaeque virginum ſacrarum praepoſitae clericos interdum pro paroeciis pleno ſibi iure ſubiectis inſtituant.

P. Wiestner *h. t. num.* 9. *ſeqq.*

§. CLIII.

Et ex conſuetudine etiam praelatis inferioribus.

Illud ipſum *conſuetudinis*, ſiue *praeſcriptionis* vigor omnino praeſtat: per hanc enim ius inſtitutionis non ſecus, ac liberae collationis adquiri poſſe colligitur *ex cap.* 6. *h. t.* neque multis ambagibus opus fuit, vt praelati inferiores hoc ius adquirant; cum enim inſtitutio ſit quidem ſpecies collationis, ſed neceſſariae, haud difficiles fuere epiſcopi eam aliis committere.

Cap. 7. de offic. archid.

§. CLIV.

§. CLIV.

Praeſentatus vero nec ad beneficium ſe ipſum inſtituere.

Quaeri ſolet, an *praeſentatus ad beneficium*, qui alias iure inſtituendi gaudet, ſe ipſum *inſtituere* queat? Dubium ſoluitur in *cap. fin. h. t.* vi cuius nec *praeſentatus* SE IPSVM *inſtituere, quia inter dantem et accipientem perſonalis diſtinctio intercedat oportet*„ nec ab ALIO a ſe DELEGATO *inſtitutionem* recipere poterit, quia *alius ius conferendi non habet*, quod nec delegatio dare poteſt, ne ipſe delegans per delegatum ſibi ipſi beneficium conferre videtur, et quod ipſi prohibetur per ſe ſe facere ab alio obtineat, quod *regula iuris* 72. *in* 6. fieri non ſinit.

Can. 9. *cauſ. VIII. q. I. cap.* 26. *de iur. patr. add.* WIESTNER. *h. t. num.* 13.

§. CLV.

Neque inſtitutio ſine praeuio examine.

Ne homines ignaui, et miniſterio ſacro inepti fauore, aliisque malis artibus in eccleſiam Dei irreperent SYNOD. TRID. conſulto ſanxit, ne deinceps praeſentatus, quiscunque demum patronus, et quodcunque *beneficium* foret, ante, quam *praeuio examine* rite probatus ſit,

ſit, inſtituatur, praeſentatis tamen, electis, ſeu nominatis ab vniuerſitatibus, ſeu collegiis generalium ſtudiorum exceptis.

TRID. *ſeſſ. VII. cap.* 13. *ſeſſ. XXIV. cap* 18. *ſeſſ. XXV. cap.* 9. *de reform.* Vſus, et conſuetudo decreta haec, quae ſuo quidem tenore ſine diſcrimine quorumuis beneficiorum competitores ad examen adigunt, hodie de beneficiorum curatorum candidatis fere vnice interpretatur.

§. CLVI.

Et edicto fieri poteſt.

Non paucis in locis viget mos ex conſtitutione BONIFACII VIII. *cap. fin. de elect. in* 6. EDICTVM *quoddam eccleſiae valuis, aliiue loco publico adfigendi, quo omnes, quorum intereſt, ſpeciatim etiam, et nominatim citantur, vt poſt certum temporis interuallum tanquam terminum*, quem vocant, *peremtorium, compareant;* ea videlicet expoſituri, quae fortaſſe aduerſus candidati inſtitutionem, cuius praeſentatio acceptata iam eſt, iure opponi poſſunt.

§. CLVII.

Nec diu differri debet.

Quamuis canones certum tempus peragendae inſtitutionis non definierint, collationibus tamen, et patronis beneficiorum eccleſiaſticorum *terminum peremptorium* optima ratione

ne praefixum eſſe ſatis inter omnes conuenit, ne ſcilicet ſalus animarum, eccleſiarumue periclitetur. Analogiae igitur iuris noſtri omnino congruit, ne inſtitutio in damnum eccleſiae vacantis diu protrahatur. Quare ſincerior illorum eſt ſententia, qui praeſentato, cui ius ad inſtitutionem iam patrocinatur, inſtituentis negligentiam, vel recuſationem ad ſuperiorem deferre concedunt, qui tempus nunc praeſtituat, eoque dein elapſo negligentiam quocunque modo ſuppleat.

GARCIAS *de benef. P. X. cap.* 4. *num.* 5. *et* 9. *et ſupra lib. I. tit. X.* ob hanc ipſam cauſam PIVS V. P. per bullam, quae incipit *in conferendis*, et extat in BVLLAR. MAG. *tom. V. num. XXXIII.* ſtatuit: vt quamuis ordinarie loquendo inſtitutioni praeſentatorum ad beneficium nullum a iure praefinitum ſit tempus, in parochialibus tamen, ſiue deinde ſint iuris patronatus eccleſiaſtici, ſiue laicalis, ſiue, mixti inſtitutio fiat intra bimeſtre a die praeſentationis computandum. Sane aequitas cauſſae pro receptione huius conſtitutionis pontificiae perorat.

§ CLVIII.

II. *Deſcribitur inſtitutio auctoriſabilis.*

Venit iam ea *inſtitutionis ſpecies*, *quae conſiſtit in conceſſione curae animarum*, et *auctoriſabilis* vulgo adpellari ſolet, quaeque praecipue in epiſcoporum eſt poteſtate, quia cum beneficio ſimul animarum curam tribuit. ADPROBATIONEM hanc vocant, *quae vna venit cum collatione, ſi epiſcopus ſimul collator ſit;* ſi

[redacted]

vero collatio ſpeciali iure ad alios perti-
eat, ſolius epiſcopi eſt, praemiſſo examine
uram animarum, ac praeſertim iurisdicundi
cultatem in ſacro tribunali beneficiato con-
dere, ſine qua profanum eſt diuina religio-
s diſpenſare.

§. CLIX.

Quae ſoli epiſcopo competit.

Haec inſtitutio arctius quam ſuperior illa
piſcopi officiis innectitur. Quum enim *epiſ-
opus* ſit poſitus a SPIRITU SANCTO *regere
cleſiam* DEI, *et gregi dominico ſibi diuini-
us commiſſo adtendere*, euidens eſt, quod
usdem *cura principalis* ei incumbat, et ne-
o alius, ſine eius nutu, et auctoritate in
rtem ſollicitudinis, et miniſterii ſacri ve-
re poſſit.

§. CLX.

*xcluſa omni conſuetudine, praeſcriptione,
vel priuilegio contrario.*

Sacroſancta SYNODVS TRID. ius hoc epiſ-
porum ipſius eccleſiae ſyſtemati coaetaneum
laque temporum iniquitate labefactatum pri-
ino ſuo vigori reſtituere, et tanta firmitate
llare decreuit, vt *nec praetextu cuiusuis*
RIVILEGII *ſeu* CONSVETVDINIS *etiam ab im-
emorabili tempore praeſcriptae* vlli vmquam
erogationi, aut mutationi ſubiaceat, igitur
audien-

audiendi non ſunt interpretes quidam canonum inter conſuetudinem antecedentem, et conſequentem diſtinguentes, Quum enim patres concilii conſuetudines, et priuilegia, quibus praelati inferiores freti clericis ad beneficia curata promotis curam animarum inſuper habita omni auctoritate epiſcopali ſoli committere praeſumſere, eccleſiis damnoſa, periculoſa animabus, et publice pernicioſa hactenus fuiſſe luculenter agnouerint, periculum vniuerſale inde eccleſiae imminens omni modo ab ea auertere, omnemque viam redeundi ad antiquos abuſus praecludere voluiſſe hiſce verbis energicis enixiſſime declararunt.

Sunt, qui adfirmant, via praeſcriptionis obtineri poſſe facultatem impertiendi inſtitutionem auctoriſabilem vti BARBOSA *de offic. epiſcop. p. III.* Negant tamen alii, vti P. WIESTNER *h. t. num.* 34. *ex cap.* 3. *h. t* Mediam tenet ſententiam P. BOECKN *ad h. t. num.* 11.

§. CLXI.

Idem.

Quae cum ita ſint, illud quoque, quod inde conſequitur, verius eſſe arbitror, quod etiam *fundator beneficii curati adprobationem ad curam animarum, ſeu inſtitutionem auctoriſabilem praelato cuidam inferiori* in praeiudicium iuris epiſcopalis reſeruando nihil agat, haecque conditio iuri communi, et praxi inimica a priuato fruſtra adiiciatur.

Cap.

[redacted]

Cap. 17. *de teſtam. cap.* 3. *h. t. cap.* 21. *de iur. patron. cap.* 12. *in fin. de haeret.* Trid. *ſeſſ. XIV. cap.* 12. *et* 13. *de reform.* Wiestner. *ad h. t. num.* 36.

§. CLXII.

III.) *Inſtallationis ſeu inueſtiturae deſcriptio.*

Digrediamur modo ad alteram inſtituendi *ſpeciem*, quae modo *corporalis*, ſeu *realis*, ſolemniori autem vocabulo *inſtallatio*, ſeu *inueſtitura* nuncupatur: haec *actualis*, ſeu *praeſens dicitur inductio in poſſeſſionem beneficii quacum clerico omnia tam poſſidendi, quam adminiſtrandi iura vna cum exercitio aduenìunt:* ſeu, vt alii loquuntur, eſt *traditio beneficii, qua clericus conſequitur ius poſſeſſionis, et adminiſtrationis in actu ſecundo.*

§. CLXIII.

Eiusque origo.

Olim *ignota* erat *inueſtitura.* Simul enim, atque clericus vel in ſacerdotium, vel ad beneficium ab epiſcopo venerat, ius illud omne ſecum reportabat. Poſtea vero cum erectis beneficiis eccleſiaſticis inter ordinationem, et beneficii poſſeſſionem diſtingui coeptum eſt, prout nempe altera ſine altera concedebatur, diſtincta pariter vtriusque cauſa agebatur.

§. CLXIV.

Quae habet analogiam cum inueſtitura feudali.

Factum eſt vero feudorum exemplo, vt beneficia, et ordines diſtincte conferrentur. Atque id eſt, cur *clericum epiſcopus*, ſi ius commune ſpectet, perinde ac *vaſallum dominus inueſtiat*, et quemadmodum vaſallus domino iuramentum fidelitatis praeſtare tenetur, ita pridem iam cautum fuit, vt beneficiati, ii praeſertim, qui curam animarum gerunt, obedientiam epiſcopo ſpondeant. Imo praelati erant, qui feudi imitationem rigidius exequentes *homagium* quoque exigebant. *At indignum eſt, et a romanae eccleſiae conſuetudine alienum, vt pro ſpiritualibus facere quis homagium compellatur cap. fin. de reg. iur.* Denuo nonnulli in admiſſione beneficiatorum ad poſſeſſionem, ſeu inſtallationem, iura aliqua ſibi ſolui voluerunt, quae, ſi dominus directus a vaſallo exigat, *reluuia* dici ſolent: quam tamen conſuetudinem tum a conciliis ſaepius reprobatam legimus.

Cap. 9. 36. *de Simon:* Trid. *ſeſſ. XXIV. cap.* 14. *de reform.* mandat epiſcopis: *vt quaecunque huiusmodi in vſus pios non conuertuntur, atque ingreſſus eos, qui ſimoniacae labis, aut auaritiae labe ſuſpicionem habent, fieri non permittant, ipſique diligenter de eorum conſtitutionibus, ſiue conſuetudinibus ſuper praedictis cognoſcant, et illis tantum, quas vt laudabiles probauerint, exceptis, reliquas vt prauas, et ſcandaloſas reiiciant, et aboleant.* Espen. *tract. de ſimon. circa benef. p. I. cap. II.* §. 3.

§. CLXV.

[redacted]

§. CLXV.

Quod ius generaliter ad epiſcopum quoque pertinet.

Sicut beneficiorum collatio iure communi ad *epiſcopum*, ita quoque *ius inſtituendi corporaliter*, ſeu *inueſtiendi* ad eundem ſpectat. At vero cum rebus, et locis omnibus pro amplitudine cum prouinciarum, tum negotiorum adeſſe non potuerint epiſcopi, iam pridem in morem abiit, vt munus iſtud archidiaconis vtpote vicariis ſuis delegarint. Quare INNOCENTIVS III. in *cap. 7. de offic. archid.* archidiaconorum munia enumerans inter alia memorat: *quod inſtitutio corporalis tam ſuper beneficiis, quam dignitatibus ad ipſum* (archidiaconum) *debeat pertinere.* Inde factum eſt, cur canonum doctores hodie archidiaconis ex iure communi hanc inſtitutionem tribuant. Sed imminuta archidiaconorum poteſtate ad archipresbyteros, ad decanos, quos vocant rurales, id muneris deuolutum eſt. Imo tabelliones videmus, et notarios, et quosuis clericos, quos commiſſarios vocant, quibus epiſcopi ſuam ea in re prouinciam committant.

Solent hodie pleramque duo conſtitui commiſſarii vnus ab epiſcopo, alter a domino territoriali: ille ſpiritualium, et eccleſiaſticarum, hic rerum temporalium inueſtituram impertitur. Et hoc iure vtimur in Auſtria noſtra vid. *meum corp. iur. eccleſ. auſtr.* ſub rubr. Paſſaueriſ. Biſchöffl. Vertrag *de electione, et inſtallatione praelatorum p.* 195. *et de iure patronatus* ibid. §. 15. p. 216. ſeqq. Nec repugnat, vt monet P. ENGEL. *h. t. num.* 6. et ZOESIVS *h. t. num.* 5. quin epiſcopus commiſſario etiam

laico a ſe conſtituto inueſtituram realem, ſeu corporalem, quam meri facti eſſe agnoſcunt, ſub certa tamen limitatione committere queat.

§. CLXVI.

Certis obſeruatis ritibus.

Praeter *formulae* cuiusdam *enunciationem ſymbola* etiam adhibentur, quibus *clericus poſſeſſionem* adiiſſe manifeſtatur. Illorum ratio pro locorum, conſuetudinis, et beneficiorum varietate, eſt varia. Id magnopere non refert, num quis per ſeſe, num vero per procuratorem ſpeciali mandato inſtructum inueſtituram accipiat.

REBVF. *prax. benef. p. I. tit. de miſſ. in poſſ. num.* 26. 27. 34. GONZALEZ *in cap.* 2. *de conſuet. num.* 17. Ritum inueſtiendi praelatos legitime electos in AVSTRIA conuentio inter ARCHIDVCEM Auſtriae, et *dioeceſin paſſauienſem* inita definiuit hocce verborum tenore, daß durch die Paßaueriſchen dem electo, oder poſtulato das conuent vorgeſtellet, und demſelben ihme electo, oder poſtulato den gebührenden Gehorſam zu leiſten auferladen, auch ſonſten alle darneben gewöhnliche actus, wie bishero gebräuchig, vollzogen, und ihme die Kirchen, der Chor, die Sakriſtey ſammt den calicibus, ornamentis, clenodiis, et aliis ſacris vaſis eingeantwortet werden: bey welchen jetzt berührten Actibus die kaiſerl. Commiſſarii auch wohl ſeyn, und dann darauf gemeldten electo, oder poſtulato pro maieſtatis ſuae archiducali patronatus, et aduocatiae iure die temporalia, als die Unterthanen, Officierer, Käſten, Keller, und alles andere demſelben Gotteshaus angehörig, liegends und fahrends übergeben und zuſtellen, darbey dann gleichfalls des Herrn Ordinarii Abgeſandten auch ſeyn mögen. *loc. ſup. cit.*

§. CLXVII.

[redacted]

§. CLXVII.

Quamuis beneficii adquiſitio ſine inueſtitura non valeat, ipſa tamen poſſeſſio aliquod ius tribuit.

Beneficii adquiſitionem ſine *inueſtitura per ſe* non valere ex hactenus diſputatis ſatis elucet. Adtamen is etiam hoc in negotio *poſſeſſionis* eſt fauor, vt *iuſti tituli* opinionem inducat: *cap.* 24. *de elect. l.* 2. *cod. de. adquir. poſſeſſ.* Imo *ipſum* aliquando *titulum*. Si quis enim per *triennium completum continuum*, beneficium quodcunque ſine *vi*, ſed *colorato titulo* fretus adquiſiuerit, et tranquillus etiam poſſederit a nemine in *petitorio*, vt loquimur, vel *poſſeſſorio*, etiam ex iure recens impetrato turbari poteſt. Ita cautum eſſe conſtat in *reg. cancel. XXXVI. de trienn. poſſeſſ.* quam regulam deſumtam eſſe ex decreto quodam CONCILII BASILEENSIS notant omnes paſſim commentatores; quamuis nulla concilii mentio in regula occurrat: *quia ſummi pontifices auctoritate illius vti noluerant, ne ſic tacite concilium baſileenſe adprobare viderentur.*

Vid. GOMES. *in praefat. ad h. reg.* VAN ESPEN. *p. II. ſect. III. tit. IX. cap.* 4. qui conferri plane meretur.

[redacted]

§. CLXVIII.

Idem.

Extat adhuc alia *cancell. reg. XXXV. de annali poſſeſſ.* ab Evgenio IV. ad *imitationem feudorum* contra inuolatores alienorum beneficiorum, litiumque artifices, quos *deuolutarios* vulgo vocant, lata, quae denuo inſignem, non tamen eundem fauorem adfert poſſeſſori beneficii, qui etiam nullo, *ne quidem colorato titulo* pacifice per *annum continuum* a *tempore impetrationis* inchoatum poſſidet.

Gomes *in praef. ad h. reg.* et denuo van Espen. *loc. cit. cap.* 3.

§. CLXIX.

Ex dictis varia deducimus.

I.) Equidem expediti iuris eſt in *poſſeſſionem beneficii* ſine *praeuia inſtitutione corporali* propria auctoritate *neminem* venire poſſe *cap.* 7. *de offic. archid.* ne quis accipiat ſibi honorem in eccleſia Dei: niſi vocatus a Deo ſicut Aaron *can. in ſcripturis cauſ. VIII. q. I.*

II.) Nec dubium mihi eſſe videtur, quin *accedente conſenſu legitimi ſuperioris* tradere *poſſeſſionem corporalem valentis* ingredi *poſſeſſionem vacuam*, eamque capere nullo alio introducente liceat.

III.)

III.) Verum quid cenſendum de violento beneficii *inuaſore*, qui *poſſeſſorem* etiam *malae fidei ſede* deiiciat? Id ſatis certum eſſe cenſeo, talem raptorem vna cum *titulo beneficii iuribus* ſimul *omnibus* excidiſſe, quaecunque antea eidem in beneficio competebant. *cap.* 18. *de praeb. in* 6. *l.* 7. *cod. vnde vi.*

IV. Quod ſi autem omnis abſit *violentia*, et ſtatio ſit vacua: licetne *propria auctoritate* illam *occupare*? Mihi quidem videtur, hunc caſum non minus, quam ſuperiorem trahere poſt ſe *iuris cuiuscunque amiſſionem*, quod, ſi probe ſentio, colligi videtur ex *cap.* 5. *de elect. in* 6. *et cap.* 18. *inſuper de praeb. in* 6.

Vid. BOECKN *h. t. num.* 6.

TITVLVS VIII.

DE CONCESSIONE PRAEBENDAE ET ECCLESIAE NON VACANTIS.

§. CLXX.

Inſtitutionem praecedere debet vacatio beneficii.

Nulli inſtitutioni canonicae in beneficio eccleſiaſtico locus eſſe poteſt, niſi illud vel per mortem, reſignationem, translatio-

nem, priuationem, vel ex quacunque alia cauſa canonibus, transactionibus, concordatis, moribusue cuiusque gentis probata vacauerit. Tum ergo *beneficium vacare* dicitur, cum *illa cuius erat, quocumque demum modo eo carere incipiat.*

§. CLXXI.

Quae eſt triplex.

1.) Quod ſi praeter *titulum*, ſeu ius et proprietatem nihil ceteroquin beneficii poſſeſſor amiſerit, non niſi de *iure vacare* iſtud cenſetur, 2.) ſecus *de facto* tantum, ſi titulo, et iure incolumi poſſeſſio amittatur. 3.) Si vero et poſſeſſio, et titulus ſimul omnis corruant, *de iure* perinde, ac *de facto* vacare beneficium cenſebitur. Atque haec vniuerſa huius tituli diuiſio, de qua deinceps agere propoſitum eſt.

THOLOSAN. *de benef. cap. XXVII. num. I.*

§ CLXXII.

Beneficium ſimul de facto, et de iure vacuum conferri debet, ſecus de iure tantum.

Beneficium ſimul *de facto*, ſimul *de iure vacuum* non modo *poſſe*, verum etiam *debere* conferri, nemo eſt, qui dubitat: ita enim vacat, quo magis non poſſit. Illud deinde, quod de

de *iure tantum* vacat, *non debet* equidem, adtamen *conferri poteſt* alteri, vel ſaltem *promitti.* Ante vero, quam conferatur, ea opus eſt cautione, vt epiſcopus poſſeſſorem aduocet, et audiat, quamquam titulo haud legitimo gaudere forſitan videatur, niſi factum eius ſit notorium, et vlterior beneficii detentio manifeſtae iuris diſpoſitioni aduerſetur.

Cap. 28. *de praeb. in* 6. Gonzalez *in reg. cancell. VIII. gloſſ. V.* §. 1. *num.* 64.

§. CLXXIII.

Collatio vero beneficii de facto tantum vacantis omnino eſt prohibita.

A conceſſione *beneficii* de *facto* tantum *vacantis* canones adeo abhorrent, vt praeter *nullitatem actus* ſcienter id acceptantem a communione eccleſiaſtica pellendum, et ab eodem beneficio conſequendo, etſi legitime poſt vacauerit, *ſine diſpenſatione* perpetuo excludendum eſſe ſtatuerint.

Can. 10. 40. *cauſ. VII. q. I. cap.* 1. 2. 7. *h. t. cap.* 4. *de donat.* P. Wiestner *ad h. t. num.* 9.

§. CLXXIV.

Vti et promiſſio determinati cuiusdam beneficii a concilio lateranenſi eſt interdicta.

Quid licitum, quid vetitum ſit in praeſenti beneficiorum vacantium collatione hactenus

videbamus. Supereſt modo examinare, quo ſe vsque promiſſio extendat, valeatne ſaltem ipſa, nec ne? Sunt autem beneficia alia *incerta*: quorum ſpes ſit, alia *determinata* ſunt. Illorum promiſſio *ex mandatis de prouidendo* orta ALEXANDRI III. auctoritate, et vſu robur ſortita eſt: iſtorum vero nulla eſt vis, quae videlicet ſub eodem pontifice CONCILIVM LATERANENSE interdixit. *cap.* 2. *h. t.* Atque haec eſt illa promiſſio beneficii vacaturi *exſpectatiuae, gratiae exſpectatiuae, vel exſpectantiae* nomine celebratiſſima.

Vid. MEA *principia iuris eccleſiaſtici Germaniae.*

§. CLXXV.

Quod interdictum variis interpretationibus erat obnoxium.

Sed *interdictum* hoc CONCILII LATERANENSIS variis poſtmodum interpretationibus obnoxium erat. Indulgentioribus videbatur *tacite*, et per *indirectum* praebendae nondum vacantis exſpectationem non prohiberi *cap.* 7. *h. t. cap.* 9. *de conſtit. cap.* 9. *de praeb.* Eam contra aduerſari concilii decretis ii contendebant, qui delicatioris erant animi *cap.* 19. *de praeb.* Quibuscum ſtare iam expedit? INNOCENTIVS III. *cap.* 14. *h. t.* quid agendum ſit, docet: acutas videlicet propoſitiones diſcernendas eſſe: *promitto praebendam, cum potero, ſeu cum facultas ſe obtulerit, et promitto praebendam, cum vacabit.*

Idem

[redacted]

Idem INNOCENTIVS III. *cap.* 11. *et* 13. *h. t.* voluit: vt epiſcopus aliusue collator ius conferendi beneficium vacaturum alteri non concedat. HONORIVS III. *cap. fin. h. t.* patronorum *commiſſiones ad praebendam* in *beneficiis* nondum *vacantibus* eſſe *irritas*, et *nullas* declarauit, vt omnis exſpectatiuas obtinendi via praecluderetur.

§. CLXXVI.

Has Bonifacius VIII. reprimere tentauit.

Hunc luſum vocabulorum non ferens BONIFACIVS VIII. conſtituit *cap.* 2. *h. t. in* 6. ne INNOCENTII formula promittendi ſpes vanas hominum deinceps aleret. Sed ipſam hanc conſtitutionem fauſtis effectibus deſtitutam eſſe refert TRIDENTINA SYNODVS: alios enim inter abuſus, quos ſedente PAVLO III. delectorum patrum conuentus abolendos iudicauit, hic etiam non poſtremo loco recenſetur: *alius abuſus eſt in exſpectatiuis, et reſeruationibus beneficiorum*, quibus et datur occaſio, vt aliena mors deſideretur, et libenter audiatur. Praecludunt etiam aditum ſupremum dignioribus, cum vacant. Dant litibus cauſam, omnes has putamus tollendas eſſe.

VAN ESPEN. *p. II. ſect. III. tit. IV. cap.* 3.

§. CLXXVII.

Sed concilium tridentinum perfecit.

Hae, aliaeque rationes fuerunt, vt PATRES hoc tenore eloquerentur. *Decernit* SS. SY-

SYNODVS *mandata de prouidendo, et gratias, quae expectatiuae dicuntur, nemini amplius, etiam collegiis, vniuerſitatibus, ſenatibus, et aliis ſingularibus perſonis etiam ſub nomine indulti, aut ad certam ſummam, vel alio quouis colore concedi, nec hactenus conceſſis cuiquam licere vti. Sed nec reſeruationes mentales, nec aliae quaecunque gratiae ad vacatura, nec indulta ad alienas eccleſias, vel monaſteria alicui etiam ex S. R. E. cardinalibus concedantur, et hactenus conceſſa abrogata eſſe cenſeantur.*

Seſſ. XXIV. cap. 9. de reform. GONZALEZ *ad reg. VIII. cancell. §. II. prooem. num 57. 67.*

§. CLXXVIII.

Omni conſuetudine contraria ſublata.

Equidem non nego *epiſcopos* eſſe, *abbates*, et *patronos* alios, qui bene meritis data occaſione beneficia promittere non ambigunt. Horum exempla ſunt quotidiana, ſed luculenta, et perſpicua eſt etiam *tridentini* norma. Clariſſima ſunt *concilii lateranenſis* decreta. Num ſanctiſſima iſtorum lex, an praepoſtera illorum conſuetudo plus valeat? *Conſuetudo*, inquam, nata *corruptionem inducere*, et *beneficiorum adfectationibus viam ſternere.* Ego vero ſic exiſtimo vltra poteſtatem ordinarii, vltra praelatorum quorumuis, et patronorum auctoritatem eſſe, quidquid ſecus fiat.

Et

Et legatos quidem pontificios ne quidem per *indirectum* exſpectatiuas concedere poſſe patet ex *cap.* 4. *de offic. leg. in* 6. Multo minus (*ex ſententia decretalium*) ceteri praelati, ſeu ordinarii collatores *aperte* has, quas vocant, *gratias* concedere poſſint. *cap.* 4. *de donat.* De patrono eo minus dubitandum, qui adhuc minus habet iuris, quam ordinarius collator *cap.* 8. *de iur. patr. cap. vlt. h. t.*

§. CLXXIX.

Promiſſiones quoque iuratae reiiciuntur.

Ex his ergo adparet *promiſſionem beneficii nondum vacantis irritam* prorſus, *et nullam* eſſe; imo ei firmandae adpoſitum *iuramentum* viribus, et valore omni *deſtitui*, cum non ſit obligatorium contra *bonos mores* praeſtitum iuramentum *cap.* 58. *de R. I. in* 6. De quo tamen aliqui dubitare videntur, ii nempe, qui audita, et male intellecta iuris canonici regula *cap.* 28. *de iureiur. et cap.* 2. *de pact. in* 6. vltra non progrediuntur. Et quamquam promiſſiones beneficii *incerti*, et *factae generatim* v. g. conferam, cum potero, aliquando valuerint. *cap.* 14. *h. t.* poſtea tamen iam ante tridentinum concilium a BONIFACIO VIII. etiam illae, et quaecumque aliae promiſſiones ad beneficia vacatura viam directe, vel indirecte ſternentes generaliter prohibitae, et irritatae ſunt.

TRID. *loc. cit.* GONZALEZ *ad cap.* 9. *de praeb. num.* 3. *et in cap.* 2. *h. t. num.* 12.

§. CLXXX.

Et omnis generis expectatiuae.

Quare peroratum iam eſſe opinor aduerſus eccleſiarum cathedralium capitula, apud quae huius moris toties damnati frequentia eſt multo maxima. *Tacitam* hanc exſpectationem nobilibus noſtris, cognatis ſuis paſſim concedunt. Creatur canonicus ſine ſtipendio quidem, cui vero mox vacaturo iam iam inhiat. Quid refert obſecro, promittasne praebendam olim vacuam, an vero canonicum recipias cum ſpe firmiſſima vacantis aliquando beneficii? Inde propullularunt *canonici in herbis* praebendam exſpectantes, qui praemiſſo iureiurando in canonicorum ordinem recepti calendariis publice inſeruntur, in *chorum*, et ſtationem, quam *ſtallum* vocant, inducuntur. Si concilia ſupra laudata, ſi verba canonum, eorumque mens, et ratio animo praeiudiciis vacuo perpendantur, nullus ſupereſt dubio locus, quin id *genus canonicorum*, quos *ſupernumerarios* vocant, *probari haud queat*. *At* vero in plerisque eccleſiis cathedralibus, et collegiatis talis *immemorialis conſuetudo iam* ab INNOCENTII III. temporibus accepta viget, quam ſi *concilio tridentino* ſublatam haud exiſtimamus, nihil profecto egit concilium, nullasque prorſus *damnauit gratias exſpectatiuas*.

GONZALEZ *ad reg. VIII. cancell. loc. cit. num.* 6. BARBOS. *de canon. cap.* XXX. BOEHMERVS *ad h. t.* §. 20. *et ſeqq.*

§. CLXXXI.

[redacted]

§. CLXXXI.

Etiam papales.

Ad excuſandas excuſationes *gratiarum ex-* *ativarum* patroni crepant *plenitudinem po-* *tis pontifici* in *cap. 2. de praeb. in 6. et* 1. *in fine, vt lite pend. nihil innou.* ad- m, conferendi omnia beneficia per vni- m orbem, iactitant eius auctoritatem a omnia concilia eminentem, omnemque go canonum independentiam, et illimita- in iisdem diſpenſandi facultatem ab ipſa od. Trid. *ſeſſ. XXV. cap.* 21. agnitam rmatam. Mirari ſaepius ſoleo egregiam philoſophiam heri natam, et excogita- antiquitati incognitam et inimicam ſta- ndo regimini pontificio abſolute monarchi- nice aptam, et adcommodatam.

§. CLXXXII.

is tamen reſeruationibus in eccleſia Germaniae receptis.

Interea *tridentina ſynodus* ſicut integrum, mque epiſcoporum, aliorumque *ius* in *endis beneficiis* praeſtare voluit, ita ne- *pontifici* quidquam derogauit, quo minus ita, et recepta iam de beneficiis certis idendi poteſtate vteretur. Vnde licet man- de prouidendo, atque huiusmodi gratiae, as iuri ordinariorum hactenus firmato ob- lum fiebat, ſint ſublata, *ſaluae* nihilomi-

nus

nus *manſerunt reſeruationes* illae, quibus certorum beneficiorum *prouiſio* ad *ſedem apoſtolicam* iam tum deuoluta, eique addicta erat, atque has etiamnum hodie in plerisque eccleſiis ſub certis tamen limitationibus, et conditionibus pro ſingularibus eccleſiae *germanicae* legibus ſcriptis, et non ſcriptis, *concordatisue* in vſu eſſe conſtat.

Vid. *cit. princ. Germ.*

§. CLXXXIII.

De tempore conferendi beneficia alibi dictum.

Intra quod *tempus* conferri debeant *beneficia electiua*, et *collatiua* legitime vacantia, et ad quos eorum collatio deuoluatur iam actum eſt alibi.

Vid. *ſup. P. II. lib. I. tit. X.* De beneficiis patronatis plenius dicemus *infra ad tit. de iure patronatus.*

[redacted]

TITVLVS IX.

NE SEDE VACANTE ALIQVID INNOVETVR.

TITVLVS X.

DE HIS, QVAE FIVNT A PRAELATO SINE CONSENSV CAPITVLI.

TITVLVS XI.

DE HIS, QVAE FIVNT A MAIORE PARTE CAPITVLI.

§. CLXXXIV.

Connexio.

Multa hactenus de beneficiis acta ſunt, quae, cum ſine capitulorum arbitrio ſaepe non conferantur, de iis etiam, ne indi-

geſtum decretalium ordinem praetereamus, differendum eſſe putauimus. Ne vero confuſum ſit diſcrimen, tres hoſce titulos, quandoquidem natura ſua non magnopere diſſident, in eundem conflauimus, omnemque altius ex hiſtoria, et antiquitate rem conſtituimus repetere.

§. CLXXXV.

Origo titulorum eccleſiaſticorum.

Initio quidem, antequam religio incrementum caperet, ſingulis eccleſiis ſinguli praeficiebantur *clero* ſuo *epiſcopi*, inualeſcente deinde ſub *ſeculum IV.* fidelium numero a priſtina eccleſiarum non minus, quam clericorum inſtitutione recedendum fuit. Plures enim id genus eadem etiam in ciuitate exſtruebantur: pluribus vero, vt opus erat, idem vigilantiſſimus epiſcopus praeeſſe non poterat. Quid igitur? Diuidebantur curae, quarum *maiores* aliae, aliae *minores* cenſebantur. Illas quidem in *ſede primaria*, quam *cathedram* vocant, epiſcopus ſibi ſeruabat: has vero minores videlicet *titulorum* nomine ad *presbyteros*, vel diaconos transmiſit. Adque haec eſt titulorum origo, atque eccleſiarum in *cathedrales*, et *pariochiales* diſtinctio. Nondum intra hos limites ſteterat diuiſio rerum: cum enim religio ex vrbibus etiam rus migraret, *rurales* inter eccleſias, et ciuitatenſes diſtingui coeptum eſt.

In-

[redacted]

INNOCENT. *I. epiſt.* 1. *cap.* 5. MABILLON. *tom. II. mus. ital. in comment. ad ord. rom. p.* 12. *ſeqq.*

§. CLXXXVI.

Ac canonicorum.

Ex cuiuscunque olim *eccleſiae* beneficio, ſiue *cathedralis*, ſiue *parochialis* quis viueret, illique addictus foret, *canonicum* hunc dicere mos erat. Contra vero qui magnatum in oratoriis diuina faciebant, domeſticis illorum, non communibus eccleſiae ſtipendiis nutriti *non canonici* nuncupabantur. Huius denominationis diuerſimodae ratio haec fuiſſe videtur, tum quod illi *albo*, ſeu matriculae *eccleſiae eſſent* inſcripti, tum quod ſtipendiis eccleſiae militarent.

CONCIL. ARVERN. *can.* 15. *an.* 535. THOMAS. *vet. et nou. eccleſ. diſcip. P. I. lib. III. cap. VIII.* §. 4. du FRESNE *gloſſar.* voc. *canonici.*

§. CLXXXVII.

Et horum quidem non a dd. Euſebio et Auguſtino.

Haec quidem, quam retulimus, antiqua eſt canonicorum progenies: hodiernorum forma illis nequaquam reſpondet. Neque opinor, de eo quemquam diſputare. Id potius in diſceptationem vocatur, noſtrine canonici a S. EVSEBIO *Vercellenſi epiſcopo*, vel S. AVGVSTI-

NO originem repetant: Vercellenſis, aiunt, communem viuendi normam praeſcribere clericis tentauit. Tentauerit; ſed non perfecit. Sed Auguſtinus perfecit etiam. Perfecerit omnino; ſed in occidentem, id eſt; ad nos illa S. Auguſtini regula aut non penetrauit, aut ab vſu ſaltem plurimum aberat. Vel, vt demus omnia, obtinuerit etiam vſus: verum canonicorum nomine nunquam celebrabantur, qui inſtitutum hoc noua viuendi ratione profiterentur.

S. AMBROS. *epiſt.* 82. *ad Vercel.* THOMAS. *loc. cit. cap.* 3. *ſeqq.* BOEHMER. *ius eccleſ. tom. II. lib. III. tit. I.* §. 11.

§. CLXXXVIII.

Sed a D. Chrodegangi temporibus eſt repetenda.

Statim inde a D. CHRODEGANGI temporibus, qui *Metenſium epiſcopus* fuerat, origo *canonicorum*, quales eſſe deberent hodie, repetenda eſſe videtur. Is *ſeculo VIII.* PIPINI ſcilicet *regis* aetate vixerat: vtque in meliorem clericos ordinem redigeret, ſingularem quamdam monaſticae non abſimilem diſciplinam praeſcripſit, vitaeque ſocietate, id eſt aedibus iisdem, eodem triclinio, dormitorio eodem plures collegit, qui communibus, quas *canones* vocant, legibus viuerent.

PAVL. DIACON. *in fragm. de epiſc. metens.* ad DVCHESNIVM *tom. II. hiſt. franc.* Ipſum CHRODEGANGI re-

regulam ſiſtit Hardvin. *tom. IV. concil. p.* 1182. In vniuerſum XXXIV. capitibus abſoluitur, quorum ſynopſin, atque elenchum exhibet Flevry *hiſt. eccleſ. tom. X. lib.* 13.

§. CLXXXIX.

Quorum numerus primitus exiguus.

Tenuia quidem huius *inſtituti* erant *initia.* Vltra metenſis enim eccleſiae limites non proceſſerat. Temporum vero ſucceſſu clarius paſſim a praeſulibus, non omnibus equidem cum capitibus acceptatum eſt, nulla publica eccleſiae, ſed priuata vſus, ac receptionis auctoritate.

Boehmer. *loc. cit. §.* 24. Gerhard du Bois *in hiſt. eccleſ. Paris. lib. XI. cap. VIII. §.* 5.

§. CXC.

A Carolo M. *fuit auctus.*

Tandem *Imperator* Carolvs M. in *concil. mog. an. 813. can. 9.* regni ſui epiſcopis auctor fuerat, ut omnes hanc viuendi regulam reciperent. Quae deinde *an.* 816. *in concil. aquisgran.* 145. capitibus *aucta*, ſub Lvdovico Pio, Caroli filio, confirmata, dicique coepta eſt: *formula inſtitutionis canonicae.* Germani, et galli, apud quos valuerat, plurium ſeculorum vſu *regulam*, quoque *aquisgranenſem* adpellarunt.

Apud HARDVIN. *tom. IV. col.* 1007. *ſeqq. et col.* 1055. *ſeqq.* NAT. ALEX. *hiſt. eccleſ. ſecul. IX. cap. IV. art.* 8 ADEMARVS CHABANENS. *ſcriptor ſeculi XI. in chron. ap. Labbe tom. II. bibliothec nou. MSS. libb. p.* 158.

§. CXCI.

Et praecipue in Germania incrementum coepit.

Qua ſingulari, et noua prorſus ratione *canonici* illi dicti ſunt, qui ex regula CHRODEGANGI viuerent. Interea ſatis certum eſt a CAROLO M. pro ſuo in religionem ſtudio, proximisque ab eo temporibus vti plerosque *germanorum epiſcopatus*, ita clericorum etiam iſtorum collegia iuxta fuiſſe condita. Qui cum prope cathedralia templa habitarent, inde nomen ſortiti ſunt.

DE ICKSTATT *opuſc. iurid. tom. II. opuſc. VII.* §. 7. BOEHMER *loc. cit.* §. 16.

§. CXCII.

Adeo, vt illorum inſtitutum alias quoque ad eccleſias extenſum.

Poſtea vero, cum incrementa caperet clericorum numerus, iſthoc canonicorum inſtitutum ad alias quoque *eccleſias* praeter *cathedrales* extendi coepit. Nam ſingularia canonicorum collegia ad formulam monaſteriorum efformata: vbi diuina officia, ſed citra animarum cu-

ram

rum peragi ſolebant. Imo pluribus parochialibus eccleſiis hoc inſtitutum adplicatum fuit, quae abhinc ſalua animarum cura *collegiatae* factae ſunt. Inde origo *canonicorum eccleſiarum collegiatarum.*

Boehmer. *loc. cit.* §. 18. *et* 23.

§. CXCIII.

Et ipſis monachis fuerint antelati.

Tanta fuerat hactenus canonicorum iſtorum exiſtimatio, vt *ipſis*, adeo illo aeuo *monachis* praeferrentur. In horum igitur ſocietatem admiſſi nihil a ſua viuendi ratione remittebant: cetera eidem parebant antiſtiti. Hoc monachorum, et canonicorum contubernium fecit opinor, cur vtrique promiſcue vocabulis hisce vterentur, *monaſterium*, *abbas*, *regula* etc. cur officia diuerſa *praepoſiti*, *decani*, *ſenioris*, *cantoris*, *theſaurarii*, *ſcholaſtici* etc. apud vtrosque in morem abierint, et ex D. Benedicti, et monachorum regulis in *Chrodegangi inſtitutionem* transierint. Nulla igitur re magnopere diſtinguebantur, praeterquam quod nullo voti vinculo canonici adſtringerentur: quare monachi dicebantur *regulariter* viuere, hi vero *canonice.*

Thomas. *P. I. lib. III. cap.* 66. 67. 70. Boehmer *loc. cit.* §. 12. 19. 22. Inde iam patet origo dignitatum in capitulis, quae primo arbitrariae tantum, et ad nutum *reuocabiles* in *perpetua*, et *irreuocabili* beneficiorum nomina euaſere. Confundendae tamen

men non ſunt cùm *dignitatibus eccleſiarum* cathedralium. vid. VAN ESPEN *P. I. tit. XI. et XII.*

§. CXCIV.

Sed ſub OTTONE M.

Huius inſtituti *feruor* ſub *impp. carolingicis* nondum intepuit; ſed paulatim *ſeculo X.* ſub OTTONE M. canonicorum collegia aurae liberioris deſiderium ſperare coeperunt. Quare paſſim euolabant, praeque communi ſingularem vitae conditionem ferebant. Huius mutationis initia, et progreſſus diſtinctis verbis complectitur TRITH. *in chron. hierſaug.* ad annum 973. *ſub* THEODORICO *archiepiſcopo treuirenſi canonici maioris eccleſiae ſancti* PETRI, *qui a primo fundationis ſuae tempore ſub certa regula in communi vsque in praeſcriptum tempus vixerunt, abiecta priſtinae conuerſationis norma deſierunt eſſe regulares, diſtributionibus inter ſe factis praebendarum: et qui prius more apoſtolorum omnia habuere communia, coeperunt iam deinceps ſinguli poſſidere propria. Quorum exemplum poſtea ſequuti plures canonici ſicuti ſancti Paulini apud Treuiros, ſancti Caſtoris in Confluentia, SS. Martini et Victoris Moguntiae, in Wormatia quoque, et Spira de communi ad propriam vitae rationem deſcenderunt.*

Hos ſucceſſiuis temporibus alios ſequutos fuiſſe ſcriptores ſeculi XI. et XII. abunde teſtantur, et alte deplorant; eamque mutationem non auctoritati eccleſiae, ſed defectui, et refrigeſcenti charitati ad

adſcribunt. S. Ivo *epiſc. carnot. epiſt.* 60. Stephan. Tornac. *epiſt.* 160. vid. Van Espen. *P. I. tit. VII. cap. II.*

§. CXCV.

Illorum fervor intepeſcere coepit.

Serpenti huic in dies malo ſolliciti vtique epiſcopi repagula obiecerunt: ſed adſuetudine iam occultans vitium cuncta perfregit, et torrens *abuſuum* omnia ſecum abripuit. Naſcebatur ſenſim canonicatuum ambitio, quibus diuerſis acti ſtudiis inſidiabantur; alii videlicet ad conſolandam paupertatem, alii, vt iucundius, alii, vt magnificentius, et ſuperbius viuerent vitam ſolo quidem nomine canonicam.

Legi hic meretur Van Espen *loc. cit. cap. III.*

§. CXCVI.

A quo tempore diuiſio canonicorum in regulares, et ſeculares invaluit.

Optima haec in peſſimam conuerſio tantopere iam tum diſplicuit, vt de abolendis canonicis, et monachis vbique ſufficiendis cogitatum eſſet. Adtamen rigidius quibusdam conſilium hoc videbatur. Quare iter medium electum eſt, ne bonorum adfluentia imbelles animos faſcinaret, *paupertatis voto* cauebatur: quo viri religioſiores deuincti, et rerum proprietati, dominioque renuntiantes vitam rur-

ſus communem degerant: atque iſti canonici *regulares* nuncupabantur. Verum iſte viuendi modus non omnibus adriſit: quare ſuperſtes manſit canonicorum ordo, quos *ſeculares* dicimus, qui ſinguli extra communitatem absque *voto paupertatis* in *priuatis aedibus* ſicut reliqui *ſeculares clerici* viuunt.

De auctore huius noui inſtituti non vna eſt omnium ſententia. Quidam PETRO DAMIANI reformationis opus adſcribunt. *Petrum de Honeſtis* auctorem facit NAT. ALEX. *hiſt. eccleſ. ſecul. XI. et XII. cap. VII. art. 7.* eumque *a Petro Damiani* diuerſum eſſe euidenter oſtendit. Tu interim vide ſis BOEHMER. *loc. cit. §. 26. 27. ſeqq. et* VAN ESPEN *loc. cit. cap. I.* ICKSTATT *loc. cit. §. 15. 16.*

§. CXCVII.

Et quamuis inter hos magnum hodie ſit diſcrimen.

Manifeſtum diſcrimen eſt, quod *regulares* inter, et *ſeculares* intercedit. *Regulares* itaque *canonici* ſunt *clerici in communi ſub praepoſito quodam viuentes, clericalia officia peragentes, et praeſtito voto paupertatis regulam*, quam vulgo S. AVGVSTINO adſcribunt, obſeruantes, *ſeculares* vero *canonici* ſunt *clerici cathedralium, et collegiatarum eccleſiarum, qui relicta vita communi res ſuas ſeorſim habere coeperunt, nec ſe voto paupertatis obſtringi paſſi ſunt.*

An S. AVGVSTINVS clero regulam praeſcripſerit, valde incertum eſt. Illud certius, quod eidem vitam mo-

Innocent. I. *epiſt. I. cap.* 5. Basil. *epiſt.* 319. Evseb. *hiſt. eccleſ. lib. IV. cap.* 25. Thomas. *loc. cit. cap. VIII.* §. 12.

§. CCI.

Diu durauit.

Diu id genus capitula formam hanc ſeruarunt. Sub Pipino quidem, Carolo M. eiusque poſteris ex Chrodegangi inſtituto et virtute *concilii moguntini* anno 813. nec non formula *aquisgranenſi* 816. clerum inter cathedralem, et epiſcopum maior quaedam neceſſitas coaluit: adtamen adeo non factum eſt, vt priſca capituli ratio immutaretur, ſed vniuerſus ciuitatis clerus vna cum canonicis, eccleſiae cathedralis communibus ſtudiis ſanctiorem hunc epiſcopi *ſenatum* frequentare, atque grauioribus de rebus eccleſiae deliberationibus intereſſe continuarunt.

Thomas. *loc. cit. cap. VIII. et IX.*

§. CCII.

Donec inualuerint capitula cathedralia.

Tandem *ſeculo* potiſſimum *XII.* et *XIII.* potentia, opinor, cleri *cathedralium* eccleſiarum euicit, vt excluſis inferioribus ipſe ſolus cum epiſcopo de rebus gerendis deliberaret, ſolique canonici cathedrales vices miniſtrorum age-

agerent. Quidquid igitur ex canonum pr
ſcripto nuper ab epiſcopis aliter non agebat
quam vniuerſo clero in conſilium vocato:
paulatim omne capituli cathedralis arbitri
vtpote parte nobiliore perfici coeptum eſt.

VAN ESPEN *P. I. tit. VIII. cap. I.* §. 2. Interim
deſunt exempla, quibus longo poſtea te
tam electionis, quam alia maioris momenti
tia cum reliquo ciuitatis epiſcopalis clero c
nia fuiſſe euincitur. Vid. MATHAE. *in*
tom. I. de anno 1322. — item *de nobilit. lib. II*
43. *de anno* 1371.

§. CCIII.

Ob ſingulares huius cleri virtutes.

Et merito etiam *capitulorum cathedra*
auctoritas olim tanto opere amplificata fu
Homines enim erant, et *virtutibus* exculti,
litteris eoque imprimis fine electi, vt in la
ris partem cum epiſcopis venirent *conſiliis*
delicet potentes non minus, quam opera.
que hanc ego ſinceram eſſe cauſſam dixer
quare ipſi epiſcoporum *membra fratres vni*
que cum iis efficere *corpus* cenſerentur: c
4. de his, quae fiunt a prael. Hinc SYN
TRID. monet canonicos, *vt ea morum integ*
tate polleant, vt merito eccleſiae ſenatus d
poſſit. ſeſſ. XXIV. cap. 12. *de reform.*

VAN ESPEN *P. I. tit. VII. cap. III.*

§. CCIV.

[redacted]

§. CCIV.

Quorum tamen facies alia eſt apud germanos.

Alia eſt *capitulorum cathedralium facies*, quam hodie apud *germanos* praecipue praeſeferunt. Poſtquam enim doctorum nomen, eorum maxime, quos iuris canonici ſcientia commendauerat, paſſim in deſpectum et vilipenſionem adduceretur, illuſtrium vero familiarum gens multiplicaretur, excogitata res eſt, quam hodie videmus. Doctiores nempe viri ex lectiſſimo clero adſumti extra gremium capituli corpus conſiliariorum quoddam conſtituunt, quorum opera, et conſilio ad tutius paſcendum gregem vterentur epiſcopi: ceteri, quos auorum, vel numerus, vel gloria magis conſpicuos facit, *capitulum cathedrale* efformant.

An, et quomodo probanda *conſuetudo capitulorum* nullos admittendi niſi *nobiles* docet van Espen *P. I. tit. X. cap. III.* originem vero huius moris, et quomodo tandem patrimonia ſacra modus conſeruandi familias illuſtres eſſe coeperint ex Boehmer. *lib. III. tit.* 5. *§.* 86. 87. 88. diſces. Vid. interim. *cap.* 37. *de praeb. et dignit. et inſtr. pac. art. V. §.* 17.

§. CCV.

Exceptis ſolum vocabulis primaeuis.

Rebus antiquorum apud nos exulantibus nomina quaedam ſuperſunt, quae ciuitate gaudent.

dent. Erant olim *praepoſiti*, erant *decani* erant *capitula et collegia.* Vocabula hae etiam ſtant hodie, collapſo tamen primaev vocabulorum robore. Olim quippe *praepoſit* cenſebatur, cui *totum parebat capitulum*, hunc enim epiſcopi vel in aula degentes, in conciliis, quorum ea tempeſtate maior frequentia, omnem muneris ſui functio committebant. Cum deinde quibusdam in clefiis praepoſiti impenſius ſe rerum tempo lium adminiſtrationi darent, quam vt canonic etiam integerrime poſſint adtendere, his om cum poteſtate decanos praefici coeptum e Sed neutrius vel praepoſiti vel decani maic fuit auctoritas, atque conceſſa eſt ab epiſcop quae vero ſumtis aetate viribus, et praeſcri tione quodammodo roborata, atque per cap tulationes epiſcopis extortas, et capitulorn exemtiones (*lib. I. tit. XXXIII.*) multipl ces confirmata tanto opere fundabatur, vt ſola conſiſtere, et grauis epiſcopis fieri co perit.

THOMAS. *P. I. lib. III. cap.* 66. aliis in eccleſiis vige adhuc *praepoſiti*, *praeſuntque capitulis.* vid. GEOR PERTSCH. *elem. iur. can. lib. I. tit.* 35. BOEHME *loc. cit. tit. IX.* §. 9. 10.

§. CCVI.

Diſtinctio capituli ab eccleſia.

Alteruter hodie praepoſitus, vel decan canonicos conuocat, quorum coetus *collegiu* dicitur, vel *capitulum*: alteruter praeſid re-

rebus, quae in deliberationem veniunt, et conſulta huius ſenatus *acta capitularia*, vel *capitulariter* eſſe geſta dicuntur. Quare diſtinguendum adcurate eſt *capitulum ab eccleſia*: illud canonici cum ſuo decano conſtituunt: hanc autem capitulum eccleſiae cathedralis, et epiſcopus ſimul repraeſentant. *cap*. 19. *de V. S.* Porro eccleſiae caput eſt epiſcopus, membra capitulares. Capitulum vero, cuius membra ſunt canonici a decano, vel praepoſito dirigitur.

Capituli adpellationem ex inſtitutis monaſticis deſcendere docet Boehmer. *loc. cit.* §. 6. qua in adpellatione tam ſingularem praerogatiuam, et honoris gradum praeeminentem quaerunt, vt capitulo cathedrali ius eſſe putent doctores prohibendi: ne collegia alia nomen *capituli* adſumant. Card. de Lvcca *tom. VIII. de praeem. diſc.* 7. *num.* 4.

§. CCVII.

Et varia eius requiſita.

Praeter ea, quae paulo ante memorauimus, doctores ad capitulum requirunt, vt 1.) adſint plures *perſonae eccleſiaſticae* ſacris ordinibus initiatae. 2.) vt *commune* habeant *aerarium*. 3.) annulumque, ſeu *ſigillum commune*, quo videlicet vniuerſi capituli acta muniuntur. 4.) Deinde actorem exigunt, quem *ſyndicum* vocamus, qui negotia controuerſa ex illius re pertractet. Atque in his omnia prorſus *capitula cathedralia* non modo, et *collegiata*, ſed religioſi etiam conuentus conſentiunt,

vnum ſi priuatum vſum aerarii excipias: ipſis enim cum ceteris, qui rerum gerendarum non ſunt participes, communia ſunt omnia, *proprietasque* ad *vniuerſam* pertinet *communitatem*.

GONZALEZ *in cap.* 1. *de iis, quae fiunt a mai. part.* num. 4. FRANC. DE PAVINIS *de offic. et poteſt. cap. ſed. vac. praelud.* 5. *num.* 1. 2. Olim ſane etiam congregationibus monachorum nomen capituli inditum, hodie tamen hoc nomine canonicorum ſecularium collegia a monachorum, et canonicorum regularium conuentibus diſtingui volunt.

§. CCVIII.

Aliqui iure ſuffragii non gaudent vel vi iuris communis.

Olim quidem omnes canonici quarumcunque *eccleſiarum* ſiue *cathedralium*, ſiue *collegiatarum*, vti in monaſteriis religioſorum profeſſi omnes perinde *ſuffragia ferebant. can. fin. cauſſ. XVI. q. VII. can.* 3. *cauſ. XVIII. q. II. cap.* 1. *de elect. cap.* 22. 25. de *praeb.* ſcilicet ea aetate nemo quidquam nouerat de canonicis in *herbis*, et *floribus*, ſed omnium conditio erat par. Neque ſplendidioris etiam, ſed religioſioris vitae cauſa tum canonicatus petebantur: cum vero ſequioribus annis ſacerdotii onera, quae cum honoribus canonici alias venerant, diſplicere coepiſſent, de vtrorumque diuiſione cogitatum eſt. Vnde natum eſt genus quoddam canonicorum, quos *honorarios* dicimus. His quidem per ſe votis, et ſuffra-

ſuffragiis in capitulo interdictum eſt. Non enim ſatis eſt canonicos vocari; ſed vna nec beneficio, nec maioribus ordinibus careant, neceſſe eſt. Et vero a Clemente V. (*clement.* 2. *de aetat. et qualit.*) cuius conſtitutionem Concil. Trident. *ſeſſ. XXII. cap.* 4. *de reform.* confirmauit, cautum eſt, ne quis deinceps in *capitulum eccleſiae cathedralis*, vel *collegiatae ſecularis*, vel *regularis* cum *ſuffragii iure* veniat, qui *ordine maiore* ſaltem *ſubdiaconatus* non fuerit initiatus.

Vtrum vero iſthaec Tridentini diſpoſitio peculiaribus religioſorum ſtatutis deroget, vulgo diſputant. vid P. Boeckn *comment. in ius. can. lib. I. tit. VI. num.* 187. P. Iac. Wiestner *inſt. canon. lib. III. tit. XI. num.* 11. P. Lvd. Engel. *lib. III. tit. XI. num.* 6. 7.

§. CCIX.

Vel ob particularia capitulorum ſtatuta.

Haec quidem, quae diximus, ex *iure communi* ſufficiunt. Verum non deſunt capitula, in quae canonicis etiam in ſacris conſtitutis inſuper *aetas* primum *certa*, vel a *natiuitate*, vel ab *occupatione canonicatus*, vel a *ſuſcepto ſacro ordine* aditum concedit.

Lis quaedam de hac exceptione oritur. Quid enim: num compleri omnino debet annus vltimus? Num inchoari ſatis eſt? Ego quidem ſic exiſtimo: primo omnium adtendendum eſſe ad *ſtatuti morem*, et *obſeruantiam cap.* 8. *de conſuet.* Deinde vero niſi ſingularis intercedat *obſeruantia diem omnino vltimum*

mum temporis admiſſioni ad *capitulum* praeſtitut complendum eſſe. P. IAC. WIESTNER *inſt. can lib. III. tit. XI. num.* 5. *ſeqq.*

§. CCX.

Quoad epiſcopum.

Duplicem *epiſcopus* perſonam ſuſtinet, videlicet *capitis eccleſiae*, et quia munus hoc praebendam quoque canonicam poſt ſe trahit, ſimul *canonici cap.* 15. *de conceſſ. praeb. cap.* 11. *de adpellat. in* 6. Quod ſi more collegarum ſuorum ſuffragetur canonicus, par eſſe cenſetur. Si vero epiſcopum ſe ferat, voce propria caret: in ſuffragiorum tamen aequilibritate, quod omnium congregationum praeſidibus ſemper integrum fuit, *praeponderat*, et *decidit ſententiam.*

§. CCXI.

Et quoad praepoſitos, ac decanos diſtinctione quadam obtinente.

Praepoſitorum et decanorum conditio biceps quoque eſt, quatenus enim honoribus iſtis abſtracte conſideratis praefulgent, cum dignitates non eſſe de capitulo dicantur, niſi praebenda ſimul potiantur, ipſi in capitulis ſilent. Cum vero *decanus caput* ſit *canonicorum*, *praepoſito* autem *vetus* ſaepe *inſtitutum patrocinetur*, in morem pridem abiit, vt, niſi de praebendis forte agatur, alter pro

ſuo

ſuo munere, alter *fundationis fauore* in capitulo conſideat. Ii vero, qui canonici non ſunt, licet in partem redituum veniant, licet de bonorum adminiſtratione deliberandi ius habeant, niſi aliter ſingularis ratio, vel conſuetudo obtineat, inter membra capituli nunquam reputantur.

Fagnan. *ad cap. I. de elect.* Garcias *de benef. p. XI. cap. XIII. num.* 206. 209. Rebvff. *tractat. de nominat. quaeſt. VIII. num.* 32. Barbosa *de canon. cap. XXXVII. num.* 14. Cardin. de Lvcca *de benef. tom. I. diſc.* 46. *num.* 1. Van Espen *p. I. tit. VII. cap. V. tit. VIII. cap. III.* Boeckn *lib. III. tit. XI. num.* 17. *ſeqq.*

§. CCXII.

Capitulorum eccleſiarum cathedralium iura.

Originem hactenus, ſtatumque capitulorum, e quibus ipſa componuntur canonicorum collegia vidimus. Supereſt iam, vt in *iura* eorum, et *poteſtatem* indagemus. Qua in re ita verſabimur, vt primum quid in *eccleſiis cathedralibus Germaniae* obtineat, exponamus; dein pauca quaedam de capitulis eccleſiarum collegiatarum, nec non religioſorum ſnbiuncturi.

§. CCXIII.

Sede repleta, et vacante, aut impedita.

Capitula in *eccleſiis cathedralibus germanorum* ad epiſcopatus regimen ſiue *eccleſiaſticum*, ſiue *politicum* iuribus fruuntur *dupli-*

 cis

neris. Alia quippe ſunt, ...*a*, alia quae *vacante*, aut *im*... *aua* v... nt. Vtraque exercentur vel in REGENDA ECCLESIA, vel in CVRA OECONOMIAE, vel in ORDINE STATVS POLITICI, et REGIMINIS TERRITORIALIS.

Sunt quidem plura inſuper capitulorum iura. Verum cum ad epiſcopatus gubernationem non ſpectent, et capitulis pro ſeſe conueniant, ſemper eadem ſunt, ſiue vacet ſedes, ſiue non. Propterea nulla eorum hoc loco fit mentio.

§. CCXIV.

Et ſedis impeditae, ac vacantis definitio.

Quia potiſſima capitulorum iura vigent, cum ſedes aut vacet, aut impediatur, locum his primum dandum eſſe putaui, Ante vero, quam eorum ambitum, et limites perquiramus, tantiſper nomenclationem vtriusque vocis vacantis ſcilicet, et impeditae ſedis explicemus. Et quidem *tempus illud omne, quod ab epiſcopo, aut praelato, vel e viuis, vel quomodocunque ſublato ad noui vſque electionem intercedit ſedem vacantem* dicimus. *Sedes impedita* cenſetur, *cum tempus eas iniicit remoras, quo minus intra tres menſes vel eligi epiſcopus, aut praelatus, vel poſtulari poſſit: adeo quidem, vt ceſſante etiam negligentia ipſa negligentiae poena in iure deuolutionis repoſita dispareat. cap.* 41. *de elect. cap.* 1. *de ſuppl. negl. in* 6.

Patet

[redacted]

Patet ergo, quod ſedes impedita per naturam ſuam ad certum tempus reſtringi nequeat: *ſedes vacans* autem iam ipſo iure reſtricta ſit *cap.* 41. *de elect.*

§. CCXV.

Ac diuiſio.

Vacans eſt ſedes, cum epiſcopus vel *morte*, vel *renunciatione*, vel *translatione*, vel *depoſitione* &c. coactus diſcedit. Atque haec vacuitas dici poteſt *omnimoda*. Alia eſt *ex parte aliqua*, quando nimirum vel ab *hoſtibus*, vel ab *haereticis ſede ſua pulſus* auffugit epiſcopus, vel *captiuitate* tenetur, vel *alio modo inutilis* euadit &c. Literati hanc ſolent nuncupare vacantiam *ſecundum quid*. Impedimenta vero, vnde ſedes impedita dicitur, ea exiſtimantur, quibus perſeuerantibus vel electores, vel eligendi implicantur, ne ad electionem, vel poſtulationem procedere fas ſit. Et horum etiam ea eſt indoles, vt ſedem nunc *ſecundum quid*, nunc *ex toto* impediant.

Diſt. XCII. *can.* 8. *cap.* 3. *de ſupplend. neglig. in* 6. *cap.* 2. *de translat. epiſc.* Vid. BOEHMER *loc. cit. tit.* IX. §. 18. 19. 20. GEORG. PERTSCH. *loc. cit.* §. 396.

§. CCXVI.

Olim ſede vacante omne ferme ius penes clerum.

Si *prima* reuoluimus eccleſiae *ſecula*, in confeſſo eſt apud omnes, *clerum* continuo *ca-*

thedralem in locum epiſcopi vel demortui, vel impediti ſucceſſiſſe, neque aptior quisquam, et proximior erat, qui curam hanc ſuſciperet, quam is ipſe clerus, quocum epiſcopus in viuis ſuperſtes ſollicitudines ſuas diuidebat. Adtamen ea moderatione ſemper erat, et modeſtia, vt nihil temere ſibi agendum ſumeret, quod reuerentius, et conſultius in noui epiſcopi aduentum ſeruaretur. Non enim tantopere de iuribus et amplificatione capituli, quam de ſalute regni Chriſti proſpiciebatur.

THOMAS *P. I. lib. III. cap. VII. §.* 13.

§. CCXVII.

Dein penes interceſſorem erat.

Huius vero diſciplinae mos non vltra *ſeculum IV.* haereticorum prauitate infectum durabat. Hi enim in diuerſas ſciſſi partes orbatis continuo eccleſiis e ſectis quiſque ſuis ſurrogare hominem ſatagebant. Igitur vt malo atrociſſimo mederetur pars melior, in vacuam vt plurimum ſedem aut vicinior, aut exul quidam epiſcopus ſubmittebatur, qui etiam ſenatu ſanctiore adiutus gregi interea fidelium praeeſſet. Atque vicarium hunc paſtorem *interceſſorem* vel *interuentorem* dicere ſolebant. Verum cum interceſſores hi non bona ſolum epiſcopatus vacui, ſed ſedem quoque ipſam interdum adfectarent, ne ita quidem rebus omnino prouiſum eſſe credebatur.

Qua-

Quare huic quoque malo medela adhiberi debuit *can.* 22. *cauſ. VII. q. I.*

Egregie praxin hanc in occidente promouit Gregorius M. *can.* 16. 19. *diſt. LXI.*

§. CCXVIII.

Apud germanos vero et gallos olim reges de adminiſtratione proſpiciebant.

Apud *germanos* quidem, et *gallos*, vti alio loco memorauimus, reges iure de epiſcopis proſpiciendi vſi ſunt, ipſosque adeo eccleſiae vacantis reditus *regalium* nomine ſibi vindicarunt. Ipſi pro ſua auctoritate viſitatores, ſeu commendatores praeficiebant: ipſi epiſcopos ſub annulo, et baculo inueſtiebant. Igitur tunc quidem intercalaris cathedrae vacantis adminiſtratio *capitulis*, ſeu *canonicis* ex Chrodegangi praecepto viuentibus erepta fuit.

Nat. Alex. *hiſt. eccleſ. ſecul. XIII. et XIV. diſſ. VIII. art.* 2. *§.* 7. *et* 8. du Cange *in gloſſar. med. aeu. voc. viſitatores.*

§. CCXIX.

Qui mos mox exoleuit.

Hic vero mos annis ſuccedentibus *ſeculo* praeſertim *XII.* exoleuit. Nam relicta vita communi ob rerum omnium adfluentiam ſupra reliquum clerum eminere canonici, et maio-

tem paulisper nacti auctoritatem imperium quacunque ratione ſub decanis, et praepoſitis ſuis adfectare coeperunt, ita quidem, vt ſub HENRICO V. imp. praecipuum epiſcopos eligendi ius ad *capitula cathedralia* perueniret a FRIDERICO II. imp. *ſeculo XIII.* pleniſſime firmatum; quod iisdem exoptatam deinceps omne regimen epiſcopale ſede vacante ad ſe trahendi, exercendiue occaſionem praebuit.

DE ICKSTATT. *loc. cit.* §. 30. *ſeqq.*

§. CCXX.

Praeſertim ſeculo XIII.

Non vna tamen regaliis bonorumque temporalium adminiſtrationi renunciabatur. Nulla enim neque aeuo impp. carolingicorum, neque ſub impp. germanis capitulorum, quod ad haec iura auctoritas erat, quippe res omnis penes *aduocatos*, aut *miſſos regios* ſteterat. Donec tandem *ſeculo XIII.* IMPERATORES noſtri hoc etiam innocuo alias, et in ipſa feudorum natura fundato *regaliae* iure ſe abdicarunt.

DE ICKSTATT *loc. cit.* §. 37. *ſeqq.*

§. CCXXI.

A quo tempore capitula omne ferme ius circa temporalia exercebant.

Ab hoc tempore capitula eccleſiarum cathedralium ſede epiſcopali vacante regimen in ſacris,

[redacted]

cris, et *temporalibus* exercere ex eo etiam capite minime dubitarunt, quod *bona profana* non epiſcopis tantopere, quam ipſorum *ecclesiis* ab IMPERATORIBVS conceſſa crederentur: quemadmodum igitur imperatores poteſtatem capitulorum priuatiue eligendi epiſcopum in feudis, ac regalibus ſucceſſorem confirmarunt, ita penes illa quoque tutelam, atque prouiſionem epiſcopatuum intermiſticam eſſe paſſi ſunt.

§. CCXXII.

Ex quo fluit illorum poteſtatem ſede vacante mere iuris eſſe arbitrarii.

Ex quibus omnibus, ni fallor, euidenti concluſione deducitur, omnem capitulorum tum in *ſacris*, tum in *profanis ſede vacante poteſtatem iuris* eſſe *mere arbitrarii*, ita, vt ſi de finibus illius regundis quaeſtio inſtituatur, omnis controuerſia tum ex *conciliorum*, et *canonum diſpoſitione*, tum ex IMPERATORVM, et *imperii legibus:* in vtroque caſu autem ex *tacita quadam voluntatis legislatorum declaratione* ſit decidenda. Edic quaeſo, quo iure olim pontifices, et metropolitani denominatis a ſe *viſitatoribus*, *interuentoribus*, ac *commendatoribus* paſtoralem ſollicitudinem ſede vacante detulerunt? Et qua ratione factum eſt, vt per tot ſecula adminiſtrationis intermiſticae in temporalibus cura *miſſo regio* fuerit demandata, fructusque vacantis epiſcopatus ab impp. ex *regaliae iure* ad interregni

vsque

vsque tempora occupati? An irrequieta, et augendae ſemper ſuae poteſtati intenta capitulorum tenacitas ſacrorum, et temporalium adminiſtrationem, et emolumenta ſibi praeripi paſſura fuiſſet, ſi intermiſticum hocce regimen ex tradito quodam, et radicali proprietatis vel condominii iure ſibi competere quantulacunque ratione demonſtrare potuiſſet?

§. CCXXIII.

Ex quibus varia.

Si recte video, ſatis commode ex iis omnibus, quae praeceſſerunt, concluſiones iſtae ſequuntur. I) *poteſtas capituli ſede vacante* eſt *nude adminiſtratoria*, *tutoria*, *non proprio*, ſed *alieno* nomine *capitulo cathedrali* competens. II.) quod ad *regimen eccleſiaſticum*, et *ſpirituale* adtinet, nemo id quidem in dubium vocauit. Nam SPIRITVS S. *epiſcopos*, *non capitula poſuit regere eccleſiam Dei* ACT. *XX*. 15. Neque contrarium ex textibus iuris canonici, in quibus capitulis ſede vacante regimen conceditur, eluceſcit, quin potius adſerti noſtri veritas inde directe confirmatur, cum *defenſore legitimo* carere *cap. fin. ne ſed vac.* et viduata non vno loco eccleſia dicatur, et licet capituli poteſtas *propria* eatenus, quatenus ex canonum diſpoſitione ei defertur, dici poſſit; id tamen haud impedit, quo minus vicaria ſit, et poteſtati tutoris rem alienam curantis per omnia congruat.

Cap.

Cap. II. 14. *de mai. et obed. cap.* VII. *ne ſed. vac. in* 6. *cap. vlt. de ſuppl. negl. in* 6. Fermosin. *de poteſt. cap. ſed. vac quaeſt. I. num.* 7. *et quaeſt. VII. num.* I.

§. CCXXIV.

Deducuntur.

III.) De *ſeculari poteſtate capituli ſede vacante* eo minus dubii ſupereſſe poteſt, quin *vicaria* ſit, et *alterius* ſcilicet imperatoris *nomine* exerceatur, cum vtique conſtet *ſuperioritatem territorialem penes ſolum epiſcopum* reſidere. Is enim eſt vaſallus, is de feudo inueſtitur, neque in litteris inueſtiturae vlla capituli fit mentio, neque capitulum, ſed neo-electus epiſcopus tenetur feudum ab imp. iterum accipere. Verum quidem eſſe fatemur, quod *epiſcopis* et *eccleſiis* regalia iura; atque alia bona temporalia conceſſa fuiſſe diplomata teſtentur, ſed ita, vt donationum *perpetuitas*, non *condominium* conceſſum eſſe intelligeretur. Hiſtoria docet non raro *ſede* vel *impedita*, vel *vacante* ſuadente *vtilitate imperii*, vel *eccleſiae* ab imperatoribus modo *profanis*, modo *ſacris hominibus regalium* eiusmodi *exercitium* fuiſſe commiſſum.

Chron. belgic. in Piſtor. ſcript. rer. germ. tom. III. pag. 229. Menken. *ſcript. rer germ. tom. III. diplom. Caroli IV. p.* 2023. *num.* 21. *et* 22.

§. CCXXV.

§. CCXXV.

Idem.

IV.) Minus recte ergo exiſtimat *celeberrimus* ESPEN *p. I. tit. IX. cap. I. §.* 3. cum *card. de* LVCCA *diſſ. XXXI. in concil. trid.* (quibus addi poteſt BOEHMER *lib. III. tit. IX. §.* 22.) *ſede vacante epiſcopalem iurisdictionem*, atque *eccleſiae adminiſtrationem* ad capitulum *non* quidem *priuilegio* quodam, vel *delegatione*, ſed *iure non decreſcendi* deuolui. Scimus equidem ab *epiſcopo*, et *capitulo* ſimul *eccleſiam cathedralem* veluti vnum *corpus* confingi. *cap.* 4. *de his, quae fiunt a prael.* Sed apud corpus hoc totum *habitualiter*, vt loquuntur, ius et iurisdictionem epiſcopalem eiusque exercitium ſede vacante *iure conſolidationis* reſidere non ſcimus. Eſt delegatio, inquis. Eſto. Sed alia eſt delegatio hominis, alia eſt legis. *Corpus* eſt, dices, quod cum epiſcopo ſuo capitulum conſtituit. Eſto corpus etiam: modo ne vocabulo ſeducamur. Quae olim optime dicta ſunt, nunc forte, ex quo in peius omnia verſa, non niſi inane nomen reſonant.

Videntur, qui ita ſentiunt, abbatias, et monaſteria, ſimilesque fundationes, quarum antiſtites nonniſi nudi bonorum ad totum corpus ſpectantium adminiſtratores ſunt, cum epiſcopatibus Germaniae confundere. Ceterum taceo abſurda ſatis manifeſta, quae ex hac opinione facile deduci poſſunt. Vid. *de* ICKSTATT. *loc. cit. §.* 45. 47.

§. CCXXVI.

l) Quoad ſacra 1.) capitulis omnino nulla poteſtas ordinis.

His affatim pertractatis: quae praemitten-
t videbantur, operoſum iam non erit capi-
lorum iura ſede vacante tum in ſacris, tum
profanis diſtinctius intueri. Initium duci-
m. I.) de POTESTATE ECCLESIASTICA.
uemadmodum ea, quae 1.) *ordinis* ſunt *epiſ-
palis* vnice a charactere epiſcopali proflu-
it, qui nec *capitulo*, nec *ſingulis* de *capitu-
congruit*, ita in *capitulum tranſire* neque-
it. Extero quidem epiſcopo dare hanc li-
ntiam poteſt, vt ſua in dioeceſi pontificalia
eat, ſed vt ordines etiam intra annum a die
cationis conferat, dare non poteſt: neque
teras dimiſſorias hominibus ſibi ſubditis, niſi
neficio arctatis, expedire valet. TRID. *ſeſſ.
II. cap.* 10. *de reform.* atque ita limitata fuit
teſtas capituli, quae antiquiore iure compe-
bat. *in cap.* 3. *de temp. ordin. in* 6.

id. P. ENGEL *ad tit. ne ſed. vac. num.* 13.

§. CCXXVII.

t 2.) iurisdictionis ordinariae vicario tantum nomine competit.

Quod 2.) ad *iurisdictionem*, et quidem
dinariam adtinet, *capituli poteſtatem ſede
cante* non niſi *vicariam*, atque *adminiſtrati-
uam*

uam eſſe conſtat. Quam enim ob rem epiſcopi vices ſuſcepit capitulum? Num quid ideo, ne populus interea chriſtianus, dum paſtor nouus adueniat *defenſore deſtitutus cap.* 1. *ne ſed. vac.* quidquam detrimenti patiatur; ne quid eorum omittatur, quae ſalua integritate ſua moram non admittunt? Quae cum ita ſint, opportunum eſt inferre vltra negotia more impatientia, grauique cum incommodo eccleſiae vacantis connexa hanc poteſtatem ſe non extendere, ſiue de *contentioſa*, ac *neceſſaria*, ſiue de *voluntaria*, ac *gratioſa* iurisdictione agatur. Atque ſic omnino accipienda videtur familiaris, *adfirmansque* canoniſtarum *regula*, *iurisdictionem epiſcopi ſede vacante in capitulum tranſire*, quam ex *cap.* 11. 14. *de mai. et obedien. cap. vn. eod. in* 6. *cap* 3 *ſeqq. de ſuppl. negl. in* 6. TRID. *ſeſſ.* 24. *cap* 16. *de reform.* exſculpunt, et ſtabiliunt.

Imitentur modo capitula antiqui presbyterii morem, de quo THOMAS. *P. I. lib. III. cap. VII.* §. 1 loquitur. Imitentur exemplum S. collegii cardinalium, cuius ſede apoſtolica vacante in regimine intercalario limites inuenies in CONSTIT. CLEM. XII. de anno 1732. BVLLAR. ROM. *tom. XIII.* CONSTIT. LXXVI. Interim conf. hic VAN ESPEN *loc. cit.* §. 4. 6. THOMAS. *loc. cit. cap. X.* §. 10. *ſeq.* FERMOSIN. *tract. I. de cap. ſed. vac. cap. I. num.* 6. et 7. add. P. BOECKN. *ad tit. IX. lib. III. num.* 2. et 3. P. WIESTNER *eod. num.* 3.

§. CCXXV

§. CCXXVIII.

Exceptis 3.) iis, quae ſunt iurisdictionis extraordinariae.

Quae autem iurisdictionem epiſcopi 3.) *extraordinariam* reſpiciunt, eiusque perſonae *ex priuilegio*, et *iure ſpeciali*, veluti *delegationis apoſtolicae* commiſſa, quaeque indiuulſe dignitati epiſcopali adnexa ſunt, a *capitulo ſede vacante exerceri* haud poſſunt: in his enim vel perſonae, vel meritorum, vel dignitatis epiſcopalis vnica habetur ratio. Quae tamen per Isidori *impoſturas* epiſcoporum poteſtati detracta, et dein ſiue conſuetudine, ſiue ſpeciali lege denuo conceſſa ſunt, ab epiſcopis hoc modo in integrum reſtitutis *non ſingulari delegatione*, ſed *iure ordinario* exerceri intelliguntur, adeoque talia a capitulo ſede vacante adminiſtrari poſſe procul eſt dubio.

Vid. van Espen. *loc. cit. cap.* 1. §. 4. 5. *cap.* 11. §. 2. add. Boeckn *loc. cit. num.* 13. *et* P. Engel. *tit. ne ſed. vac. num.* 2.

§. CCXXIX.

Salua ſemper regula ne ſede vacante quidquam innouetur.

Ad conſueta vero praeſulum munia, quod attinet, ea ſic obeunda ſunt a capitulo ſede vacante, vt nulla re prior eccleſiae ſtatus deterior reddatur. Sed multiplex experientia nos docet, epiſcopi iuribus, et bonis praeſertim temporalibus nihil ſaepe infenſius eſſe

ipſomet capitulo. Quid mirum, ſunt enim vtrorumque iura, et bona diuerſa? Quare faciendum eſt diligenter, vt iura epiſcopi, et eccleſiae in hoc interregno ſecura periculi praeſtentur. Inde lex iſta condebatur, *ne ſede vacante aliquid innouetur, cum non ſit, qui ius epiſcopale tueatur. cap. I. ne ſed. vac.* Et haec eſt altera canoniſtarum *regula negatiua*, quam cum priore in vnam conſonantiam reducere non adeo arduum mihi quidem videtur, ſi genuina iuris publici eccleſiaſtici principia prae oculis habeamus, et ſequamur.

Vid. DE ICKSTATT. *loc. cit.* §. 59. 60. BOECKN *loc. cit. num.* 4. WIESTNER *loc. cit. num.* 4. 5. 6.

§. CCXXX.

II.) *Quoad profana gaudent* I.) *capitula iuribus territorialibus.*

Proximum iam eſt, vt II.) de amplitudine POTESTATIS PROFANAE, ſeu TEMPORALIS verba faciamus. Illud praeprimis inter omnes conſtat, *antiſtites* GERMANIAE noſtrae duplicem ſuſtinere perſonam nimirum principis eccleſiae, et *principis, ſtatusque imperii romano-germanici*, cuius nexus ratio omnino haberi debet. Itaque I.) *de regimine territorii* initio agamus. Et imprimis quidem planum eſt *omne ius ordinarium* principis demortui ad *capitulum ſede vacante* deuolui. Ex adminiſtratiui tamen, et tutelaris regiminis natura, et indole intelligimus, iisdem illud limi-

[redacted]

limitibus circumſcribendum eſſe, vt ad maioris, momenti negotia moram ferentia, eaque, quae in ſucceſſoris imperii, ac territorii detrimentum vergere quacunque ratione poſſunt, haud protendantur: ita denique comparatum ſit, vt fini eius, eccleſiae nempe, et territorii ſaluti quam diligentiſſime conſulatur. Secus ſe rem habere in iis, quae epiſcopo principis *iure extraordinario* competunt, et in quibus capitula ſede vacante, aut impedita, epiſcopos ſuos non repraeſentant, res ipſa loquitur.

Vid. de Ickstatt *loc. cit. §. 54. ſeqq. et 71. ſeqq.*

§. CCXXXI.

Non qua ſtatus imperii.

Vides, opinor, quid tenendum ſit de illorum ſententia, qui *capitulum mortuo epiſcopo* regnans veluti *corpus immediatum*, et *ſtatum imperii iure* quodam *ſuo* in *plenam epiſcopi poteſtatem ſuccedere* adſerunt. Verum hi vehementer errant. Ego enim neque ius nouum video ipſi adoleſcere, neque vetus quoddam reuiuiſcere. Vel date mihi hanc legem, quae alterutrum enunciet. Tutorem eccleſiae agere capitulum iam diximus, iterumque repetimus; anne vero in *tutorem* tanta cadit auctoritas, vt *ſuo* quaeuis *nomine peragere* valeat? Mortuo epiſcopo priſtina tum perſonarum, tum rerum capitularium, ipſiusque epiſcopatus, et territorii natura, et conditio permanet. *Capitulum* itaque ex *canoni-*

cis, et *imperii legibus principatus, et territorii immediati tutor*, et *adminiſtrator* conſtituitur.

Vid. *Inſtr. pac. oſnab. art. V. §.* 17. vbi capitulis eccleſiarum cathedralium ſede vacante adminiſtratio, et iurium epiſcopalium exercitium tantum tribuitur.

§. CCXXXII.

Sed qua adminiſtratores eccleſiae vacantis.

Occurrunt tandem quaedam *principum eccleſiaſticorum iura, et praerogatiuae*, quae *non* tam *territorio, quam principum* perſonis inhaerere videntur. Hinc mirum non eſt, ius eligendi imperatorem nunquam capitula exercuiſſe. Aliud dicendum eſt de *iuribus territorio adnexis*, quae realium iure cenſentur, et a *capitulis ſede vacante tutorio nomine adminiſtrari et exerceri* in comperto eſt, et vſus quotidianus teſtatur.

Vid. MOSER *I. publ. tom. XII. lib. III. cap. LIV. §.* 1. *p.* 161. de ICKSTATT. *loc. cit. §.* 71. 72.

§. CCXXXIII.

2.) Poteſtate quidem oeconomica, ſed per SS. canones valde limitata.

Vt rectius 2.) de *poteſtate oeconomica* ſentiatur, ſciri imprimis oportet *omnes* olim *fructus ſede non raro ad annum vacante* ex regaliae iure ad imperatores refluxiſſe. Verum IMPERATORES deinde iuri iſthuic renuntiarunt

[redacted]

nt, vel vt capitulis, vel quod veriſimilius
t, vt eccleſiis, et epiſcopatibus magis con-
lerent. Profecto ex litteris epiſcoporum,
principum GERMANIAE *ap.* SCHATEN *lib.*
X. *annal. paderborn. p.* 917. *ad* INNOCENT.
I. datis docemur, OTTONEM IV. *imp.* eccle-
aſticos principes ab illo onere regali benefi-
entia liberos dimiſiſſe, et *decedentium bona*
iis ſucceſſoribus conſeruanda liberaliter ſta-
iiſſe. Hinc fructus, atque reditus ex bonis
ienſae epiſcopalis, aut ex territorio aliunde
rouenientes ad vnum omnes in futuri epiſ-
opi vſum, eccleſiae, ac territorii emolumen-
um cuſtodiendos eſſe in concilio tridentino
liisque SS. canonum conſtitutionibus compre-
enſum eſt.

RID. *ſeſſ. XXIV. cap.* 16. *de reform. et cap.* 40. *de*
elect. in 6. *et cap.* 9. *de offic. ord. in* 6.

§. CCXXXIV.

3.) *Voto, et ſeſſione in comitiis.*

3.) Olim quidem *capitulum ad comitia* ne-
ue *vocabatur*, neque *admittebatur* etiam.
Annis tamen *ſequentibus* cum territoriis co-
nitiale ius adhaerere creditum eſſet, et ex
vna parte eorum adminiſtratio ſede vacante
capitulo concederetur, ex parte altera vero
aepe id genus negotia vrgeantur, quae terri-
orii ſunt, et moram non recipiunt: inde
actum eſt, vt *ſedere in comitiis, et ferre ſuf-*
ragium inciperet. Eodem modo auſtregarum

L 3 iure

iure gaudet, et ſic veluti epiſcopatus tutor recte ad auſtregalem inſtantiam prouocat. Licet eiuſmodi caſus ob ea, quae mox dicturi ſumus, rariſſime poſſit contingere.

Inſt. pac. oſnab. artic. V. §. 17. et 21. Periodum temporis, quo illud factum, adcurate definire non poſſumus, niſi quod poſt interregni demum tempora ſeculo circiter XIV. id contigiſſe veriſimile ſit. Vid. DE ICKSTATT. *loc. cit. §.* 64. 65. 69. 70.

§. CCXXXV.

In ſpecie vero aliis iuribus.

Ex hactenus recenſitis faciles ſunt concluſiones iſtae: I.) capitulum poteſt *condere ſtatuta prouiſoria*, quae vacant, cenſuris etiam munita, quae totam dioeceſim, non vero praeſulem futurum obligent. II.) *Diſpenſare in irregularitatibus* non ſolum natis ex delicto occulto. TRID. *ſeſſ. XXIV. cap. 6. de reform.* ſed iis etiam in caſibus, in quibus iure ordinario poterat epiſcopus. III.) *Adprobare* et *conſtituere ſacerdotes* pro excipiendis poenitentium confeſſionibus, iisque concedere *facultatem abſoluendi* a peccatis, et cenſuris epiſcopo reſeruatis.

TRID. *ſeſſ. XXIII. cap. 15. de reform.*

§. CCXXXVI.

§. CCXXXVI.

Idem.

Vlterius etiam colligitur IV.) capitulum ad neceſſariam morum emendationem *viſitatores mittere* poſſe (Trid. *ſeſſ. XXIV. cap. 3. de reform.*) vel in dioeceſin vniuerſam, vel in partes illius non obſtante *cap. vlt. de ſuppl. negl. in 6.* imo monialium monaſteria, quae exemta dicuntur, ab hac poteſtate non eximuntur. *clem. fin. de ſtat. monach.* et Trid. *ſeſſ. XXV. cap. 9. de regul.* V.) *Clericos adigere*, vt beneficiorum titulos proferant, vel etiam ſi duo, vel plura incompatibilia ſimul obtineant, vt diſpenſationem oſtendant.

§. CCXXXVII.

Idem.

Et VI.) *conferre beneficia*, eorum reſignationes acceptare, permutandi veniam dare: ſiue collatio in vnius capituli, et epiſcopi *aequaliter* ſit manibus *cap. vn. ne ſed. vac. in 6.* ſiue certis hominibus ex fundationis praeſcripto debeatur. VII.) *praeſentatos* a patronis *inſtituere cap. 1. de inſt. in 6.* confirmare electiones inferiorum praelatorum *cap. 14. de mai. et obed.* VIII) in criminoſos, famoſos, et vehementer ſuſpectos *animaduertere*.

§. CCXXXVIII.

Idem.

Porro IX.) *cognoſcere* de cauſis quibuscunque, quae ad epiſcopi forum pertinent, ne haereſi quidem *cap. 6. de haeret. in 6. et clem. 1. eod.* litibusque matrimonii exceptis *cap. 7. de eo, qui dux.* Nec obſtat TRID. *ſeſſ. XXIV. cap. 20. de reform. X.) Alienare* res, quae ſeruari non poſſunt. *cap. 61. de reg. iur. in 6.* et auctoritatem ſuam in alienationibus per inferiores praelatos, et clericos faciendis interponere. XI.) Ex manifeſta, et rationabili cauſa *exigere* ſubſidium *charitatiuum.* XII.) Eorum *rationes explorare*, qui loca epiſcopo ſubdita adminiſtrant.

Plura de hac re ſi ſcire cupis, addas PET. LEVRENI. *vic. epiſc. tract. III. cap. II.* et P. WIESTNER ad *tit. ne ſed. vac. artic. I.* monuiſſe interim ſufficiat, ſingula ad normam principiorum, quae ſupra ſtabiliuimus, eſſe exigenda.

§. CCXXXIX.

Recenſentur ea, ad quae ipſorum vis ſe ſe non extendit.

Capitulum, quod eccleſiae clerum repraeſentat, vi ſui officii ſede vacante in omnibus, quantum fieri poteſt, *vices epiſcopi* tenetur adimplere, ne eccleſia ſupremo et principe paſtore deſtituta detrimentum patiatur, iis merito imputandum, quorum officium eſt,

gregi

[redacted]

egi *fidelium inuigilare*, et epiſcopo praeſenti iam in eo paſcendo adſiſtere. Haec eſt *regu-*', ex qua poteſtas capituli ſede vacante deter- inari debet. Quodſi huius *ratio* ceſſat, aut ecialis iuris diſpoſitio accedit, quae hanc po- ſtatem reſtringat, tum *exceptio* facienda erit. inc capitulum ſede vacante non poteſt) *conferre* beneficia aut praeſentare ad illa, modo collatio aut praeſentatio ſit *libera* et *ſoli* iſcopo competat; *cum nusquam inueniatur utum in iure, quod capitulum vac. ſede fun- tur vice epiſcopi in collationibus praebenda- m. cap.* 2. *Ne ſed. vac.* quia in eis non ſuc- dit epiſcopo, quae iuribus eius praeiudicium ferunt, niſi maius eccleſiae malum illud ntemni ſuadeat. 2.) *Canonicatus* aut *prae- ndas extinguere*, et ita in re, quae moram 't, et epiſcopo tantum eſt permiſſa pro do- ſua curare. Trid. *ſeſſ. XXIV. cap.* 15. *reform.*

§. CCXL.

Idem.

Hinc III.) nec *alienare* res poſſunt, et bo- ı eccleſiae *can.* 41. 42. 44. *cauſ. XII. q. II.* ſi *ineluctabilis* premat *neceſſitas*: nec bona l menſam epiſcopi pertinentia transferre ad enſam capituli *can.* 38. 43. *cauſ. et q. ead. ıp.* 40. *de elect. in* 6. *clem.* 7. *de elect.* IV.) ec *litem* ſuper eccleſiae bonis, et iuribus *in- hoare*, aut inchoatam ſiue agendo, ſiue reſ-

ndo proſequi *cap. fin. ne ſed. vac. cap.* 1. 3. *de in integr. reſtit.*

Vid. PET. LEVREN. *loc. cit.* FERMOSIN. *de cap. ſed. vac. quaeſt. XVI. ſeqq.* add. WIESTNER. *loc. cit. art. II.*

§. CCXLI.

Quod etiam de beneficiis devolutis tenendum eſt.

Diximus antea ad capitulum non pertinere ius conferendi beneficia, quae ab vnius epiſcopi arbitrio pendent. An idem ſentiendum ſit de beneficiis, quae ex negligentia inferioris collatoris, vel patroni ad liberam epiſcopi collationem ſunt deuoluta? Diſputatur. Imprimis quidem capitulis generatim omnis *beneficiorum collatio* denegatur, praeterquam in caſibus expreſſe permiſſis, in quibus iſtae deuolutiones non leguntur. Deinde vero *nusquam inuenitur cautum in iure, quod capitulum ſede vacante fungatur vice epiſcopi in collationibus praebendarum. cap. 2. ne ſed. vac.* (*ſup.* §. 229.) Inſuper diſpenſatio beneficiorum eſt veluti fructus quidam epiſcopalis dignitatis, donatio, mereque liberalis conceſſio. *cap. vn. vt benef. ſine diminut.* Fructus autem ſucceſſori reſeruandos eſſe conſtat *cap. 9. de offic. ord. et clem. 7. de elect.* Prouti etiam donatio, mereque liberalis conceſſio rerum alienarum adminiſtrationem gerenti permiſſa haud eſt: *cap. fin. de offic. vic. in 6.* Verum negas fortaſſe aliter illa ad copum deuolui, quam ratione epiſcopalis iu-

dictio-

dictionis. Quidquid id eſt: ego dicta ſuperiora repeto: vbinam de capitulo iura quidquam hac de cauſa adfirmant? Atque beneficia iſthaec ad illum nonniſi praelatum, qui eſt in iure expreſſus, deuoluuntur. *cap. 1. de ſuppl. negl.* Neque omnis etiam epiſcopi iurisdictio ad capitulum proficiſcitur: ſecus non modo deuoluta haec, ſed libera etiam, quae vnius epiſcopi eſt, conferendi poteſtas apud illud reſideret. Recte igitur capitulo *ius beneficia deuoluta conferendi denegare* oportebit.

Cap. vn. ne ſed. vac. in 6. et cap. 1. de inſtit. in 6. cap. 41. de elect. vid. P. Boeckn. *ad tit. ne ſed. vac. num.* 9. P. Wiestner *ibid. et lib. I. tit. X. num.* 30. quorum rationes contrarias ex dictis facile refellere poterit.

§. CCXLII.

Non adtentis inſuper variis capitulorum vſurpationibus.

Hactenus quid iuris ſit ſede vacante explorauimus. Sed in multis contraria ſunt praxis, et obſeruantia, communia illa conſuetudinum malarum, et abuſuum receptacula. Vt de capitulationibus, aliisque pactionibus nihil dicam ab Innocentio XII. reprobatis, quas olim epiſcopis praeſcripſerant. I.) quidem ſibi adrogant *ius ſpolii*, quod ab *impp.* olim conſuetudo *minus decens* a *pontificibus praua conſuetudo*, et *violenta vſurpatio* dictum eſt. II.) *Leges* a defuncto epiſcopo latas pro arbitrio, ac priuatis ſaepe ex cauſis *abrogare*, et nouas eisdem

eiſdem ſubſtituere adtentant. III.) *Archiuum* epiſcopatus ſecretius ſine euidenti neceſſitate, et modo prorſus illegitimo *ingredi* ſibi ſcrupulo non ducunt. IV.) *Conſiliarios*, aliosque fideles principis miniſtros ab officiis *remouent*, et muniis, ſtipendiisque priuatos ſuae fortunae committunt. V.) Eo denique excedunt, vt ad nullas geſtae adminiſtrationis *rationes reddendas* ſe obſtrictos credant contra expreſſum. TRID. *ſeſſ. XXIV. cap.* 16. *de reform.* tenorem.

Hos, et alios abuſus, et corruptelas ſede vacante irrepentes, et vere receptas recenſet, et grauiter perſtringit *de* ICKSTATT *loc. cit.* §. 77. *ſeqq.*

§. CCXLIII.

Quas concilium tridentinum repreſſit.

Vt eccleſiae bono proſpiceretur, et inualeſcentibus abuſibus obuiam iretur, ſacra SYNODVS TRID. *ſeſſ. XXIV. cap.* 16. *de reform.* decreuit, *vt capitulum ſede vacante vbi fructuum percipiendorum ei munus incumbit, oeconomum vnum, vel plures fideles, ac diligentes decernat, qui rerum eccleſiaſticarum, ac prouentuum curam gerant, quorum rationem ei, ad quem pertinebit, ſint reddituri. Item officialem, ſeu vicarium infra octo dies poſt mortem epiſcopi conſtituere, vel exiſtentem confirmare omnino teneatur; qui ſaltem in iure canonico ſit doctor, vel licentiatus, vel alias, quantum fieri poterit, idoneus. Si ſecus factum*

[redacted]

fuerit ad metropolitanum deputatio huius- ... deuoluatur.

§. CCXLIV.

Et ſtatuit, vt vicarius ſeu officialis.

Quamprimum ſedes ſeu *vere*, ſeu *ficte va*-..., capitulum intra octidui ſpatium vel e gre-...o ſuo, vel exterum aliquem eligat neceſſe ..., qui *vicarii* munere fungatur. Obſeruatio ...men ſolemnis electionis formae in *cap*. 42. ... *elect*. praeſcriptae neceſſaria haud eſt. Sed ...me negotium *votis* ſimpliciter maioribus ab-...luitur. Tempus vero iſtud ita praefixum eſt, ... contrahi a capitulo, aut re adhuc integra ...ra purgari, non tamen prorogari poſſit.

§. CCXLV.

...uius eſt tanta auctoritas, quanta capituli.

Quanta quanta eſt ſede vacante capituli ...ſtas, tanta per ſe, et generaliter eſſe ſolet ...*arii auctoritas*, cuius inſuper tanta eſt in ...ficio firmitas, vt rariſſime ſoleat, et poſſit ...noueri. Quare cauendum eſt ſedulo cano-...cis, ne praepropere in virum conſentiant, ... aliquando eos poenitere poſſet, ſed *pro*-...*pus, cordatum, diuinis intentum* conſtituant, ...uandoquidem illius humeris dioeceſis vniuer-...e ſalus imponitur.

...icarius ſimpliciter, et generaliter conſtitutus omnia, etiam ea, quae ſede plena requirunt ſpeciale mandatum,

datum, modo ea poſſit capitulum pertractare, poteſt. Patet autem, vicarium hunc iurisdictionem ſuam a capitulo accipere, adeoque curam, et ſollicitudinem eccleſiae conſtituto licet vicario penes capitulum remanere, ita, vt ſi vicarius in aliqua cauſa ſit ſuſpectus, prouidere capitulum, atque vi iurisdictionis apud ipſum remanentis de cauſis ſuſpicionis cognoſcere poterit.

§. CCXLVI.

Et ſimul oeconomus conſtituantur.

Oeconomi munus, id eſt, vt menſam epiſcopalem adminiſtret, resque id genus alias, et iura conſeruet illaeſa, vt fructus eius, qui ſatis conceſſit, reditusque colligat, diligenter cuſtodiat, ſucceſſorique conſignet.

§. CCXLVII.

Qui nouo epiſcopo rationes reddere tenentur.

Vtrorumque poteſtas continuo, atque nouus epiſcopus in cathedrae poſſeſſionem venit, exſpirauit. Tunc vero *ab iisdem oeconomo, et vicario etc. rationem exigat officiorum, iurisdictionis, et adminiſtrationis, poſſitque eos punire, qui in eorum officio ſeu adminiſtratione deliquerint, etiamſi redditis rationibus a capitulo abſolutionem, aut liberationem obtinuerint.* TRID. *loc. cit.* et *ſeſſ. XXIV. cap.* 16. *de reform.*

VAN ESPEN *loc. cit. cap.* 6. add. hic. PET. LEVREN. *vic. epiſc. tract. III.* vbi per duo capit. IV. et V. de vicario capituli fuſiſſime agit.

§. CCXLVIII.

[redacted]

§. CCXLVIII.

Capitulorum vero eccleſiae collegiatae et monaſterii antiſtites.

Atque haec quidem pertinent ad ſtatum, et iura capitulorum eccleſiarum cathedralium ſede vacante. Iam quid de capitulis eccleſiarum collegiatarum et monaſteriorum ſtatuendum ſit, ſi ſedes vacet, paucis dabimus. Ius commune quam pauciſſima de iis determinauit. Variae ſunt variorum doctorum ſententiae, quas referre non vacat, nec expedit. Adtamen ſi legere eos lubet, ſolerter diſcernendum puto, quo rectius legas, an de *eccleſia exempta, an non exempta* loquantur; illius enim iurisdictio quaſi epiſcopalis habetur. Id etiam diſtinguas, an *ſecularis* ea ſit, anne *regularis*, an praeſulis dignitati adeo adnexa ſit iurisdictio; vt primum apud eundem iudicium, *inſtantiam* vocamus, interpellare, aut ſibi vindicare non poſſit epiſcopus. Denique non minus aduertendum eſt, quatenus praelato huius capitulum ſuccedat: an in *bonorum adminiſtratione*, an etiam in *iurisdictione*. Non deſunt quidem, qui non ſolum ex *cap. fin. de regular. in 6. et clem.* 1. §. *ſi quis autem* 4. *verſ. ſi qui vero de ſtat. monach.* ſed ex vniuerſali etiam conſuetudine omnimodam tum in ſacris, tum in temporalibus poteſtatem ei adtribuunt.

Vid. Pet. Levren *loc. cit. quaeſt.* 449. 451. 452. Tambvrin *de iur. abbat. tom. II. diſp. I. quaeſt.* 4. Boehmer *lib. III. tit. IX.* §. 39. *ſeqq.*

§. CCXLIX.

§. CCXLIX.

Nudi ſunt adminiſtratores bonorum.

Diſputent alii, quos ſingulos ſuis ſenſibus abundare facile permittimus. Nos principii loco adſumimus inſignem illam inter abbatias, praepoſituras, monaſteria, ſimilesque fundationes, et inter epiſcopatus GERMANIAE differentiam. In illis antiſtites nonniſi *nudi bonorum* ad totum corpus fundationis ſpectantium *adminiſtratores* ſunt, horum bona, atque iura a bonis, et iuribus capitulorum prorſus ſeparata eſſe ſtatuimus. In primi generis fundationibus ergo verum eſt, quod defuncto praelato adminiſtratio regulariter ad reliquum corpus ex iure quodam adcreſcendi recidat, quippe conſtituto adminiſtratore, ſeu antiſtite dominium radicale toti coetui competens in ſaluo permanſit: ſecus eſt in epiſcopatibus, hisque haud abſimilibus quibusdam praelaturis Germaniae. Ceterum nec diuerſorum ordinum inſtituta, nec iuris non ſcripti auctoritatem, praxin, et obſeruantiam negligendam hic eſſe facile patet.

§. CCL.

Iura capitulorum ſede plena.

Abſolutis omnibus, quae de iuribus ſede vacante diſcutienda ſumſimus, altera reſtat promiſſi ordinis pars, quae *capitulorum iura ſede non vacante* examinet.

§. CCLI.

§. CCLI.

Et quidem 1mum ſe exerit in iure dandi conſilium.

Prima et antiquiſſima capitulorum praerogatiua conſiſtit in iure *dandi conſilii.* Statim inde ab eccleſiae exordio mos viguit, vt ſine presbyterorum, diaconorumque conſilio, et opera nihil, quod alicuius momenti eſſe crederetur, epiſcopi ſuſciperent: quibus propterea SS. canones in iudiciis, cauſarumque definitionibus hos paſſim conſultores adtribuunt. Inde eſt, quod *ex conc. carth.* IV. refert Gratianvs can. 6. cauſ. XV. q. VII. *Vt epiſcopus nullius cauſam audiat abſque praeſentia ſuorum clericorum: alioquin irrita erit ſententia epiſcopi, niſi clericorum praeſentia confirmetur.*

S. Ignat. *epiſt. ad tarſens.* S. Cyprian. *epiſt. V. ad presbyt. et diacon.*

§. CCLII.

Praeſertim in negotiis grauioribus.

Nullane ergo epiſcopi ſine canonicorum ſuorum cathedralium arbitrio ſacro in regimine auctoritas, poteſtasue? Semperne ſi res cuiusdam momenti eueniat, eos audire, ſemperne conſulere, et conſiliis etiam vti debebit? Sane generalis eſt regula, *ne quid praeſul in negotiis grauioribus ſine capituli conſilio agat.*

cap. 4. et 5. de his, quae ſiu. a prael. Audiat igitur, conſulat eos, et ſi poſſit vti, *vtatur eorum conſiliis*: ſecus conſulat alios, alios audiat, aliis obſequatur, ſi eccleſiae profuturum ita videbitur. *cap. 7. de arbit.*

Vid. GONZALEZ *in cap. 52. de elect.* imo ſi, quid hodie cum conſilio cathedralis ſenatus epiſcopi agant, aut neglecto capitulo ad peculiarem ſuum ſenatum (de quo ſupra) ſe conuertunt, aut non ſolent capitulariter illa tractare; ſed priuatis tantum vnum, vel alterum conſiliis adhibere conſueuerunt.

§. CCLIII.

2dum In iure dandi conſenſum requiſitum.

Alterum hoc ius, quod de *requiſito conſenſu* nomen habet, priore illo efficacius eſt. Canones quidem rarius capituli conſenſum exigunt: ſed capitula conſenſus ſui requirendi neceſſitatem ſaepe paciſcuntur. Verum cum iura pro omni caſu neceſſitatem hanc non determinarint, et pactiones initae nonnunquam deficiant: inde fit ſaepe, vt epiſcopo *conſilium* petenti ſuum omnino obtrudant *conſenſum* canonici. Sed quid agendum? Obediendum eſt regulae: ſi nec in *iure canonico*, nec *in capitulationibus* legitime initis praeciſe *conſenſus capituli* exigitur, *conſilium* eius ſufficit.

De his capitulationibus vide ſis ſupra *lib. I. tit. IV.* ESPEN *P. I. tit. VIII. cap. 4.*

§. CCLIV.

§. CCLIV.

Qui ut legitime detur.

Si conſtet de iure *conſenſus*, ſupereſt, vt legibus conformiter praeſtetur: quo facto res *capitulariter* transacta dicitur. Ad hoc vero requiruntur ſequentia I. *Legitima canonicorum congregatio.* II. Et quidem *omnium nemine demto*, *qui praeſens ſit ſaltem*, *et potens ſuffragii.* III. *Legitima rerum tractatio.* IV. *Denique conſenſus.* Videamus de ſingulis.

§. CCLV.

Requiritur 1) legitima canonicorum congregatio.

Igitur ad I. requiſitum, id eſt *legitimam canonicorum congregationem.* Vt ne coetus iſtius conuocatio legibus aduerſetur. 1.) quidem neceſſe eſt, vt *epiſcopus ipſe* in negotiis videlicet hoc exigentibus conuocet. Trid. *ſeſſ. XXV. cap. 6. de reform.* Si cauſae cum conſenſu, vel conſilio capituli peragendae, et quae alias coniunctim ad epiſcopum, et capitulum pertinent: vel *decano* ſaltem vices ſuas demandet. 2.) *Statis Temporibus*, vel etiam *extraordinariis* pro re nata, ſed conſuetis tamen id fiat. Et quidem 3.) vel *ſono campanae cap. 30. de elect.* vel voce viua, vel epiſtolis etiam, ſi qui abſuerint canonici, aduocentur. Tandem 4.) *in loco*, ſi fieri poſſit certo, et ſolen-

ni (die Kapitelſtube) conueniant; quar
epiſcopus eos ad ſe in aulam poſſit aduoca

Si de commodo epiſcopi ipſius agitur, in quo r quam iudex eſſe poteſt, conuocat quidem tulum, ſed ipſemet nullam vocem habet, cum illis deliberat, ſed ſolum capitulum ab epiſcopo vid. *card. de* Lvcca *tom. I. de canon.* 27. *et tom. III. de regul. diſc.* 53. Barbosa *non. cap.* 33. Levrer *in for. benef. P. II.* 671.

§. CCLVI.

2) omnium ius ſuffragii habentium.

Requiſitum II. eſt, vt *omnes*, quotqu capitulo eſſe vocalibus licet, *comparere* antur, modo non degant alibi abſentes *ca de his quae ſiu. a prael. can.* 2. *cauſ. X. qu XI.* Sed interdum fit etiam, vt abſentes ri oporteat. 1.) quidem in *electione* Pra Ti. *cap.* 42. *de elect.* 2.) Si *recipiendus* al eſt in canonicorum *ordinem*, aut facienda bendarum collatio *cap.* 33. *de praeb. in* 6. ſi *indicenda* eſt *ceſſatio* a diuinis *cap.* 8. *de ord. in* 6. 4.) in negotiis ceteris *ſumme ar* iisque, in quibus conſuetudo abſentium ſentiam exigit. Extra hos caſus ſuffici praeſentes, et reſidentes ad capitulum vc tur, qui ſi non compareant vota abſen adcreſcunt praeſentibus.

Passerin. *de elect. canon. cap. XI. num.* 42. *ſeqq.* bosa *de canon. cap.* 39. Wiestner *lib. III.* num. 12. 13,

§. CCLV

[redacted]

§. CCLVII.

Qui non vocati de contemtu conqueri poſſunt.

Quid vero tum, ſi non omnes, qui deberent, aduocati fuiſſent? Tum de *contemtu* conqueri, et facta capituli reddere *infecta* poſſent. *cap. 36. de elect. elect. cum plus in talibus conſueuerit contemtus vnius obeſſe, quam multorum contradictio in praeſenti cap. 28. de elect.* Quin totum conſultum fruſtrabitur, ſi *duae tertiae*, vti ſolemus loqui, non inuitatae fuerint *arg. l. 3. ſeqq. ff. quod cuiusque vniuerſ. nom. l. 3. ff. de. decret. ab ord. fac.* Sed capitulo legitime collecto, quid, ſi pars minor receſſerit? Tum vero pars maior pergat in negotio *arg. cap.* 19. *de elect.* Et maior pars ſi diſceſſerit? Tum videtur ſolutus eſſe conuentus, et *nihil valet pars minor* ſuperſtes.

Boehmer *lib. III. tit. XI. num.* 4. 5.

§. CCLVIII.

3tio Legitima rerum tractatio.

Requiſitum III. eſt *legitima rerum tractatio.* Tum vero cenſebuntur res a capitulo legitime pertractari, ſi in, et a capitulo rite congregato proponantur, diſcutiantur, et decidantur. Extra hanc congregationem *ceſſante corporis ratione nec ſinguli* quidquam valent,

nec vniuerſi : in ea *omnes*, et *ſinguli valent omnia*, et *ſingula cap.* 55. *de elect.*

TAMBVRIN. *de abbat. tom. III. deciſ.* 18. *num.* 4. CARD. *de* LVCCA *tom. I. de benef. diſc.* 30. *num.* 3. 5.

§. CCLIX.

4to conſenſus capituli.

Rebus ita compoſitis nihil aliud eſt reliquum, quam vt IV.) *capituli conſenſus* accedat, non ille quidem *vnanimis*, ſed partis tamen *abſolute maioris*, eiusdemque *ſanioris vt ſemper praeualeat, et ſuum conſequatur effectum id quod a maiore, et ſaniore parte capituli fuerit conſtitutum cap.* 1. 3. *et fin. de his quae ſiunt a maior. part. capit. cap.* 48. *de elect.* Verum quaenam *maior* eſt, quaeque pro *ſaniore* habetur pars? Pro totius capituli habitu *maiorem* nos *partem* dicimus, quae *numero oppoſitam* excedit : *ſaniorem* vero cenſemus, quae *morum integritate*, *eccleſiae Dei zelo*, *et reipublicae ſtudio commendatior* exiſtimatur. In dubio purioris vitae laus cum pluribus eſſe creditur, adeoque maior pars ſanior etiam cenſetur. Quod ſi vero de morum corruptela, vel ſiniſtriore quodam animi adfectu clariſſime conuincantur, non tantum reliqui omnes, ſed vnus etiam vnicus reſiſtere, rem ad ſuperiorem deferre, et perperam geſta deſtruere poteſt, ſanioris enim partis gloria, et praerogatiua in eo eſſe videbitur.

Et

Et vero cum pluralitate capitum non ſemper aequitatem cauſae ſtetiſſe; ſed non raro libertatis ſtudium, taedium diſciplinae, quaeſtum, et turpe lucrum praeualuiſſe nemo facile negauerit. Vtique inter ſtatuta, et ordinationes capitulares inueniuntur non paucae, quae canonicae diſciplinae aduerſantur, magisque ſimoniam ſapiunt, quam pietatem. Trid. *ſeſſ. XXIV. cap.* 14. *de reform.* Van Espen *P. I. VII. cap. V. ſ.* 13. Boehm. *loc. citatum.* 10.

§. CCLX.

Negotia ad epiſcopum et capitulum ſimul ſpectantia ab utriusque voto dependent.

Sed quid tum factu opus eſt, ſi pars vtraque aequilibrium tenet? Si *negotia* quaedam, vti nonnunquam *collationes beneficiorum ad epiſcopum*, et *capitulum ſimul* ſpectant, tum vero ab vno capituli, et altero epiſcopi voto dependent. Tum vero niſi is ipſe duplicatum forte ſuffragium ferre queat, alterum qua epiſcopus, et qua canonicus alterum maiora obtinere nunquam poterunt, et actum erit nihil.

Card. de Lvcca *tom. I. de benef. diſc.* 30.

§. CCLXI.

Vota abſolute maiora ſunt in quibusdam caſibus inſufficientia.

Regula, quod ad negotia capitulariter expedienda vota ſufficiant *abſolute maiora*, ſaepius

pius fallit, et 1.) quidem ſi poſtulatio cum electione concurrat, electio plus quam *tertiae partis ſuffragiis*, celebrata praeualet poſtulationi *cap. 40. de elect.* 2.) In electione S. Pontificis, ad quam *duae partes tertiae* requiruntur *cap.* 6. *eod.* 3.) In conſtitutione coadiutoris pro amente epiſcopo, quae *totius capituli*, vel *duarum eius partium ſuffragiis* eſt decernenda *cap. vn. de cler. aegrot. in 6.* 4.) In eo electionis genere, quod compromiſſo abſoluitur, nihilque valet, ſi vel *vnus non in idem* conſpirat. 5.) Denique in omnibus iis negotiis, quae concernunt *ius*, ſeu *praeiudicium ſingulorum cap. 29. de R. I. 6.* non obſtante *cap. vlt. de his, quae fiunt a mai.*

Diſputatur hic, num conſuetudine induci poſſit, vt ceteris etiam in caſibus vniuerſim requiratur conſenſus omnium, aut duarum tertiarum, et nunquam vota maioris partis ſufficiant? Vid BOECKER *lib. III. tit. XI. num.* 12.

§. CCLXII.

Dantur negotia, in quibus praeciſe conſenſus canonicorum deſideratur.

Octo cauſae referuntur, in quibus ſine *capituli conſenſu* plane *definiri nihil poteſt.* Nimirum 1) in rebus omnibus, quibus *ſpeciale capituli emolumentum* implicatur. *cap. fin. de his, quae fiunt a prael. 2.) In alienationibus rerum eccleſiaſticarum* 3.) Si collatio beneficiorum ad *capitulum iuxta*, et *epiſcopum*

pre-

[redacted]

pertineat. *cap.* 6. *ibid.* 4) Si praeſentatio, aut collatio cuidam *collegio* inhaeret, vel *monaſterio*: niſi *conſuetudo* aliud obtineat. *cap.* 6. *cit.* 5.) Quando epiſcopus eccleſiae *penſiones* imponere, vel alterum alteri perpetuum *vnire*, vel *extinguere* beneficia meditatur. *cap.* 8. 9. *eod. clem.* 2. *de reb. eccleſiaſticis non alien.* 6.) In noua collatione feudi eccleſ. ad *epiſcopum reuerſi*; niſi bona ſint antiquitus in feudum dari ſolita. 7.) In caſu, quo agitur *de augendo, vel minuendo numero* canonicorum *cap.* 8. *de conſtit.* 8.) In recipiendis canonicis. *cap.* 33. *de praeb. in* 6.

Plura denique de his caſibus a iure exceptis vid Barbos. *tract. de canon. cap. fin.* Cetera ex ſtatutis capitularibus ſunt addiſcenda.

§. CCLXIII.

Non obſtante quacunque conſuetudine.

Hoc in quaeſtionem apud nonnullos venit, poſſitne tantum praeſulibus *conſuetudo* patrocinari, vt nec conſilio capituli, nec conſenſu expectato res arduas ſua auctoritate decidere, et expedire valeant? Nihil ſimpliciter reſponderi poteſt: vniuerſim enim, et in omni negotiorum genere ius canonicum praeſules ab obligatione audiendi capitulum adeo eximere noluit, vt conſuetudinem canonibus, contrariam quam maxime reprobet, et reiiciat in *cap.* 1. 3. *de conſuet. et cap.* 4 5. *de his, quae fiunt a praelat.* ſed diuerſa eſt ſententia, ſi *nego-*

tium ſingulare geratur, vnde *magnum eccleſiae periculum non imminet. cap. 6. eod. cap. 3. de conſuet. in 6.*

STEPHAN. GRATIAN. *diſcept forenſ. caſ.* 100. *num. vlt.* quod ad religioſorum conuentus adtinet, ad inſtituta ordinum hic vnice reſpiciendum eſt.

§. CCLXIV.

Acta capituli in inſtrumentum redigi ſolent.

Vt vero *acta capituli* integritatem ſuam temporibus etiam conſequentibus demonſtrent, et retineant, ea ad perpetuam rei geſtae memoriam in *ſcripturam*, ſeu vt loquimur, *inſtrumentum* redigi moris eſt. Huic non praeſul tantum, ſed ſingula *membra capituli*, vel ſaltem *maior pars ſubſcribit. cap.* I. *de his quae fiunt a prael. can. 52. cauſ. XII. q. II.* ab hoc firmamenti genere recedere ſolent nonnulli, qui ad vim probandi tali inſtrumento conciliandam hodie ſufficere volunt; ſi praeſul et vnus, vel alter e praecipuis capituli membris expreſſa nominum ſuorum ſubſignatione illud muniant, et confirment, adpoſitoque ſigillo capitulari capituli, vel conuentus in complexu, tantum et collectiua ſubiiciatur expreſſio, et ſubſcriptio. Huic vero teſtimonio ego quidem vehementer non fidei em, quia nec ipſi canones eidem plenam firmitatem, fidemque tantam tribuunt.

Vid-

Vid. cap. 5. *de probat. cap.* 2. *de ſolut.* Boeckn *loc. cit. num.* 16.

§. CCLXV.

In politicis vero Germaniae capitula ſuo epiſcopo ſubiacent.

Quaeri poteſt, quid iuris poteſtatisue *capitula* quod *ad regimen epiſcoporum politicum* in Germania habeant? Nullum equidem habere arbitror, niſi quae per *leges imperii fundamentales*, *et ſpeciales* cuiuslibet territorii, vel prouinciae *conſtitutiones* ipſis conceſſa eſſe conſtat. Nam epiſcopi noſtri iure electionis rite peractae fiunt ſimul principes, et ſtatus imperii, et inde etiam omnia iura aliis eiusdem ordinis et dignitatis communia conſequuntur. Sicut ergo reliqui ſubditi tam intuitu perſonae, quam rerum ſuarum domino territoriali ſubſunt, eodem modo capitula ſuperioritatem territorialem ſui epiſcopi, qua ſtatus eſt imperii agnoſcant, et reuereantur oportet, et ſub hac ratione per ſe ad claſſem reliquorum corporum mediatorum principi immediate ſubiectorum pertinere nemo rerum noſtrarum gnarus ambigere poteſt. Illud tamen facile largimur, capitulis *ius voti*, *et ſeſſionis in comitiis* prouinciae competere, et qua ſtatus prouinciales ad tractanda negotia regimen politicum concernentia *concurrere* poſſe, quod *obſeruantia*, et praxis Germaniae noſtrae omnino probat, et confirmat.

Ita

Ita de eccleſia Colonienſi teſtatur ANT. FABER. Staats-kanzley *tom. VI. pag.* 440. *de lubecenſi.* LVNIG. *tom. II. ſpicileg. eccleſ. pag.* 471. *de Osnabrugenſi.* IDEM im deutſchen R. Archiv. *part. ſpec. contin. I. p.* 240

§. CCLXVI.

Reliqua capituli iura explicantur.

Nae multa nos capitulis adſeruimus. Sed tanta non ſunt omnia, vt auctoritas epiſcopi obſcurari poſſit, vt ab ipſis etiam canonicis, ſi res ferat, illuſtrari debeat. Et primo quidem, ſi perperam a capitulo actum eſt, *grauatus actor* ad *epiſcopum recte prouocat*, praeſertim ſi congregationi haud aliter, quam canonicus interfuit *cap.* 11. *de adpel. in 6.* Dein quantiscunque exemtionis priuilegiis vallatum ſit capitulum, omnia non faciunt, quo minus epiſcopus id *viſitare* et in *reos animaduertere* poſſit. Demum vt palam fiat capituli humilitas, *epiſcopi* eminentia, huic in choro, et canonicorum conuentu, in ſacris proceſſionibus, et quibusuis actibus publicis *primas cedunt*, ipſeque praecipuam omnium rerum gerendarum poteſtatem ſibi vindicat; imo continuo, atque is iuſſerit, cogi debet capitulum.

VAN ESPEN. *P. I. tit. VIII. cap. II.* ENGEL. *lib. III. tit. X. num.* 4.

[redacted]

TITVLVS XII.

VT ECCLESIASTICA BENEFICIA SINE DIMINVTIONE CONFERANTVR.

§. CCLXVII.

Beneficia eccleſiaſtica ſine diminutione conferantur.

Beneficia eccleſiaſtica officiis ſacris perpetuo adfixa, et in ſuſtentationem eorum, qui officio ſacro vacant, ſunt conſtituta. Æquum ergo eſt, vt quia ſemel a fundatoribus officio *certo* deſtinata ſunt, integre et ſine diminutione conferantur, nec ſucceſſori ſubtrahantur, quibus anteceſſores gauiſi ſunt. Vnde regulae inſtar *rubrica decretalium* adlegari ſolet, *vt eccleſiaſtica beneficia ſine diminutione conferantur.*

§. CCLXVIII.

Quae ſit I.) per fructuum retentionem.

Diminuuntur autem beneficia I.) per *fructuum retentionem*, cum collator vacantis beneficii reditus aut eorum partem ſibi retinet, vel quod peius, et aperte ſimoniacum eſt, de quo-

quota ſibi relinquenda paciſcitur. *cap.* ... *eccleſ. beneſ. etc. cap. vlt. de offic. ordin. in* ... Itaque fructus beneficii vacantis ſeruandi ... ſucceſſoribus in beneficio, vel in eiusd... cleſiae aut beneficii utilitatem erogandi. ... *ibid.* niſi quod epiſcopus *pro cauſa iuſta* ... *ceſſaria* v. g. ad reparandam eccleſiae ... dralis fabricam, ad expungenda grauia ... epiſcopatus poſſit vacantis beneficii redi... pendere. *cap. vn. in ſiu. cit.* Quid, quod ... collatori *de ſpeciali priuilegio vel conſue*... *iam proſcripta legitime ſeu alia cauſa ra*... *bili cap. vlt. cit.* ius eſſe poſſit, ex vac... beneficiis aut fructibus primi anni aliqu... cerpendi.

Sic in omnibus beneficiis, quae ſunt de colla... ne Archiducis Auſtriae beneficiati ſoluunt ... xam, quae fere non alia re differt a ... anni fructibus, quam nomine. Neque refra... CONCIL. TRID. *ſeſſ. XXIV. cap.* 14. *de re*... quod eam tantum conſuetudinem prauam ... et deteſtatur, quae vel propter pactiones ... litas ſimoniam, vel propter exceſſum, ac ... dicas corraſiones auaritiam redolet. Ceterum ... dabiles conſuetudines tollerandas eſſe differt... ſerit. vid. *cap. vlt. de offic. ord. in 6.*

§. CCLXIX.

Ex quo juſtificatur annatarum uſus.

Atque ex hiſce principiis iuſtificari ſol... uſus *annatarum*, quas papa ex beneficiorum fructibus colligit. Earum variae ſunt ſpecie... 1.)

[redacted]

1.) *Annata proprie* ſic dicta eſt *dimidia pars veri annui valoris fructuum beneficii inferioris vacantis, quae ipſi ſummo pontifici integre relinquitur.* Hodie vocatur *annata bonifaciana*, quia eius hodierna forma ortum duxit a Bonifacio IX. 2.) *Commune ſeruitium* eſt *quantitas certa pro quolibet epiſcopatu vel abbatia conſiſtoriali* (quae ſcilicet ex confirmatione papae obtinetur) *ſecundum antiquam taxam ſoluenda.* Eius dimidium tribuitur papae; reliquum inter cardinales praeſentes diuiditur. 3.) *Minuta ſervitia* ſunt *quinque portiunculae, quae ſecundum proportionem taxae fructuum epiſcopatus vel abbatiae inter certos papae miniſtros et officiales diſtribuuntur.* 4.) *Quindennium* eſt *annata, quae ſingulis quindecim annis ſoluitur pro beneficiis perpetuo vnitis.*

Plura de annatarum origine et fatis vid. in *Princip. iur. eccleſ. German. Cap. VII. §. 60. ſeq.*

§. CCLXX.

Et circumſcribitur.

Poſt varias contra abuſum annatarum nationum querelas res haec quoad Germaniam noſtram per *Concordata* hunc in modum determinata eſt: 1.) *Vt de eccleſiis cathedralibus, et monaſteriis virorum vacantibus et vacaturis ſoluantur de fructibus primi anni, a die vacationis pecuniae in libris camerae taxatae.* Vt

eu-

nevero immodica taxatio ſit oneri, de
eſt, porro 2.) *ut ſi quae eccleſiae ex*
xatae ſint, velit (Pontifex) *eas rela*
providere ne nimium praegrauentur,
ſpondet , *ſe daturum petentibus*
ſarios in partibus. Quodque nimis g
deretur, eam pecuniae ſummam, q
non modicam ex integro ſtatim pra
uenit: 3.) ut *taxa praedicta pro medi*
ſra annum a die habitae poſſeſſionis p
tius, aut maioris partis ſoluatur, et pr
alia parte infra ſequentem annum. Quo
dum eſt illud quoque, *ſi infra ann*
pluries vacauerint, ſemel tantum ſolua
debitum ejusmodi in ſucceſſorem in ec
monaſterio tranſeat. Quod productum
que ad talia inferiora quaedam bene
verbis 4.) de ceteris: *dignitatibus* , *p*
tibus, officiis, et beneficiis ſecularibus,
gularibus quibuscunque , *quae auctorit*
pae conferuntur (praeterquam gratiae
ctatiuae , *et cauſa permutationis) ſol*
annatae, ſiue mediifructus iuxta taxam
a tempore poſſeſſionis intra annum:
autem hoc in ſucceſſorem ſimiliter non tr
Huic tamen oneri beneficia exigua no
obnoxia. Namque 5.) *De beneficiis, qu*
lorem viginti quinque florenorum auri d
ra non excedunt, nihil ſoluatur. Atqu
circa annatas in concordatis ſtabiliri pl
vt duret haec obſeruantia, niſi eam ſimili
futuro concilio de conſenſu ipſius nationi
tingat immutari.

Vid. Bulla NICOLAI V. §. 5. et *cit. princ. ſchol.*

CCLX

[redacted]

§. CCLXXI.

II.) *Per oneris impoſitionem.*

Grauantur beneficia II.) per oneris impoſitionem, quod bifariam ſpectatur. Vnum *perſonale* dicunt, et alterum *reale*. Illud eſt, quod *in perſonali functione verſatur*, iſtud vero, quod *poſſeſſorem beneficii ad praeſtandum aliquid veluti penſionem onerat*: atque iſtud, absque dubio prohibitum eſt vi rubricae h. t. cum autem, ſi cura gregis hoc poſtulet, onus nouum perſonale imponi nequeat, non ſatis video.

§. CCLXXII.

Quo pertinet penſionis impoſitio, quae definitur et diuiditur.

Huc autem refertur penſionis impoſitio, quae definitur *ius percipiendi fructus ex beneficio alieno auctoritate legitima, et iuſta de cauſa conceſſum*. Eiuſmodi ius cum modo clericis, modo laicis ob rationes diuerſas concedi ſoleat, ſequitur, penſionem 1.) aliam eſſe clericalem, quae *clericis propter officium ſpirituale*. 2.) aliam *laicam*, quae *laicis*, *vel clericis ob obſequium temporale*, et tandem 3.) *mixtam* aliam, quae *quidem ſolis clericis conſtituitur, ſed alia, quam ſpiritualis officii cauſa.*

LEVREN. *for. benef. tom. III. quaeſt.* 428. *ſeqq.* WIESTNER *h. t. num.* 7. Hae penſiones, etſi ſimilitudinem quamdam cum beneficiis habere videantur, bene-

ficia tamen non ſunt. *cap.* 4. *de praeb. in* 6. TRID SYNOD. *ſeſſ. XXI. cap.* 2. *de reform.* WIESTNERI *h. t. num.* 8. 9.

§. CCLXXIII.

Idem.

Clariorem penſionum definitionem, quam ea eſt concilii romani ſedente PAVLO III. coacti dare haud poſſum. Concilium hoc, quod communiter *delectorum praelatorum* dicitur ad inſtaurandam priſtinam eccleſiae diſcipli nam an. 1537. vel ſecundum alios 38. cele bratum penſionum nomine non aliud intelli git, quam *portiones quasdam prouentuum a alterius beneficio ſuperfluas, in alterius autem egentioris nempe clerici, quam, vt honeſte poſ ſit viuere, neceſſarias,* cui proinde *eleemoſinae modo* adiiciuntur. Atque penſionum iſtarum tanta non eſt nouitas, quin, ſi iis, quas priſti na eccleſiae diſciplina probauit, conferantur, adparebit ſane, eam eſſe exactiſſimam ex mente eccleſiae penſionum deſcriptionem, et na turam, neque aliam unquam ab eccleſia fuiſſe adprobatam.

Illuſtre huius rei exemplum occurrit in CONCIL. CHALCED. *act. XII.* quo Baſſiano et Stephano, qui de ſede epheſina contenderant, excluſis adſignantur ducenti ſolidi aurei quotannis ex epiſcopatu pen dendi. Alia adhuc exempla reperies. *Act. X.* e *XIV.* Item *apud* S. GREG. *lib. I. epiſt.* 43. *lib. XI epiſt.* 7. VID. ESPEN. *I. E. V. P. II. ſect. III. tit. XI cap.* I. §. I. *ſeqq.* FLEVRII *hiſt. eccleſ. lib.* 28. n 26. *tom. VI.* THOMASIN. *P. III. lib. II. cap.* 2

§. CCLXXIV.

[redacted]

§. CCLXXIV.

Eius aequitas.

Quae penſionum moderatio intentioni eccleſiae conformis tanto impenſius videtur adprobanda, quanto debet videri *aequius*, vt clericorum indigentium *neceſſitati* ſuccurratur. Verum iam inde a *ſeculo XII.* abuſu quodam et penſionum obtentu coeptum eſt reditibus ſacris veros eccleſiae miniſtros, quos titulares vocamus, defraudare, et nullo eos diſcrimine, moderatione nulla in parum indigentes profundere. Praebendam enim cum titulato, etiam *non* ſeruiente ſaepe partiebantur epiſcopi, ſaepe fructuum ſibi partem reſeruabant; non nunquam ita elargiebantur, vt in recipiendis fructibus beneficiato ſe pares praeſtarent: denique non rarum erat, vt in homines alias diuites, inſuper eccleſiae neque modo, neque olim ſeruientes, imo in ipſos adeo profanos id genus penſiones diſtribuerent.

THOMASIN. *loc. cit. cap.* 31. FLEVRII *inſt. iur. eccleſ. P. II. cap.* 25. *§.* 2.

§. CCLXXV.

Ac circumſcriptio.

Tot incommoda fuerunt, vt laudatum delectorum praelatorum *concilium* infauſtos hoſce penſionum abuſus damnaret, deinde vero Patres *tridentini* docti experientia, quam male adſcito hoc nomine beneficiorum prouentus dila-

dilapidarentur, non tantum abuſum exſcindere, ſed vſum etiam ipſum odioſum videlicet, et abuſibus multis obnoxium tollere modis omnibus laborarent, neque aliter iudicarent, quam *eleemoſinarum modo* diſpenſandas eſſe. Sed ea temporum illorum aegritudo fuit, vt voluntas patrum optima mederi malo haud potuerit, ne tamen nihil agerent, penſionibus nec improbatis omnino, neque probatis etiam id conſtituere, vt impoſterum *omnes hae cathedrales eccleſiae, quarum reditus ſummam ducatorum mille, et parochiales, quae ſummam ducatorum centum ſecundum verum annuum valorem non excedunt, nullis penſionibus, aut reſeruationibus fructuum grauentur.* Trid. *ſeſſ. XXIV. cap.* 13. *de reform.*

Vnde etiam Pallavicinus *hiſt. trid. lib. XXIII. cap. II.* longe maius exſpectatum fuiſſe remedium deterrimo penſionum abuſui teſtatur van Espen *loc. cit.* §. 12. *ſeqq.*

§. CCLXXVI.

Huiusque rationes.

Nec longe petendas eſſe rationes autumo, quare viri purioris diſciplinae tenaciores de penſionum abolitione tantopere laborarint. Per penſiones neceſſaria ſubtrahuntur miniſtris eccleſiae, diminuitur fabrica, paſſimque hominibus, quibus de eccleſia bene mereri nunquam ſerio in mentem venit, piſcandi beneficia cupiditas cietur. Quid eſt, quod beneficiorum

plu-

[redacted]

pluralitatem, ſimoniacam labem, et avaritiam eorum, qui plurium beneficiorum ſtipendiis inhiant, *Extrauag. comm. execrabilis* 4. *de praeb.* deteſtemur? an non eodem iure penſionarios condemnabimus? Fiet profecto, vt nulla digniorum habeatur ratio, nulli gratis, nullus pauperibus ad beneficia pateat acceſſus. Ii, qui non laborant in eccleſia, neque ſeminant, metent tamen, et fructus ſine labore manducabunt II. THESSAL. *cap. II.* 10.

Maneat vſus, tollatur ingens abuſus.

§. CCLXXVII.

Quae hodie variis ex cauſis conceduntur.

Tribus ex cauſis penſiones hodie concedi ſolent. Primo quidem *pacis cauſſa*, cum videlicet beneficium eſt litigioſum: dein *reſignationis*; denique *permutationis* ergo. Quae ſi ſingillatim examinentur, adparebit, nec *ſolam* ceſſionem iuris religioſi, nec beneficiorum permutationem, vel reſignationem eſſe cauſam ſufficientem, quae et peſſima penſionum conſectaria impedire, aut penſionarium omnino excuſare poſſet. Nam *tranſigi ſuper re ſacra, et litigioſa non poteſt. Etenim res ſacrae, vt poſſideantur aliquo dato vel retento, ſeu promiſſo, ſpeciem credimus habere ſimoniae cap.* 7. *de transaction.* Scio quidem, multis eſſe perſuaſum hanc penſionis ſpeciem iam probatam eſſe ab INNOCENT. III. in *cap.* 21. *de praeb.* atque ex hac decretali has penſiones ſuum ſumſiſſe principium. Verum

 nul-

nullum ſibi patrocinium ex hoc textu penſionarii exſpectent; nam parum abfuit, quin *ob exempli perniciem valde ſuſpectam* haberet totam cauſam pontifex, qui etiam illam prouiſionem in penſionario non adprobat, ſed *adhibito hoc moderamine tolerat*, nec eam toleraſſet, ſi ex *pactione partium*, ſed quia iudicis auctoritate facta fuit.

FAGNAN. *ad cit. cap. num.* 5. VAN ESPEN *cit. tit. XI. cap. III.* §. 1. *ſeqq.*

§. CCLXXVIII.

Hae non omnino iuſtae eſſe videntur.

Mihi quidem omnia potius contra clamare, quam patrocinari videntur: neque *pacis*, neque *reſignationis*, et *permutationis* tituli, quos ſaepe rerum noſtrarum ſtudia, non eccleſiae *emolumentum*, et *neceſſitas* perſuadent tanti debent eſſe, vt aliter, quam SS. canones volunt, prouentuum portio a beneficio abſtrahatur. Et vbi iuris vel tantillum eſſe poteſt apud eos, qui ſe non ſolum titulo, et poſſeſſione beneficii, ſed etiam officii exuunt, cum manifeſtum ſit, ex eccleſiae, et fundatorum mente cum titulo ad titularem etiam ius omne percipiendi fructus tranſire. *Honeſtati haec ſunt contraria, et ſimoniacam procul dubio continent prauitatem cap.* 5. *de rerum permut.*

SYNOD. CHALCED. *can.* 10. Sed dicet quis, ſaltem licitum eſt aliquam exigere penſionem in permutatio-

[redacted]

tatione beneficiorum inaequalium, ne vnus nimium diſpendium patiatur. Haec quidem ratiocinatio valere, et admitti poſſet, ſi de duorum fundorum, aut equorum permutatione tractaretur. Aſt illud permutationi beneficiorum adcommodare, eſſene quid aliud exiſtimem, quam apertum pudendumque beneficiorum mercimonium inducere, atque hoc manipenſionis nomine velle obtegere? Van Espen *cit. cap. III. §. 18. ſeq.* Boeckn *ad tit. de rer. permut. num. 6. 7. 8.* Zoes. *ibid.*

§. CCLXXIX.

Secundum mentem concilii aquisgranenſis.

Quando ergo nulla cauſarum, quas meminimus, per ſe ſufficiat, ad penſionum vſum intra recti, honeſtique limites continendum, quid porro opus eſt? Principii loco ponendum id, quod apud omnes indubitatum: *prouentuum eccleſiaſticorum conditionem, et naturam ex mente eccleſiae, et fidelium offerentium eſſe, vt miniſtri eccleſiae ex iis, ſuam accipiant ſuſtentationem, templa ſarta, et tecta conſeruentur, ſacra ſupellex, aliaque ad diuinum cultum neceſſaria depromantur, et quod ſupereſt in pauperum alimoniam cedat* Concil. Aqvisgr. *de an.* 816. *can.* 116. Nulla ergo cuiuscunque diſpenſationis etiam romanae ratione habita. In omni caſu id primario adtendendum eſt, num ea ſit penſionarii conditio, vt patrimonium pauperum ipſius vſibus indulgeri iure queat? Hoc requiſitum, ſi deficiat, fieri quidem poteſt, vt penſio a praeſidibus recte adnuatur; verum tamen nulla recti conſcientia

ea poteſt perfrui, cui paupertatis titulus non ſuffragetur.

Van Espen *loc. cit. cap. IV.* Flevrii *inſtit. iur. eccleſ. loc. cit. §.* 3.

§. CCLXXX.

Illas vero imponere pontifici ex iure adquiſito, epiſcopis ex officio competit.

Penſiones iuri communi eſſe contrarias, adeoque non niſi auctoritate eorum, qui legibus ſoluere poſſunt eas ſolui, et imponi poſſe aperte *cap.* 8. *de praeb.* nec non *cap.* 7. *et* 8. edicunt. Hinc penes ſupremum antiſtitem eſſe ſolum, non paucis perſuaſum fuerat penſiones a beneficiorum adipe diſpenſare. Imo ea quorumdam fuit indulgentia, vt nihil obſtare dicerent, quo minus pontifex maximus etiam ſine cauſa, ſine accipientium ſcrupulo genus hoc liberalitatis exercere queat. Sed rectius dici videtur, *ius adquiſitum* in ea re ſtare pro ſummo pontifice, epiſcopos vero id ex *officio* poſſe a Christo ſibi commiſſo. Vſitatior tamen eſt opinio, epiſcopis non licere beneficia, ſed, beneficiatos tantum onere hoc grauare, atque ideo iſtorum obitu omnem continuo penſionem extingui. Contra immortales cenſentur penſiones pontificiae, quae cum realia ſint onera, ad quemuis beneficii poſſeſſorem commigrare traduntur.

Van Espen *loc. cit. cap. V.* Boehmer *h. t. num.* 8. 9. 10. Leyser. *loc. cit. quaeſt.* 443. *ſeqq.* in Germania

auerint.

§. CCLXXXI.

eficiati, ac patroni conſenſus requiritur, tertiam partem prouentuum ſuperare permiſſum eſt.

od ſi de recto penſionum vſu ſermo eſt, is puto *beneficiati*, et *patroni conſenſu* ſe. Illius conſenſus ex iure communi adeo neceſſarius eſt, vt ſine eo ab epiſno ſummo pontifice ipſomet, et motu etiam beneficio impoſita *valida non* *egula cancell.* 45. huius conſenſum tunc t, ſi penſio ad ſucceſſorem tranſitura quod patrono id fraudi foret. Ad monem, quod adtinet, quam in iisdem requi- debet eſſe earum indoles, vt nec con- beneficiati ſuſtentationi, nec aliis one- erendis propterea aliquid detrahatur. *ertiam* prouentuum *certorum* partem

cleſiae cathedrales, quarum reditus ſummam ducatorum mille, et parochiales, quae ſummam ducatorum, centum ſecundum verum annuum valorem non excedunt vllis penſionibus, aut reſeruationibus fructuum grauentur.

VAN-ESPEN *loc. cit. cap. VI. VII.* WIESTNER *h. t. num. 15. ſeqq.* LEVREN. *loc. cit. quaeſt. 456. ſeqq. 464. ſeqq. et 483. ſeqq.* Simili modo penſionibus onerari non debent dignitates, niſi de illa parte reddituum, quae centum, et alia beneficia ſimplicia niſi de ea, quae 24. ducatorum ſummam excedit. Caeterum concludere non ſtatim fas erit penſiones illas cum hac reſtrictione conceſſas omnino licitas eſſe, et vndequaque probatas.

§. CCLXXXII.

Penſionario autem varia incumbunt.

Praecipua inter penſionariorum officia, ſeu obligationes ex conſtitutione PII V. EX PROXIMO, AC SIXTI V. CVM SACROSANCTAM ea veniunt, vt clericorum more induantur, et minores *B. Virginis* horas dicant, ſecus fructuum non futuri participes, quos propterea percipiant, prorſus haud aliter, ac beneficiati omnes, qui horas canonicas neglexerunt. Deinde pro rata fructuum ad onera etiam beneficio adnexa tenentur, ex quo illos percipiunt. Extinguitur *penſio* iisdem fere modis, quibus *beneficia deſinunt*. Redimi quoque poteſt pecunia, ſi penſionario non eſt inſtar tituli clericalis, et ſi bona fide ſine pactione ſimoniaca adſignata eſt.

[redacted]

Wiestner *loc. cit. num.* 28. *ſeqq.* van Espen *loc. cit. cap. IX.* Leuren. *loc. cit. quaeſt.* 534. 638. *et ſeqq.*

§. CCLXXXIII.

III.) *Vnionis definitio ac diuiſio.*

Diminuuntur inſuper beneficia III. *per vnionem*, iſta autem generatim dicitur *coniunctio duorum, pluriumue beneficiorum, vel eccleſiarum ea intentione facta, vt reſpectu beneficiarii pro vna eccleſia, aut beneficio habeantur*, eſtque alia *temporalis*, et *perſonalis*, alia *perpetua*, et *realis*. *Illa* dicitur, quae *in commodum, et fauorem perſonae duntaxat conceditur, et per eius mortem exſpirat:* hae vniones ante Synodvm Tridentinam erant non parum frequentes, atque earum pallio paſſim tegebatur beneficiorum pluritas. Vnde in illa *ſeſſ. VII. cap.* 4. *de reform.* plura beneficia ſimilia *per viam vnionis ad vitam* recipere, aut retinere prohibetur. Non enim in eccleſiae commodum ſed lucrum, et quaeſtum beneficiati haec vnio inuenta erat. *Vnio perpetua*, ſiue *realis eſt*, quae *fit eccleſiae intuitu impoſterum ſemper permanſura.* De hac ſola vnione nobis ſermo erit, ea enim propriae vnionis nomine venit, dum de beneficiorum vnione tractatur.

Trid. *ſeſſ. XXIV. cap.* 17. *de reform.* van Espen *loc. cit. tit. XII. cap. I.* §. 1. *ſeqq.* Leuren. *for. benef. loc. cit. quaeſt.* 877. *ſeqq.* vnionem temporalem acro carbone, vt iuſtum eſt., notant, damnant, ac reprobant. Tvrricell. *de vn. benef. perſon. et beneſ. eccleſ. P. II. lib. V. tit. X. num.* 10.

§. CCLXXXIV.

§. CCLXXXIV.

Quae tribus praecipue modis ſit.

Tres paſſim adſeruntur: ſit enim vnio 1.) per *ſubiectionem*, quam alii acceſſionem vocant. 2.) per *aequalitatem*. 3.) per *confuſionem*, vel *ſubpreſſionem*.

§. CCLXXXV.

1.) *Vnio per ſubiectionem.*

1.) *Vnio per ſubiectionem tum* facta eſſe cenſetur, *cum duae, pluresque eccleſiae ita in vnum coeunt, vt vna illarum principalis emineat, reliquae omnes diſtinctae prorſus huic vni accedant, et vni, eidemque parocho ſiue rectori pareant.* Finis huius vnionis eſt, vt eccleſia inferior, ſeu acceſſoria proprium alere paſtorem haud teneatur, ſed principalis patrimonium augeatur. Ratio formalis in eo ſita eſt, vt illa coetum adhuc peculiarem conſtituat, inque aede ſua ſeparatim rebus diuinis operetur, demum in effectu communis paſtor eccleſiis duabus praeſit. Quidquid ergo nec ex fine vnionis huius neceſſario fluit, quidquid illius ratio non vrget, et poſtulat, id extra vnionis complexum eſſe, atque adeo in ſtatu priſtino perſiſtere debebit. Et eatenus obtinet regula vulgaris: *filia ſequitur matrem.*

VAN ESPEN *loc. cit.* §. 10. 11. Eccleſia principalis *mater* ab aliis barbare *matrix* adpellatur, in qua nem-

[redacted]

nempe parochus reſidet, et alii quoque ſubiectae eccleſiae praeeſt; acceſſoria autem *filia*, vel *filialis*, dicitur: Notari adhuc debet hanc vnionem duobus modis fieri poſſe. a) *abſolute*, vt eccleſiae quidem diſtinctae maneant, ſed vni paſtori, qui in eccleſia *matre*, et *filia* cultum diuinum *per ſe ipſum* peragit, ſubſint. b) *ſecundum quid*, vt vna alteri ſaltim quoad actus certos vnita ſit, aut per *vicarium* (TVRRICELL. *loc. cit. cap. IV.*) vnita regatur. Vnio enim variis modis, et pactis limitari, reſtringi, et circumſcribi poteſt.

§. CCLXXXVI.

Exinde varia conſequuntur.

Ex praecedenti proxime paragrapho capi-
i ſequentia deducere fas eſt. 1.) *beneficium*
oc modo *vnitum non ſupprimitur*, ſed in ſua
tegritate perſeuerat, ſiue onera ſpectes, ſi-
e iura, et prouentus: e contrario filia iac-
ram facit omnium, quae facta vnione *inte-
ra* perſtare nequeunt: atque inde *inaequali-
is* naſcitur *matrem* inter et *filiam*. Hinc

2.) Per vnionem eccleſiarum in diuerſis
ioeceſibus, ſeu territoriis ſitarum *iurisdic-
iones* eccleſiarum non confunduntur *cap. 2. de
eligioſ. dom.*

3.) Patronus tamen eccleſiae filiae ius
ium amittit *cap. 7. de donat.*

4.) *Filia* ſuo deinceps nomine non cele-
ratur, nec rector ab illa, ſed matre denomina-
ır, neque filiam vacare impoſterum, ſed il-

lam

liam exiſtimamus, cui coniungitur, eccleſiam, quacum vna conferri creditur.

5.) Nec tenetur *rector principalis* apud filiam eccleſiam reſidere, id, quod de *reſidentia* tamen *materiali* intelligendum puto.

Leurenn. *loc. cit. quaeſt.* 583. Wiestner *lib. V. tit. XXXI.* num. 6. Boehmer. *tit. V. lib. III.* §. 184. *ſeqq.*

§. CCLXXXVII.

2.) *Vnio per aequalitatem.*

2.) *Vnionem* vero *per aequalitatem* tunc dicimus exiſtere, quum *ſingulae eccleſiae diſtinctis coetibus formantur, vt altera ab altera nulla alia ratione dependeat, quam vt vtraque vni, eidemque rectori ſubſit, et pareat.* Ex hac deſcriptione fluunt corollaria, quae ſequuntur. I.) Quaeuis eccleſia ſtatus ſui *integritatem ſeruat*, qua prius fuerat, quam vniretur, nihilque ex parte illius immutabitur.

II.) *Perſeuerant diſtincta* eſſe *beneficia*, adeoque nullius nomen, et titulus interit, neque iura, et bona in vnum confluunt *cap. 1. ne ſede vacante.*

III.) Rector in neutra eccleſia ſufficere ſibi vicarium poteſt, ſed vbique *ipſiſſimus reſidere* aequaliter, et ſacra peragere *debet.*

IV.) Vtrarumque *expreſſione* opus eſt in impetratione.

V.) Si duo epiſcopatus aeque primarii vterque nexibus vniti ante vnionem ſuberant duo-

[redacted]

duobus metropolitanis propter hanc vnionem *neuter iuribus ſuis ſpoliatur*.

Fagnan. *ad cap. nouit.* 1. *ne ſed. vac.* potiſſimum haec vnio obtinet in iis epiſcopatibus, qui vel manu regia, vel prouiſione pontificis conferuntur. Qui electioni tribuuntur epiſcopatus, hanc vnionem vix admittunt, niſi forſan vnionem temporalem ſupponamus, quando poſtulatur epiſcopus alterius eccleſiae, qui vtrique paribus praerogatiuis imperet.

§. CCLXXXVIII.

3.) *Vnio per ſubpreſſionem.*

3.) *Vnio per ſubpreſſionem* tum perficitur, *cum duae pluresue eccleſiae ante diſcretae in corpus vnum coaleſcant*, *hoc modo*, *vt vnitae nullos amplius coetus diſtinctos forment*. Quare 1.) vnitae hoc modo eccleſiae fiunt *membra eccleſiae principalis*, eiusque ſtatum, iura, et conditionem ſequuntur. 2.) non tamen per omnia mores eccleſiae, cui adglutinantur, adſumunt, ſi *ſacra* exceperis, cum quoad onera parochialia diuerſum ſtatui poſſit. Hinc 3.) *ius patronatus* reſpectu vnitarum prorſus *amittitur*. 4.) *limites parochiales dilatantur*, et iura parochialia prorſus immutantur, quae in poſterum ab vna eademque eccleſia exercentur. 5.) nouumque ſic oritur beneficium, quod *iura* et priuilegia compatibilia (vt aiunt phraſi iam recepta) *vtriusque retinet* et ex incompatibilibus fauorabiliora.

Tvrri-

Tvrricell. *loc. cit. cap. III.* Gonzalez *in reg. VIII. gloſſ. V.* §. 7. *num.* 28. Garcias *de benef. cap. II. num.* 10. vt vero ſciatur, qua ſpecie vnionis beneficia ſint vnita, conuenit inprimis inſpicere, et examinare ipſas litteras vnionis, quarum tenor potiſſimum adtendendus, et ſequendus eſt, e quo ſimiliter conditiones ipſius vnionis petendae ſunt. In dubio ſemper praeſumendum vnionem factam eſſe aeque principaliter. Espen *loc. cit.* §. 12. *ſeqq.*

§. CCLXXXIX.

Primaria autem vniendi cauſa ſit eccleſiae ſalus.

Vnionem beneficiorum eſſe odioſam, adeoque reſtringendam, et in dubio contra illam pronunciandam, vnanimis eſt canoniſtarum ſententia. Verum idem pro rerum, quae circumſtant, varietate modo ad fauorem, modo poteſt odioſum eſſe. *Salus eccleſiae ſuprema lex ſit oportet.* Hinc ad determinandas vnionum cauſas legitimas non opus eſt, vt ad axioma tam ambiguum recurramus, ſed quandocunque evidens ecclesiae necessitas, *aut* vtilitas *id exigit*, vnionem fieri debere ſtatuendum eſt. *cap.* 33. *de praeb.* Haec ſi abſint, vniones beneficiorum odioſas eſſe facile cognoſcimus.

Referas huc vniones *gratioſas* ad obtegendam beneficiorum pluralitatem inuentas, quando pontifex vel epiſcopus beneficia coniunxit ſine neceſſitate, vt epiſcopi, vel capituli reditus augerentur. van Espen *loc. cit. cap. II.* §. 1. *ſeqq.* Flevrii *inſtit. iur. eccleſ. P. II. cap.* 29. §. 1. *ſeqq.*

§. CCXC.

[redacted]

§. CCXC.

Accedat praeſidum auctoritas.

ſolum *legitima cauſa*, ſed etiam *ſupe-*
auctoritas ad vnionem requiritur; et
eam fieri poſſe per *romanum ponti-*
bitat nemo, ad quem etiam infracta
litanorum poteſtate epiſcopatus vnien-
priuatiue, et cum excluſione in-
ſoluta eſt *cap.* 4. *de offic. leg.* Quo
eſt quaeſtio, non ex Iſidori impo-
ſidenda. Neque credendum eſt, id,
pontifices iure metropolitico ege-
49. *cauſ. XVI. q. I.* ipſis iure
competere. Sicut autem vnire epiſ-
atque poteſtati ſubiicere alienae ad
pontificem pertinere dignoſcitur:
eſt *eccleſiarum ſuae dioeceſis vnio*,
earum *cap.* 8. *de exceſſ. praelat.* In-
vero praelati, quantumuis exemti,
ciorum collatores vniendi auctoritate
tur, niſi eam praeſcripſerint, quod
non repugnat *cap.* 15. *de praeſcript.*

loc. cit. cap. I. §. 17. *ſeqq.* Wiestner
tit. XXXI. num. 8. *ſeqq.* Verum et epiſco-
Trid. *ſeſſ. XXIV. cap.* 13. *de reform.* pro-
eſt: ne *parochiales eccleſias aliis quibuscun-*
ficiis, monaſteriis, aut praebendis eccleſiae
alis, vel collegiatae, ſeu etiam beneficiis ſim-
aut hoſpitalibus, militiiſue amplius vniant.
nec poteſt epiſcopus etiam cum conſenſu
in ſuam, vel capituli vtilitatem absque
pontificis licentia vnionem facere *clement.*
reb. eccleſ. non alien. pariter nequit ſuae dioe-

ceſis beneficia vnire beneficiis alterius dioeceſis. TRID. *ſeſſ. XIV. cap.* 9. *de reform.* add. LEVREN. *loc. cit. quaeſt.* 896. *ſeqq.*

§. CCXCI.

Sed cautionibus iis, quas decet, adhibitis.

Ne vero eccleſiarum praeſides perperam quid agant, vt beneficiorum, de quorum vnione agitur, conditionem peruideant et expendant, inprimis neceſſarium eſt. Nec enim dubitari poteſt, quin *minor ratio* ſufficiat vniendis *beneficia ſimplicia*, quae nullum ſpeciale onus, niſi ſacris operandi adnexum habent, et ſaepe otioſis ſacerdotibus paſcendis ſeruiunt, quam *curata*, aliaque, quorum poſſeſſor ad obeunda eccleſiae munia ſpecialiter adſtringitur TRID. *ſeſſ. XXIV. cap.* 13. *et* 15. *ſeſſ. XXIII. cap.* 18. *de reform.* Nec tantum beneficiorum qualitas diſcutienda, ſed et ſitus. Quin enim eccleſiae parochiales eo facilius vniri queant ob earum paupertatem, quo ſibi viciniores ſunt, euidens eſt. Ceterum TRID. *ſeſſ. XXV. cap.* 9. *de reform.* vetat fieri *acceſſiones per viam vnionis de beneficiis liberis ad eccleſias iuri patronatus etiam laicorum ſubiectas tam ad parochiales, quam ad alia quaecunque beneficia etiam ſimplicia, ſeu dignitates, vel hoſpitalia ita, vt praedicta beneficia libera eiusdem naturae cum iis, quibuscum vniuntur, efficiantur, atque ſub iure patronatus conſtituantur.*

[redacted]

Van Espen *loc. cit. cap. II.* §. 8. *ſeqq.* Wiestner *loc. cit. num.* 17. *ſeqq.*

§. CCXCII.

Eam circa rem varia.

Ne igitur vniones ſine cauſis, et praeſidibus paſſim fingerentur, cautum iam pridem eſt, ne aliter de iis ageretur, quam *vocatis* primum, *quorum intereſt*, et *cauſis* deinde probe *examinatis* Trid. *ſeſſ. VII. cap. 6. de reform. Reg. cancell. de vnionibus XXII.* quae vbique recepta eſt. Itaque vnio etiam auctoritate pontificia hodie fieri debet in *forma commiſſoria*, cumque haec commiſſio inuolvat cognitionem cauſae, debet haec dirigi ad eas perſonas, quae vt iudices a ſede apoſtolica *in partibus* delegari poſſunt. Audiendus ergo eſt *epiſcopus*, aliusque *collator*. *Patroni* quoque audiendi, imo ſi patroni *laici* fuerint, non ſolum audiendi ſunt, ſed eorum *conſenſus* requiritur. Audiendus eſt *princeps populi chriſtiani*, rerumque eccleſiaſticarum defenſor, cuius *placitum* et in hac cauſa abſolute neceſſarium eſt. Inſuper requiritur, vt petentes beneficia eccleſiaſtica aliis vniri, exprimant verum valorem ſecundum communem aeſtimationem tam beneficii, quam illius, cui vniri petitur *reg. cancel. cit.* ſi omnibus rite examinatis, ſingulisque, quorum intereſt auditis, vnio *vtilis*, aut *neceſſaria* adpareat, poterit epiſcopus ad eam procedere, etiamſi dictae eccleſiae, aut beneficia eſſent generaliter, vel ſpecialiter reſer-

nata, aut quomodocunque adfecta TRID. *ſeſſ. XXI. cap. V. ſeſſ. XXIII. cap.* 18. *ſeſſ. XXIV. cap.* 15. *de reform.*

Cum vnio eccleſiae non ſortiatur effectum ante obitum beneficiarii, facile patet, quod eius conſenſus non deſideretur *clem.* 2. *de reb. eccleſ. non alien.* De his omnibus conſulantur van ESPEN *loc. cit. cap. III.* BOEHMER. *lib. III. tit. V.* §. 200. BARBOSA *iur. eccleſ. lib. III. cap. XVI.*

§. CCXCIII.

Praecipue a concilio tridentino ſunt ſtatuta.

Patres tridentini videntes, non eccleſiae emolumento, ſed hominum cupidorum commodis vnitas paſſim eccleſias immolari, easque paſſim ex vnionibus iſtis neque vtilibus, neque neceſſariis miniſtris deſtitui ſtatuerunt *ſeſſ. VII. cap.* 6. *de reform. vniones perpetuae a quadraginta annis citra factae examinari ab ordinariis, tanquam a ſede apoſtolica delegatis, et quae per ſubreptionem vel obreptionem obtentae fuerint, irritae declarentur. Illae vero, quae a dicto tempore citra conceſſae, nondum in toto, vel in parte ſortitae ſunt effectum, et quae deinceps ad cuiusuis inſtantiam fient, niſi eas ex legitimis, aut alias rationabilibus cauſis, coram loci ordinario vocatis, quorum intereſt, verificandis, factas fuiſſe conſtiterit, per ſubreptionem obtentae praeſumantur: ac propterea niſi aliter a ſede apoſtolica declaratum fuerit, viribus omnino careant.*

Van

[redacted]

ENPEN *loc. cit.* §. 4. *ſeqq.*

§. CCXCIV.

IV.) *Beneficiorum diuiſio.*

Vnioni, de qua hactenus diſſeruimus, ec-
ſiarum, beneficiorumque *diuiſio* opponitur,
am alio etiam vocabulo *ſectionem* dicunt,
um per eam aeque beneficia grauentur, de
a loquemur IV.) Contingit autem, *ſi vnum
neficium in plura ſcinditur, et ex vna eccleſia
ae, pluresue fiunt.* Prohibitae ſunt eiusmo-
beneficiorum ſectiones *cap.* 8. *de praeb.* qua-
ppter et odioſae habentur in iure. Merito
mirari poſſet, cur plures in iure canonico
ſtitutiones occurrant, quae diuiſionem,
mque vnionem prohibent *cap.* 8. 10. 20. 21.
26. 36. *de praeb.* Sunt profecto beneficia-
lurimi, qui tot reditibus ſuperfluis abun-
, vt rei eccleſiaſticae expediret, diuiſiones
e imperare, et reditus ſuperfluos vſibus me-
ribus adplicare. E contra cum minorum ec-
ſiarum reditus plerumque non tam pingues
t, vt ſectionem patiantur, haec in illis non
ile admittenda.

§. CCXCV.

Iſtiusque regulae.

Ceterum, quae in vnione addenda ſint re-
ſita, deſideratur quoque, licet non eo ri-

 gore

gore in diuiſione eccleſiarum, et ſcilicet *au-ctoritate publica* facienda. Vocandi ad eam, et audiendi omnes, quorum intereſt, praecipue *iuſta cauſa* adferenda, et probanda: *cauſae cognitio inſtituenda*, et tandem ſolenni diplomate firmanda eſt. Effectus huius diuiſionis eſt varius, prout haec diuerſa fieri poteſt ratione. Aut enim vnio ante facta diſſoluitur, aut ex eccleſia, quae a primordio vna fuit, duae efficiuntur. Priori caſu eccleſia vnita reſtituitur in priſtinum ſtatum, et mater eccleſia omne ius in filiam amittit *cap. 1. ne ſed. vac.* Poſteriore caſu plane nouus effectus ex tali diuiſione oritur, quod illa, ex cuius redditibus noua exſtruitur, ius patronatus non tantum in nouam ex fundatione adquirat, ſed recens fundata inſtar filiae ſeſe habeat, et quaſi quaedam colonia eſſe videatur *cap. 3. de eccleſ. aedif.*

Van ESPEN *loc. cit. cap. IV. §. 8.* de diuiſione parochiarum vid. TRID. *ſeſſ. XXI. cap. 4. de reform.*

§. CCXCVI.

Ac cauſa.

Quod ſi de diſſolutione eccleſiae antea vnitae loquamur, cauſa eius inſtituendae legitima facile adparet. Si enim conſtat, qua praeſertim de cauſa facta vnio fuerit, ea ceſſante diſſolutio vnionis admitti debet. Quin ſi non om-

nino

[redacted]

..na cauſa vnionis ceſſauerit, vnio tamen re-
..ctari poterit, ſi ſuperueniat cauſa, quae
..tiuum vnionis ſuperat. Si vero rite ec-
..ſiarum uniones ab ipſis ordinariis tantiſper
..ratius hodie penſitarentur, praeſertim
..ſiarum parochialium, non eſt dubium,
.. deprehenderetur, cauſas vnionum in
..ceſſare, atque *nullam continuatae vnio-
.. tolerandae cauſam* ſubeſſe.

..Espen *loc. cit. cap. IV.*

§. CCXCVII.

..finitur diſmembratio proprie accepta.

Diſmembratio beneficiorum aliquando acci-
..tur in ſenſu largiore pro diuiſione. Proprie
..tem differt ab iſta, cum non tollat vnionem
..neficii, eſtque nil aliud, quam *diminutio*
..neficii abundantis, qua ei pars fructuum
..fertur, et alteri adplicatur remanente bene-
..cio penes ſuum ordinarium rectorem. Requi-
..it autem easdem *cauſas*, et *ſolennitates*,
..uae ad alienationem rerum eccleſiaſticarum
..quiruntur. *cap. 9. de his, quae fiu. a prael.*

..Vid. P. REIFFENSTVEL *h. t. num. 12. ſeqq.*

O 4 §. CCXCVIII.

§. CCXCVIII.

Denique V.) per ſubpreſſionem, quae definitur.

Cum beneficia diminuantur vel per *ſubpreſſionem* reſtat, vt de ſubpreſſione pauca dicam, *quae eſt totalis extinctio beneficii aut reductio praebendarum ad minorem numerum* TRID. *ſeſſ. XXIV. cap.* 15. *de reform.* cum iſta aliquando tendat ad diminutionem cultus diuini, requiritur *grauis, et neceſſaria cauſa.* Praeter alias ex ſingularibus circumſtantiis obortas rationes cauſa ſupprimendi beneficium eſt tenuitas, et *diminutio redituum cap. fin. de V. S.* quam tamen dismembrationis cauſam melius dixeris, qua ceſſante ſuppreſſum, vel extinctum beneficium reuiuiſcere debere per ſe clarum eſt. *cap.* 8. 9. *et* 12. *de conſtit.*

FAGNAN *ad. cap. cum acceſſiſſent* 8. *de conſtitut;* REIFFENSTVEL. *h. t. num.* 32. *ſeqq.*

TI-

TITVLVS XIII.

DE

VS ECCLESIAE ALIENANDIS VEL NON.

§. CCXCIX.

... initiis epiſcopis quidem plena erat bonorum poteſtas.

... *naſcentis eccleſiae ſeculis* praeſertim quamdiu alia ignorabantur bona, prae... fidelium munera, *epiſcopis* nusquam ... rerum eccleſiaſticarum alienationem in... am fuiſſe: ſed libera, et plena earum ... ipſis concredita videbatur. Ve... mitiora venirent tempora, rabie... yrannorum ſenſim remittente immo ... ſidere bona eccleſia inciperet, in ea... miniſtratione ſimul auctoritas praeſidum ..., alienandi poteſtas comprimi, aut ſaltem legibus circumſcribi coepit.

...ificum antiquorum, qui ſeculo V. VI. aut ... VII. Leoni ſucceſſerunt, decretis contra in... itam bonorum eccleſiaſticorum alienationem ..., nulla huius decreti mentio fit; nihilomi... poſterioribus ſeculis paſſim, tanquam prae... quoddam alienationes ordinandi monumen..., non a doctoribus tantum, ſed a pontificibus

 etiam

etiam in ſuis reſponſis, et decretalibus adſumtum fuit. Sic Innocentius III. reſolutionis ſuae rationem redditurus decreto huic, et quidem adlegato etiam Leonis P. nomine iterum, iterumque innititur *cap. 7. 8. de his, quae ſu. a prael.*

§. CCC.

Sed concilia id brevi mutarunt.

Vnde vero mutationis huius exordia repeti debeant, apud omnes in incertis eſt. Id quidem ſatis conſtat, in quibusdam ſaltem eccleſiis *ſeculo iam IV.* editos hac de re canones fuiſſe. *Concil. antioch. de an. 341. can. 24. carthag.* Omnium praecipuus, et in hac materia frequentiſſimus, incertae licet originis eſt, quem Gratianvs ex epiſt. Leonis Pap. *can. 52. cauſ. XII. q. II.* non integrum tamen refert: *ſine exceptione decernimus, ne quis epiſcopus de rebus eccleſiae ſuae quidquam donare, vel commutare, vel vendere audeat, niſi forte aliquid horum faciat, vt meliora proſpiciat, et cum totius cleri tractatu, atque conſenſu id eligat, quod non ſit dubium, profuturum eccleſiae. Epiſcopus rebus eccleſiae tanquam commendatis, non tanquam propriis vtatur. Irrita enim epiſcoporum venditio, et commutatio rei eccleſ. erit absque conniuentia, et ſubſcriptione clericorum.*

§. CCCI.

[redacted]

§. CCCI.

Quorum exemplum ſecuti principes.

PRINCIPES quoque ſaluti rerum temporalium, quas vel ipſi, vel maiores ſui aut ſubditi eccleſiis donarunt, proſpecturi, ad canonum imitationem *leges* ſua ſponte condere coeperunt. LEO imp. primus fuiſſe videtur, qui legem hanc dedit, ne res eccleſiae alienarentur l. 14. *cod. de SS. eccleſ.* quae Leonis conſtitutio ſolam eccleſiam conſtantinopolitanam ſpectans ab ANASTASIO *imp.* in l. 17. *cod. ibid.* ad omnes patriarchatus conſtantinopolitani eccleſias extendebatur. Tandem IVSTINIANVS abrogata lege anaſtaſiana leoninam omnibus aliae eccleſiis adcommodauit, et duas amplas conſtitutiones de hac alienationis prohibitione, eiusque regulis, et terminis edidit. *Nouell. VII. et CXX.*

(a) c. 1. *cauſ. X. q. II. cap. 5. h. t.* Equidem circa annum 483. ſub Odoacre rege quaedam de prohibita rerum eccleſiaſticarum alienatione conſtituta ſunt. Haec lex in ſynodo romana ſub Symmacho anno 502. recitata eſt, et quaeſiuit Maximus epiſcopus Bleranus. *Licuit laico homini legem dare?* (egregium dubium) et reſponſum eſt: *non licuit.* Repudiata ergo lege Odoacris, quamuis iuſtiſſima, nouam ſtatuit Symmachus in ſynodo *Rom. III. an.* 502. celebrata *can. 4. ſeqq. ap.* HARDVIN. *tom. II. col.* 979. cuius veſtigia extant *ap.* GRATIAN. *can.* 20. *cauſ. XII. q. II. can.* 1. *cauſ. XVII. q. IV.*

§. CCCII.

§. CCCII.

Praecipue CAROLVS MAGNVS

Exemplum imperatorum orientalium imitatus CAROLVS M. rerum eccleſiaſticarum alienationem ſeueriſſime inhibuit, *nulla*, inquit, *ſub romana ditione conſtituta eccleſia vel xenodochium, prochotrophium, vel noſocomium, vel orphanotrophium, vel gerontocomium, vel brephotrophium vel monaſterium tam monachorum, quam ſanctimonialium, archimantritam vel archimanditrinam, contra hoc agere praeſumat. Ergo his omnibus non liceat alienare rem inmobilem, ſiue domum, ſiue agrum, ſiue hortum, ſiue ruſticum mancipium vel panes ciuiles, neque creditoribus ſpecialis hypothecae titulo obligare. Alienationis autem verbum contineat venditionem, donationem, permutationem, et emphyteuſeos perpetuum contractum. Sed omnes omnino ſacerdotes ab huiusmodi alienatione ſe abſtineant, poenas timentes, quas* LEONINA *minatur.*

Ap. BALVZ. *capitular. l.* 1. *§.* 29. *T.* 1. *col.* 746. Praemiſſa deinde repetitione et confirmatione poenarum in leonina conſtitutione, id eſt in *l.* 14. *cod. de SS. eccleſ.* determinatarum ſubiicit explicationem locorum venerabilium (quorum bona alienari prohibentur) quae ita ſonat. *Xenodochium, id eſt locus venerabilis, in quo peregrini ſuſcipiuntur. Prochotrophium, id eſt locus venerabilis, in quo pauperes, et infirmi homines paſcuntur. Noſocomium, id eſt, locus venerabilis, in quo aegroti homines curantur. Orphanotrophium, id eſt locus venerabilis, in quo parentibus orbati pueri paſcuntur. Gerontocomium*

id

[redacted]

id eſt, locus venerabilis, in quo pauperes, et propter ſenectutem ſolum infirmi homines curantur. Brephotrophium, id eſt, locus venerabilis, in quo infantes aluntur. add. *L. VI. cap.* 136.

§. CCCIII.

Vt ad alendos miniſtros conſeruarentur.

Rerum ergo *eccleſiaſticarum alienatio* eſt prohibita, ita, vt huius prohibitionis termini non ſolum ex *canonibus* ſed quam maxime ex legibus ſint determinandi. Canonum vero et legum iſtarum *ratio* in eo ſita eſt, quod *ſcilicet eccleſiae bona propria deſtinanda, conſeruandaque ſunt, ut ex illis ſumtus exhibeantur ad alendos miniſtros, et inſtauranda aedificia, cum ſine bonis temporalibus ſtare non poſſint.* Et ideo poteſtas praelatorum certis finibus coerceri debuit, ne *ſub praetextu adminiſtrationis in vitium diſſipationis irruerent.*

GONZALEZ *ad cap.* 5. *h. t. num.* 10. *Experientia enim docuit* (ait van. ESPEN loc. cit. §. 2.) *nonnullos epiſcopos non ſatis ſollicitos pro ſucceſſoribus bona illa in propriam vtilitatem diſtrahere.* ISID. PELVSIOT. *lib. V. epiſt.* 21.

§. CCCIV.

Alienatio vero rerum eccleſiae varie fit.

Nomine *eccleſiae* hic intelliguntur *quaeuis loca pia, et venerabilia auctoritate epiſcopi*

con-

conſtituta. Nou. 7. princ. cap. 1. 2. l. 14. cod. cum auth. Hoc ius porrectum, et l. 19. de SS. eccleſ. Per *alienationem* autem omnes illi actus intelligi ſolent, per quos eccleſia circa res ſuas temporales *grauamen* patitur *cap. 5. h. t. et extrauag. ambitioſae h. t. int. comm.* ergo alienatio hic fieri cenſetur 1.) per *infeudationem* rei ab antiquo infeudari non ſolitae, et dationem in emphyteuſin, niſi res ſterilis ad culturam concedatur *Nou. VII. cap. 1. et extrauag. ambitioſae cit.* 2.) per *ſpecialis hypothecae* obligationem *cap. 5. cit. l. fin. cod. de reb. alien. non alien. 3.) per ceſſionem actionis. 4.) ſeruitutis impoſitionem;* et 5.) per *locationem* vltra triennium ex tribus fructuum collectionibus computandum *extrauag. vn. h. t. int. comm.* 6.) Per *omnem* denique *actum*, ſeu diſpoſitionem, ſiue ſit vltimae voluntatis, ſiue inter viuos *l. 24. cod. de SS. eccleſ.* qua dominium ſiue directum, ſiue vtile, vel aliud ius in re, vel ad rem transfertur *extrauag. cit. et l. fin. cod de reb. alien. non alienand.*

Alienationis verbum continet quoque conditionem cap. 5. h. t. Omiſſis incertis aliorum opinionibus de vocis huius acceptione, verior adparet ANTONII AVGVSTINI ſententia, qui vocem illam reiiciendam credit, quod in autographis, et codicibus, vnde hic textus primitus deſumtus eſt, haud legatur. Textum enim hunc primum deſumtum ex Nouell. VII. non obſcurum eſt, et ex illa refertur apud Iuonem carnotenſem *P. IV. cap* 185. vbi tamen nulla mentio fit *conditionis.* Burchardus wormatienſis quidem retulit textum hunc *lib. III. cap.* 164. idque cum hac voce *conditionem*, ſed omiſſa voce *venditionem.* Vix ergo eſt dubium, quin librarii Burchardi mendoſe pro *venditionem* ſcripſerint *conditi-*

[redacted]

ditionem. Retinuit autem mendum illud Bernardus papienſis *in collect. decretalium I.* Hinc Raymundus, qui Bernardum exſcripſit, vt omnibus ſatisfaceret retenta voce *conditionem* addidit et vocem *venditionem*: magnam, vt aiunt, interpretibus crucem relinquens.

§. CCCV.

Ad quam generalis hypotheca non refertur.

Diſputant canoniſtae, an nomine alienaionis *hypotheca* quoque *generalis* intelligatur? ...ica prohibitae alienationis ratio eſt immi...ens eccleſiae damni periculum; ſed, ſi debi...m alias ſit rite contractum, per adiectam hy...othecam generalem, nec damni vllius, nec ...ciendae alienationis prohibitae periculum ...cleſia, aliunde ad debitum, quocumque fieri ...oteſt modo, exſoluendum obſtricta, *can. 2. ...uſ. X. q. II. auth. praeterea cod. de SS. ec...leſ.* incurrit. Aut quid intereſt, ſiue debitum ...rincipale ſit ſolum, ſiue hypotheca generali ...unitum? Profecto non ſine ratione *cap. 5.* ...*t.* inter ſpecies prohibitae alienationis ſola ...efertur hypotheca ſpecialis, quae reſtrictio ...orſus inconſulta & captioſa foret, ſi etiam ...eneralis prohibita fuiſſet. *Licebit* ergo *prae...ſtis earum* (eccleſiarum) *vsque ad genera...m hypothecam ſtare, nullum tamen ſpeciale ...ignus creditoribus praebere. Nouell. VII. ...ap. 6. §. 1.*

§. CCCVI.

§. CCCVI.

Sed ſub ea repudiatio juris delati comprehenditur.

Repudiationem iuris delati eſſe talem, de qua nunc loquimur, adeoque prohibitam alienationem, adfirmare non dubito. Haec enim in latiori ſenſu hic accipitur, et ſub ea omnis quoque imminutio iuris, quae cederet in praeiudicium eccleſiae, venit. Atqui praelatus ſimili repudiatione dimittit ius eccleſiae iam quaeſitum *l. 23. ff. de adquir. vel omitt. haered.* remque incorporalem abiicit. Et licet, qui occaſione adquirendi non vtitur, non intelligatur alienare *l. 28. ff. de V. S.* id tamen de propria tantum alienatione, et in ſenſu ſtricto, accepta verum eſſe ex *l. 5. §. 8. ff. de reb. eor. qui ſub tut.* ſatis adparet. Verum quidem eſt, maiorem eſſe rectoris eccleſiae auctoritatem, quam tutoris, et pupilli, ſed fauor eccleſiae inde non debet imminui.

Boeckn. *ad h. t. num. 7. ſeqq.* Interim apud omnes certum eſt, quod eccleſia, ſi praelatus ius aliquod ei delatum repudiauerit, agere poſſit vel contra ipſum praelatum *can. 2. cauſ. XII. q. IV.* vel etiam petere reſtitutionem in integrum. *l. 7. §. 6. ff. de minor. cap. 1. de in integr. reſtit.* Delbene *de immunit. eccleſ. cap. 17.*

§. CCCVII.

[redacted]

§. CCCVII.

Et alienatio I.) ex cauſa pietatis, neceſſitatis vel vtilitatis conceſſa.

Verum tametſi multis canonibus, et principum legibus vetita iam pridem fuerit rerum eccleſiaſticarum alienatio, nequaquam tamen mens illorum fuit earum alienationem impedire, quando vel cauſa *pietatis*, aut eccleſiae *neceſſitas*, aut *vtilitas* eam poſtularet. Vnde in celebratiſſimo illo decreto *can. 52. cauſ. XII. q. II.* haec clauſula additur: *niſi forte aliquid horum faciat, vt* MELIORA. *proſpiciat.* Et IVSTIN. IMPER. prohibens SS. vaſorum qualemcumque alienationem addit: *excepta cauſa captiuitatis - - quoniam non abſurdum eſt, animas hominum, quibuscunque vaſis, vel inſtrumentis praeferri l. 21. cod. de SS eccleſ.* Igitur et *SS. canonum, et* LEGALIA *ſtatuta permittunt miniſteria eccleſiae pro captiuorum redemtione eſſe vendenda*, vt loquitur S. GREGOR. *lib. VI. epiſt. 35. ap. Grat. can. 14. 15. cauſ. XII. q. II. atque in his tribus generibus* (ſcilicet redemtione captiuorum, alimonia pauperum, et ſepultura Chriſtianorum) *vaſa eccleſiae etiam initiata confringere, conflare, vendere licet, cum melius ſit ſeruare vaſa viuentium, quam metallorum* S. AMBROS. *lib. II. de off. cap. 28. ap. Grat. can. 70. loc. cit.*

Add. *can. 2. cauſ. X. q. II. Nouell. 120. cap. 10. cap. 1. h. t. in 6. clem. 1. h. t.*

[redacted]

§. CCCVIII.

Vtilitas debet eſſe vera.

Operae pretium erit, erroneos multorum conceptus hic corrigere, et quis finis ſit reſpiciendus, ſi de cauſa alienationis legitima quaeſtio ſit, explicare. Sunt enim, qui cum audiunt, res eccleſiaſticas nonniſi in bonum eccleſiae eſſe alienandas, multiplicem *eccleſiae* ſignificationem confundentes ex clericorum, et templorum ſplendore, abundantia, et diuitiis illius ſalutem metiuntur. *O vanitas vanitatum, ſed non vanior, quam inſanior! Fulget eccleſia in parietibus, et in pauperibus eget: ſuos lapides induit auro, et ſuos filios nudos deſerit* S. BERNARD. *apolog. cap. XI. ad* GVILEL. *Abb. Non quidem prohibeo magnifica templa condere, ſed dignum puto ante omnia miſericordiae, et pietati eſſe incumbendum.* S. CHRYSOST. *homil.* 51. *in* MATTH. *aurum enim eccleſia habet, non vt ſeruet,* VT LVXVI ET VANITATI IMPENDAT, *ſed vt eroget, et ſubueniat in neceſſitatibus, cum melius ſit vaſa viuentium ſeruare, quam metallorum* S. AMBROS. *in cit. can.* 70.

Lectu digna eſt epiſtola *S.* HIERON. *ad Nepot.* quae *extat ap. Grat, can.* 71. *cauſ. XII. q. II.*

§ CCCIX.

.) Solennitates plures ad alienationem rerum eccleſiae requiruntur.

Praeter iuſtam cauſam aliae adhuc requi- ntur ſolennitates in eum praecipue finem, : de iuſtitia cauſae certo conſtet, quae conſi- nt in *tractu ſolenni, et diligenti cauſae co- itione. cap.* 1. *h. t. in VI.* Et quidem ſi ſer- o fit I.) de *eccleſia non exemta*, ſub aucto- tate epiſcopi disquiſitio inſtituitur, facta ta- en diſtinctione, an 1.) eccleſia capitulum beat et a) agatur de alienandis bonis capi- li ſeiunctis à bonis menſae epiſcopalis, tunc im requiritur conſenſus capituli *pro intereſ-* Si autem b) tractetur de bonis menſae iſcopali incorporatis, vel de rebus eccleſiae llegiatae, aut cathedralis, idem conſenſus, tractatus exigitur ad *ſolennitatem can.* 52. *uſ. XII. q. II.* Quodſi ſermo ſit de eccle- regulari, quae ſubſit ſuperiori cuidam to- is ordinis, huius quoque auctoritas ſecun- um cuiuslibet ordinis ſtatuta erit neceſſaria *em.* 1. *h. t.* Si vero 2.) agatur de bonis ec- eſiae *non habentis capitulum, aut conuentum* ita parochialis ſufficit licentia, et conſenſus ſius epiſcopi, etiam ſine conſenſu capituli, conſequenter etiam epiſcopi duntaxat, et n capituli tractatus, ſiue examen ſuper cau- alienationis praecedere debet. Si II.) *eccle- ſit exemta*, atque pontifici immediate ſub- ta, conſenſus pontificis ſpecialis, et expreſ- requiritur.

ſunt, qui alienationem ab Abbatiſſa *ſciente, et non contradicente conuentu* factam, vt loquitur *cap. 2. de his, quae fiunt a prael.* adeoque conſenſu tacito probatam validam eſſe cenſent; ſed minus recte, non enim in *cit. cap. 2.* de alienatione, ſed de praeſentatione ad beneficium, quod nomine *decimae*, ibidem intelligitur, agi acute obſeruat GONZALEZ *in com. ad d. c.* quia per epiſcopum inſtitutio fieri debuit, quae ſuſtinetur, ſi praeſentatio praeceſſerit conuentu ſciente, et non contradicente.

§. CCCX.

Vi conſtitutionis Pauli II. conſenſus pontificis.

Nouiſſime conſtituit PAVLVS II. in *cap. vn. extrauag. com. h. t.*, vt *inconſulto romano pontifice* rerum eccleſiaſticarum alienatio nulla procederet. Quae conſtitutio, an vſu ſit probata et recepta quaeritur. Equidem ſub generali receptione corporis iuris canon ſuo complexu hanc quoque conſtitutionem paulinam comprehendi, et conſuetudinem contrariam, ſi alicubi in Germania vigeat probandam primum eſſe exiſtimo. Quid quod epiſcopi et praelati germaniae, qui a romana ſede confirmantur, tactis euangeliis in verba huius conſtitutionis iurent. *Pontif. rom. tit. de conſecrat. epiſc. et benedict. abbat. Poſſeſſu nes ad menſam meam, vel monaſterium me pertinentes non vendam, neque donabo, ne impignorabo, nec de nouo infeudabo, vel quo modo alienabo etiam cum conſenſu ca li eccleſiae meae, vel conuentus monaſter* et *ſi ad ali conſulto romano pontifice*,

[redacted]

ienationem deuenero, poenas, in quadam ſuper ic edita conſtitutione (nempe cit. extrauag.) *ntentas ipſo iure incurrere volo.*

Wagnereck *in ſua exegeſi ad h. extrauag.* iuramento huic, ne conſuetudini, ſi alicubi vigeat, aduerſetur ineſſe iudicat tacitam conditionem de obſeruanda illa *extrauag. quatenus vſu eſt, recepta.* Quam explicationem vtut duram, non tamen omnino in praxi reiiciendam arbitratur P. Wiestner *ad h. t. num.* 119. Quid ego ſentiam, paucis, inhaerendo meis principiis, edico: conſtitutionem paulinam corpori iuris canon. h. t. inſertam, quae incipit *ambitioſae* vi legis canonicae, et iuramentum ab epiſcopis et abbatibus noſtris praeſtitum eos virtute religionis obligare, et obſtringere mihi dubium nullum eſt, quod tamen aliter, quam ſaluis principiis iuris publici vniuerſalis, et particularis feudalisque Germaniae noſtrae intelligi nec poteſt, nec debet; conſtat autem potiſſima eccleſiae Germaniae bona eſſe feuda imperii, imperatoris ergo eſt praeſcribere normam et formam in alienationibus horum bonorum obſeruandam.

§. CCCXI.

Praeprimis vero principis eſt neceſſarius.

Porro nihil magis certum eſt, quam *auctoritatem* principis hic quoque *neceſſariam* ſe, cuius tanta eſt vis, vt neglecto etiam onſenſu cleri bona eccleſiaſtica ad vſus iuiles reipublicae trahere, et neceſſitatibus ublicis (modo legitima fiat in colliſione leum exceptio) impendere poſſit. Non ergo, t vulgo tradunt, quibusdam in locis vel

vi conſuetudinis, vel priuilegii pontificii, vel fundationis id demum obtinet; ſed *vi officii*, quo princeps tanquam eccleſiae *defenſor* fungitur, et iure *ſupereminentis dominii* in bona omnia in territorio ſita. Quod autem plures ſolennitates a iure ciuili praeſcriptae *Nouell. VII. et auth. hoc ius porrectum cod. de SS. eccleſiis* et a Gratiano inſertae *can. 2. cauſ. X. q. II.* hodie non obſeruentur, eius non haec eſt ratio, quod leges illae per SS. canones non ſint adprobatae (quid enim adprobatione hic opus?) ſed id vi receptionis iuris canonici factum eſt.

Ex hoc principio aeſtimare poteris, an poſſeſſor catholicus obligatus ſit ad bona pace weſtphalica ſeculariſata priſtinis vſibus eccleſiae reſtituenda? Quanta olim fuerit regum auctoritas in hoc negotio docebunt te capitularia regum franc. apud Steph. Balvz. *in not. ad capitul. pag.* 1205. verb. *vbicunque commutationes.* Principes quoque noſtri Ferd. I. et Maxim. II. ediderunt conſtitutiones de reb. eccleſ. non alienandis, quae extant *in noſtro corp. iuris eccleſ. auſtr.* voc. Alienirung geiſtlicher Güter *pag. 25. ſeqq.*

§. CCCXII.

Si de ſolennitatibus rite adhibitis ſatis conſtet, oritur praeſumtio, alienationem eſſe validam.

Tandem nihil eorum omnium neglectum fuiſſe, quae hactenus requiſita fuerunt, publico inſtrumento, ſi lis oriatur, doceri debet, quod *ſingulorum*, qui ſubſcribant, nominibus firme-

[redacted]

rmetur. Aduerte ſis verbum hoc *ſingulorum* ominibus firmetur, non enim qualiscunque, imultuaria quaedam ſcilicet, et *collectiua* ominum expreſſio obtinet, ſed explicatior il-, quam diximus, neceſſaria eſt. *can.* 52. *uſ. XII. q. II. cap.* 8. *de his, quae fiunt a rael.* Et licet poſtea tractu temporis dubium riri poſſit, iuſtane, cum alienatum fuerat, auſá ſubfuerit, vrgens tamen *praeſumtio*, iodo de *ſolennitatibus externis* non ambigaar, pro ea militat. Quippe cum iſtarum fiis ſit, vt de cauſae iuſtitia certiores nos redint, neque propter ſemetipſas, ſed aliud uiddam exigantur; in rebus dubiis merito olennitates iſtas, quamuis per ſeſe praeſumi on debeant, demonſtrata tamen rei eccleſiaicae antiquiſſima poſſeſſione adfuiſſe etiam icemus, cum vetuſtas litium minuendarum auſa ſemper pro lege habeatur, et poſſeſſois tueatur, etſi ius non probaretur, *l.* 2. *pr. fin. ff. de aq. et aq. pluu. arcend.*

uod dicunt, praeſumtionem hanc magis iuri ciuili, quam canonico conformem eſſe, valde ieiunum eſt, cum ius canonicum rectam rationem, ex qua praeſumtiones fluunt, eiurare nec poſſit, nec velit. Interim merito ſuſpecta habetur alienatio, et merito etiam poſt lapſum notabilis temporis inquiritur, num in vtilitatem eccleſiae facta ſit, ſi in familiares, aut cognatos ipſius praelati bona eccleſiaſtica translata, vel cum illis contractus initus fuerit. *Nouell.* 120. *cap.* 6. *et auth. quibuscunque cod. de SS. eccleſ.* Espen *loc. cit.* §. 44. *ſeqq.* Boeckn *ad h. t. num.* 29. *ſeqq.* Boehmer *ad h. t.* §. 33. 34.

§. CCCXIII.

Quae tamen in omni alienatione non exiguntur.

Et quamuis rectae rationi repugnet, ſine iuſta cauſa bona eccleſiaſtica ab eorum adminiſtratoribus diſſipari, adeoque in omni caſu talis alienatio prohibita ſit; nequaquam tamen in omnium rerum alienatione, ſed tum primum, ſi de *immobilibus magni momenti*, et *incorporalibus*, quae iure immobilium cenſentur, vt et *mobilibus pretioſis*, quae adſeruari poſſunt, agatur, praedictas ſolennitates externas, aut ſaltim *ratihabitionem*, quae eas ſuppleat. *cap.* 10 *de R. I. in* 6. iura exigunt, quin tamen diſtinctionem faciant, an alienatio in *aliam eccleſiam* facta ſit. *can.* 41. 51. *cauſ. XII q. II. cap.* 2. *h. t. in* 6. *clem.* 1. *h. t.* Hinc res eccleſiaſticae *mobiles, non pretioſae*, praeſertim ſi *ſeruando non* ſint *ſeruabiles*, et *immobiles exigui valoris*, multo magis *inutiles*, vel etiam *noxiae absque vllis ſolennitatibus* libere alienantur. *can.* 20. 53. *cauſ. XII q. II.* cauendum tamen eſt, ne ad eludendas leges res tales nimia facilitate aeſtimentur. Fieri quoque poteſt, vt, quod minus pretioſum videtur, alibi pretioſum valde adpareat.

WIESTNER *ad h. t. art. II. et III.* BOECKN *ad h. t. num.* 26. De eo non leuiter controuertitur, an, ſi pecunia fuerit ad rem immobilem comparandam deſtinata, iure quoque rei immobilis aeſtimetur, et conſequenter ſine ſolennitate a praelato alienari

[redacted]

mari nequeat? Rebus immobilibus eam adcenſeo. Vid. P. Wiestner *loc. cit. art.* 1. *num* 33. *ſeqq.* diſſentit P. Boeckn *ad h. t. num.* 22. *ſeqq.*

§. CCCXIV.

Regulariter autem eorum neglectus alienationem pro vtroque foro reddit nullam.

Quod ſi alienatio inſuper habita canonum diſpoſitione fuerit facta, *an ipſo iure pro vtroque foro* cenſeatur eſſe ita *nulla*, et *irrita*, vt omni penitus effectu careat? De quo nos ambigere non ſinunt canones luculenti, qui, praeterquam, quod tales alienationes in praeiudicium eccleſiae poenis etiam grauiſſimis contra transgreſſores ſtatutis fieri prohibeant, *eas non valere, non tenere, nullius omnino roboris, et momenti eſſe, et adeo viribus carere* voluerunt, *vt nec ius aliquod recipiendi tribuant, nec praeſcribendi etiam cauſam parent.*

Hiſce formulis loquendi energicis nullitatem alienationis exprimentibus vtuntur *cap.* 12. *h. t. cap.* 2. *h. t. in* 6. *clem.* 1. *h. t. Extrauag. vn. h. t. int. comm.*

§. CCCXV.

Adeo, vt ſine his ſola iuſta cauſa ad iſtius valorem non ſufficiat.

Verum dices, adfuit iuſtiſſima alienandi cauſa: adfuerit, ſicut enim haec ſupplere non poteſt ſolennitates, ita nec hae ſolae cauſam

 alie-

alienandi iuſtam reddere valent. Vtrumque canones *coniunctim* requirunt, vt ex contractu alienationis bilateralis oriatur obligatio, quae tamdiu claudicat *arg. pr. inſtit. de auct. tut.* quamdiu ſolennis eccleſiae *ratihabitio* ſubſequuta non fuit *cap.* 2. *de pact. et cap.* 10. *de reg. iur. in* 6.

WIESTNER *h. t. num.* 88. *et* 89.

§ CCCXVI.

Niſi hos defectus ſuppleat legitima praeſcriptio.

Quamquam in *cap.* 1. *h. t. in* 6. omnis rei illegitime alienatae praeſcriptio excludi videatur, hunc tamen textum ad eius malae fidei poſſeſſorem reſtringendum eſſe, iura ſuadent. Cum enim rerum eccleſiaſticarum praeſcriptio iure canonico ſit adoptata *cap.* 4. 6. 8. *de praeſcript. et cap.* 1. *eod. in* 6. dubitare non licet, quin *rei eccleſiaſticae perperam alienatae tertius bonae fidei poſſeſſor praeſcriptionis titulo*, ſi reliqua adſint requiſita, eam *adquirere* poſſit. Eſt quidem praeſcriptio ſpecies alienationis, ſed neceſſariae.

BOECKN *ad h. t. num.* 35. *ſeqq.* iure autem noſtro auſtriaco bona eccleſiaſtica non rite alienata ſine mora eccleſiae cum fructibus reſtitui debent non *obſtante quacumque praeſcriptione*: huius tamen clauſulae rigorem temperauit, et ad centenariam, aut immemorialem reſtrinxit imp. Leopoldus tenore conſtitutionis anno 1704. editae, quae exſtat in CORP. NOST. IVR. ECCL. AVST. voc. *praeſcriptio.*

§. CCCXVII.

[redacted]

§. CCCXVII.

Ecclesiae varia competunt remedia contra alienationem illegitime factam.

Quod ſi alienatio illegitime facta ſit, qua-
tor ſunt media, quibus eccleſia ſe tueri
oſſit. 1.) Actio *perſonalis* contra male alie-
nantem, eiusque haeredes ad damni illati
x ſuo patrimonio, ſi quod habet, repara-
onem *can.* 18. *cauſ.* *XII.* *q.* *II.* *cap.* 3. *de*
ignor. 2) contra quemcunque poſſeſſorem.
a) *rei vindicatio*, aut *b*) *publiciana*. Et
uia eccleſia poſſeſſionem ciuilem retinere di-
itur. 3) remedium ex *can. redintegranda* 3.
uſ. *III.* *q.* *I.* ex officio iudicis, vel condic-
one legis ad bona male alienata, reſtituto
retio, recuperanda. Sique euidens ſit nulli-
s, competit etiam remedium. 4.) poſſeſſori-
n recuperandae *vnde vi.* Reſtituenda eſt
s, deductis expenſis neceſſariis cum omni
die contractus cauſa, acceſſione, fructibus-
ue ſecundum qualitatem poſſeſſionis *cap.* 4. *et*
h. t. Agere vero poteſt ipſe alienans, ſi
on ſuo, ſed nomine eccleſiae agat, eoque
ficiente eius ſucceſſor, patronus, capitu-
m, et quam maxime princeps, qui iura ec-
eſiae tueri debet.

Riestner *loc. cit. art. VII.*

§. CCCXVIII.

§. CCCXVIII.

Variaeque poenae in male alienantes ſunt ſtatutae.

Vt vero eo certior earum, quas hactenus recenſuimus, legum eſſet cuſtodia, ſat graues in eos, qui improbe alienarunt, a canonibus ſtatutae ſunt poenae. Imprimis vero, ſi *epiſcopus* ſit, qui male alienauit, ei ingreſſus eccleſiae interdictus eſt: quod ſi *ſex menſium curriculo* non reſipuerit, *interdictione* etiam *maiore* punitur, quae *ſuſpenſio* dici ſolet, adminiſtrandae non minus, quam gubernandae eccleſiae. Si *clericus* ſit inferioris ordinis *fidelium communione ipſo facto* priuatur, vnaque beneficio, cuius bona alienauerat. Duplici proinde virga multantur ii, qui *mala fide* receperunt, praeter excommunicationem enim pretii etiam expenſi iacturam faciunt, quod eccleſia ſibi vindicat *l.* 14. §. 1. *cod. de SS. eccleſ. cap.* 5. *h. t.* Adtamen ſi bona fide actum ſit, pretium hoc, ſi eo eccleſia facta ſit ditior, non periit, ſed repeti poteſt.

EXTRAVAG. *vn. h. t. int. comm.*

[redacted]

TITVLVS XV.

DE COMMODATO.

TITVLVS XVI.

DE DEPOSITO.

§. CCCXIX.

ae et communitates ſicut alia corpora alia in republica exiſtentia paciſcendo contrahendo ſe aliis obligare poſſunt.

ılas *eccleſias aliaque loca* et *ſodalitia ecſiaſtica* auctoritate publica conſtituta ı morale, ſeu perſonas compoſitas vel s eſſe, atque inſtar ciuitatis cuiusdam ipalis conſiderari poſſe, apud omnes in o eſt. Hinc dubitari nequit; quin *pa-lo*, et *contrahendo* ſe *aliis obligare*, *ue ſibi obligatos habere*, adquirere et re poſſint. De alienatione diximus ge-m. Reſtat, vt de diuerſis alienationum bus, *de modis adquirendi, obligandique* us.

§. CCCXX.

[redacted]

§. CCCXX.

Praemittuntur quaedam regulae circa contractus ab eccleſia celebrandos obſeruandae.

Qua quidem in re praecipue notandum eſt 1.) vt ne *cauſam ſingulorum clericorum*, cum *cauſa* ipſam *eccleſiam* ceu perſonam moralem *concernente* confundamus. Dein id quoque 2.) tenendum, *eccleſiam* aliter *obligari* non poſſe, niſi cum illorum, qui eccleſiam repraeſentant, *conſenſu* vel *expreſſo*, vel *praeſumto*, qui inde elicitur, quod multo minus eccleſia ditior cum aliorum damno ſine ratione fieri velle praeſumatur, cum adminiſtratores ſoli eccleſiam obligare non poſſint, niſi probetur verſio in rem.

§. CCCXXI.

Omnium primo prae oculis haberi debent priuilegia ei competentia.

Ea, quae magno quidem cumulo, ſed ſine ſufficiente ratione a doctoribus hic adferri ſolent iura ſingularia, monſtroſa ſaepe, et ſanae interpretationi aduerſa, ſic coercenda eſſe cenſeo. Habent *eccleſiae*, et pia corpora ſicut aliae vniuerſitates ſua *iura*, et *priuilegia*, quae cum optima, et plura ſunt, eccleſiae omnibus reliquis *fauorabiliores* recte quidem dici poſſunt.

§. CCCXXII.

[redacted]

§. CCCXXII.

Quae tamen nimium extendi non debent.

Aſt cum iura ſingularia ſua natura excep-ones ſint a regula, huic autem tamdiu inſi-endum, donec exceptio in iure probata fue-it, quae ex ſolo rei fauore colligi minime po-ſſit: praeterea *iura ſingularia ſtrictae inter-retationis* ſint, quae nequidem ex maiori-ate rationis interpretationem extenſiuam ad-nittant, ſatis opinor, adparet, quam 3.) *ab-bna* non raro ſint, quae a *priuilegiis fiſci, uſtitiae, libertatis, dotis, alimentorum ad pias auſas*, et ad loca corporaque eccleſiaſtica a ragmaticis ducuntur *argumenta*. Aliud vti-ue foret, ſi per leges haec ſpeciatim illis ommunicata eſſent.

§. CCCXXIII.

Idem.

Ergo cum ea *clericorum* ipſarumque eccle-iarum hac in re conditio ſit, vt aeque ac *lai-os* in *negotiis profanis legibus ciuilibus* eos *eneri* omnino dicendum ſit, niſi benignitas rincipvm, aut ſponte recepta, et hacte-us obſeruata iuris canonici auctoritas excep-ionem clariſſime doceant, quaſi per lancem aturam ea ſolum. quae notatu digniora oc-urrunt, et ad ius eccleſiaſticum pertinent, t in quibus hoc a ciuili deflectit, adnotabi-ius.

De

De pactis et contractibus generatim hic recolligenda ſunt, quae dixi ſupr. *lib. I. tit. de pact.* add. ex Inst. *lib. III. tit.* 14. ex Digest. *lib. XLIV. tit.* 7. *et lib. II. tit.* 14.

§. CCCXXIV.

De mutuo.

A mutuo faciamus initium, cuius compilator decretalium nullam mentionem facit. Eſt autem *mutuum contractus nominatus re initus, quo res fungibiles ita dantur, vt fiant accipientis, et tantundem quandoque in eodem genere reddatur.* Hinc mutuum conſiſtit in rebus, quarum vſus cum abuſu coniunctus eſt. Intuitu mutuantis alienationem: mutuatarii vero obligationem non quidem ad idem, ſed ad tantundem, reddendum inuoluit.

Add. ex Inst. *lib. III. tit.* 15. ex dig. *lib. XII. tit.* 1.

§. CCCXXV.

Iura et obligationes eccleſiae.

1.) Eccleſiae mutuum danti nulla iure communi tributa eſt *hypotheca tacita*, aut *prioritas*, ſed omnis praerogatiua ex legibus particularibus locorum haurienda. Alias vſu fori locum praecipuum prae chirographariis in quarta claſſe obtinet. 2.) Licet ius canonicum *vſuras proſcribat*, hodie tamen, maxime in Germania poſtquam vſurae per leges impe-

[redacted]

imperii iuris legitimi effectum acceperunt, *faenori exponere* poteſt eccleſia pecunias. 3.) Cui ergo vſurae debentur etiam ex mora, quae ſine interpellatione ipſo iure contrahitur, non vero vltra alterum tantum.

Vid. Recess. Imp. Novis. *de an.* 1654. §. 174. Anreichende die künftige Zinſe und Intereſſe &c. *in corp.* nost. *I. P. et E. G. pap.* 662.

§. CCCXXVI.

Eiusque adminiſtratorum mutuum dantium.

Quod ſi 1.) adminiſtratores ſoli pecuniam dederint, eorum *periculo* erogata eſt, et ſi 2.) negligentes in exigendis nominibus fuerint, et *debitores* interim non ſoluendo facti, *eo nomine* tenentur. 3.) *Debitores* adminiſtratoribus *ſecure* non ſoluunt, niſi ad mandatum iudicis eccleſiaſtici. 4.) Lubrica admodum eſt opinio: quae eccleſiis *ius tacitae hypothecae* in bonis adminiſtratorum tribuit.

§. CCCXXVII.

Et accipientium.

Mutuum eccleſiae, et alia pia corpora accipere poſſunt. Et quidem 1.) ſi cum *conſenſu* eorum, qui eccleſiam et corpus repraeſentant, et quorum auctoritas in contractibus intercedere debet, acceptum ſit, dubium non eſt, quin *obligatio* oriatur, verſionisque probatio neceſſaria non ſit. *can.* 2.

§. CCCXXVIII.

Quo etiam pertinent exceptiones.

Quodſi vero eccleſia 2.) *non* acceperit *ſolenniter*, vel per eos, qui eccleſiam repraeſentant, tunc creditor probare tenetur pecuniam in rem eccleſiae et corporis pii verſam fuiſſe. *l.* 17. *D. de reb. cred.* 3.) Competit quoque eccleſiae *exceptio non numeratae pecuniae*, et *ſi intra biennium*, ad quam reſtricta eſt, ea non ſit vſa, *intra quadriennium* reſtitutionem in integrum petere poteſt. Quod enim exceptio dotis non numeratae per decennium detur *auth. ſin. cod. de dot. caut.* id ad eccleſiam extendi non debet.

NOVELL. 120. *cap.* 6. §. 3. *Auth. Hos ius porrectum etc. cod. de SS. eccleſ. cap.* 4. *de fideiuſſ. cap.* 1. *de depoſit. add. ex Inſt. lib. III. tit.* 22. ſic religioſus accipiens mutuum ſine conſenſu abbatis et capituli, non obligat monaſterium, niſi probetur fuiſſe conuerſum in vtilitatem conuentus. *cap.* 4. *de fidei.* id quod de ciuitate cautum eſt. *l.* 27. *de reb. cred.* quod de religioſo dictum, intelligitur etiam de *abbate* atque *epiſcopo* absque conſenſu capituli, ac de *beneficiato* aut *rectore eccleſiae* absque conſenſu ſuperioris mutuum ſumente, qui ſolum tenentur ſe fructibus, quos percipiendi et inſumendi liberam habent facultatem.

§. CCCXXIX.

Verſio autem a creditore debet fieri per indirectum.

Verſionis probatio a creditore ſuſcipienda ad duo porrigenda eſt. 1.) pecuniam numeratam

[redacted]

tam eſſe *monaſterio* vel *eccleſiae*. 2.) in eam *rem a collegio verſam* fuiſſe, cuius rei gratia mutuum acceptum. Inde fit, vt creditori per *indirectum* probatio numerationis numorum incumbat, quia absque ea non poteſt verſionem docere. Sed hic non requiritur plena, et euidens probatio, ſufficit prudens praeſumtio, et coniectura.

Wiestner §. 41. *de ſolut.*

§. CCCXXX.

Et beneficia eccleſiae obaeratae conceſſa.

Piis ſodalitiis aere alieno oppreſſis ſuccurritur 1.) *remiſſione vſurarum* vel in totum vel pro parte, ne in futurum currant. 2.) *Datione in ſolutum*, quod beneficium aliis debitoribus quoque non denegandum, vt tamen creditori electio in debito eccleſiaſtico non tribuatur, in quo ab aliis debitoribus diſtat.

Avth. *hoc ius porrectum eit. Nouell.* 4. *cap.* 3. *Nouell.* 120. *cap.* 6. §. 2. *in fin.* add. Boehmer *ad tit. de depoſit.*

§. CCCXXXI.

Commodatum.

Commodatum eſt contractus re initus, quo res non fungibilis alicui gratis ad certum vſum ita traditur, vt finito vſu eadem in ſpecie inſtituatur. Igitur hic contractus conſiſtit in re-

 bus,

bus, quibus vti poſſimus, quin abutamur adeoque nulla ſit dominii translatio, et commodatarius ad idem reſtituendum tenetur.

Add ex Inst. *lib. III. tit.* 13. ex Digest. *lib. XIII. tit.*

§. CCCXXXII.

Dare et accipere poteſt eccleſia.

1.) Poteſt eccleſia res ſuas alii *commodare*, quia dominium in commodatarium non tranſit. 2.) Hic contractus tamen locum non habet *in pallio*. 3.) Bene vero in aliis rebus ſacris, ad vſum ſacrum, et non profanum et nihil temporale per modum pretii interueniat, modo fiat *auctoritate dioeceſani*. 4.) Quo minus epiſcopus vel alius ſuperior clericum alii eccleſiae ad *certum tempus* commodare poſſet, nihil obſtat, qui dein reuocari nequit, niſi poſt vſum expletum.

Cap. 2. *de auct. et vſ. pall. cap. vn. h. t.* ſi praelatus eccleſiae commodato ab alia eccleſia acceperit res ſacras vel vaſa ad cultum diuinum, vel etiam a laico tapetes aut alia ad ornatum eccleſia inde non obligatur, ſi res iſtae forte culpa deteriorentur vel pereunt, niſi commodato petitae fuerint ex voluntate illorum, qui ad contractus eccleſiae auctoritatem ſuam praeſtare debent.

§. CCCXXXIII.

[redacted]

§. CCCXXXIII.

De depoſito.

Depoſitum eſt *contractus re initus, quo quis alteri rem* (mobilem an immobilem etiam) *ita gratis apud ſe cuſtodiendam deponi patitur, vt quandocunque deponenti placuerit, eadem ſpecies reſtituatur.* Ergo hic nec dominium, nec vſus, nec poſſeſſio, ſed ſola cuſtodia gratis praeſtanda transfertur, et depoſitarius obligatur ad rem in ſpecie vna cum fructibus, et acceſſionibus abſciſſe reddendam.

Add. ex Instit. *lib. III. tit.* 15. ex digest. *lib. XVI. tit.* 3.

§. CCCXXXIV.

Idem dicendum eſt.

1.) Si depoſitum praelato praeſente capitulo factum, inde *ipſa* tenetur *eccleſia.* 2.) Si ſolus praelatus illud ſuſcepit, et res depoſita periit, et aeſtimatio praeſtanda veniat, ex *mobilibus ipſe*, ex *immobilibus* non *ſine conſenſu capituli* ſoluere poteſt. 3.) *Succeſſor*, ſi cum conſenſu capituli ſuſceptum depoſitum, indubie *tenetur*, ſecus ſi ſine eo, niſi creditor verſionem probet. 4.) *Clericus*, cui depoſitum factum, ſi leges contractus violauerit, omni rigore, etiam per *vincula adigendus* eſt, vt depoſitum reddat; imo reditus illius ideo capiendi, relicta ſaltem parte pro alimonia.

Cap. 1. 2. *h. t.* in depoſito irregulari ea fere, quae de mutuo dicta ſunt, adplicari debent.

TITVLVS XIV.
DE
PRECARIIS.

TITVLVS XVII.
DE
EMTIONE VENDITIONE.

TITVLVS XVIII.
DE
LOCATIONE CONDVCTIONE.

TITVLVS XX.
DE
FEVDIS.

§. CCCXXXV.

Emtionis venditionis contractus.

Emtio venditio eſt *contractus conſenſualis de re pro certo pretio tradenda.* Hinc ad ſubſtantiam huius contractus pertinent. 1) con-

[redacted]

nſenſus 2.) *res* vel *merx*, de qua' conſenti-
ır. 3.) *pretium*, in quod vterque conſentit.

id INSTIT. *lil. III. tit.* 23. 24. DIGEST. *lib. XVIII.* per tot. *lib. XIX. tit.* 1.

§. CCCXXXVI.

Ab eccleſia celebrati ſingularia iura.

1.) Eſt emtio venditio duplex: *oeconomi-*
:, et *negotiatoria*. Illa eccleſiis, et clericis
rmiſſa, non aeque haec *cap.* 6. *ne cler. vel*
m. ſecul. negot. 2.) Emi vendi poſſunt *res*
ınes, quae ſunt in commercio, etiam *alie-*
e non obſtante *cap. vlt. de teſtam.* 3.) Ec-
ſiae ſibi emere poſſunt *res quascunque*, niſi
mobilium adquiſitio lege amortizationis pro-
ita ſit. 4.) Vt ad *euictionem* praeſtandam
ntra venditorem agere poſſit, ſicut alii de-
nciare litem ei debet. *cap. vlt. h. t.*

NZALEZ *ad cap. vlt. h. t. num.* 14.

§. CCCXXXVII.

Recenſentur.

5.) Res ex pecunia eccleſiae ab adminiſtra-
re proprio nomine emtae non ſuccedunt in *lo-*
m pretii, quia priuilegium militibus *L.* 8. *cod.*
R. V. pupillis L. 2. *quand. ex facul. tut.* con-
ſſum nulla ratione extendi debet, et *can.* 1. *XII.*
III. can. 4. *XII. q. V.* huc non pertinet, id enim
icunt, res ex reditibus eccleſiae comparatas

ab inteſtato deuolui ad eccleſiam. 6.) Re eccleſiaſtica illicite vendita poſſeſſor ad *reſtitutionem* tenetur, nec pretium repetere poteſt, niſi in bona fide fuerit, et probauerit pretium in vtilitatem eccleſiae verſum fuiſſe. 7.) Eccleſiae in pretio laeſae in *integrum reſtituuntur* intra quadriennium ob laeſionem etiam *non enormem*, ſed elapſo quadriennio ſaltem ob eam, quae vltra dimidium eſſe probatur. Quo caſu libellus alternatiuus, et ſententia alternatiua ſecundum ius ciuile et canonicum ferenda eſt.

Cap. 3. *et* 6. *h. t.*

§. CCCXXXVIII.

Emtioni venditioni proxima eſt locatio conductio.

Locatio et conductio proxima eſt emtioni, et venditioni, iisdemque iuris regulis conſiſtit. *pr. inſtit. de loc. cond.* Eſt autem *contractus conſenſualis de vſu rei ad certum tempus, vel operis pro certa mercede praeſtandis.* Adeoque tria ad ad eius quoque ſubſtantiam pertinent. 1.) *conſenſus.* 2.) *rei vſus vel operae.* 3.) *merces.*

Vid. Inst. *lib. III. tit.* 25. Dig. *lib. XIX. tit.* 1.

§. CCCXXXIX.

§. CCCXXXIX.

Iura eius ſpecialia.

1.) Locatio conductio in iure canonico ſaepius vocatur *datio ad firmam cap. 2. h. t. cap. 24. de decim. cap. 7. de iur. patron. cap. 6. ne cler. vel mon. clem. vn. de exceſſ. praelat.* 2.) Laici eccleſias ſeu obuentiones eccleſiaſticas puta oblationes, aliaque *conducere* non poſſunt. *cap. 6. ne cler. vel mon.* Illicitum quoque eſt 3.) rem *conſecratam* v. g. calicem *locare* pro pretio, cenſeretur enim venditus vſus rei, qui eſt ſacer, et ſpiritualis. 4.) Clerici prohibentur *conducere ex caſu quaeſtus cap. 1. 4. ne cler. vel mon.*

§. CCCXL.

Idem.

5.) Prohibentur praelati, et rectores eccleſiarum res immobiles *locare* vltra *triennium* absque ſolennitatibus iuris *extrauag. ambitioſae int. comm. de reb. eccleſ. alien.* 6.) Si praedium eccleſiae ſine ſolennitatibus locetur *ad longius tempus*, ſuſtinetur contractus in Germania ſaltem ad nouennium. 7.) Locatio nomine eccleſiae rite facta tenet etiam poſt mortem *rectoris locantis.* Secus, ſi rector eccleſiae locet nomine ſuo praedia ad ſuam menſam deſtinata.

In Germania eſt conſuetudo locandi ad nouennium, quia in multis locis non niſi ſingulis trienniis per-

cipiuntur pleni fructus praediorum. Notabile etiam eſt ſingulare priuilegium ſtudioſis datum, vt vulgo contendunt *per cap.* 1. *h. t.* WERNHER *ad h. t. art.* 1.

§. CCCXLI.

De emphytheuſi.

Locationi adfinis, ſed a contractu cenſitico ſedulo diſtiguenda eſt *Emphyteuſis*, quae eſt *contractus conſenſualis de dominio vtili praedii, alteri in perpetuum, vel ad tempus non modicum pro certo annuo canone in agnitionem dominii praeſtito, concedendo.*

LEYSER *in ſpecimin. C. II. med.* 1. *ad Pandectas vol. II. pag.* 382. recte monet in dubio potius cenſiticum originis germaniae, quam emphiteuticum iuris romani contractum eſſe praeſumendnm. Vid. INST. *lib. III. tit.* 25. DIG. *lib. XIX. tit.* 2. *lib. VI. tit.* 3. HEINECC. *elem. iur. Germ. lib. II.* §. 34. *ſeqq.*

§. CCCXLII.

Itidem ſpecialia.

1.) Emphyteuſis eſt vel *eccleſiaſtica*, vel *laicalis*. Illa, quando conceditur res ad eccleſiam pertinens, 2.) eaque neceſſario *ſcripturam* deſiderat. *Nouell. VII. pr. Nouell. CXX. cap.* 5. 3.) Praelati eccleſiaſtici non poſſunt res eccleſiaſticas in emphyteuſim dare *ſine ſolennitatibus* ad alienationem requiſitis, niſi in

[redacted]

in emphyteuſim ab antiquo concedi ſolitas. *Extrauag. ambitioſae etc. cit.*

Mevivs *P. III. elec.* 289.

§. CCCXLIII.

Locum habent.

4.) Si emphyteuta ingrediatur religionem, *ſuccedet* monaſterium, ſaltem quamdiu religioſus viuit. *auth. ingreſſi cod. de SS. eccleſ* 5.) *amittitur* emphyteuſis eccleſiaſtica, ſi per biennium canon integer non fuerit ſolutus, licet nulla interpellatio facta, poteſt tamen mora eousque purgari, quamdiu eccleſia nondum ad priuationem egerit. *cap. fin. de locat.* ſecus eſt in emphyteuſi laicali.

§. CCCXLIV.

Precariorum definitio.

Proxime ad hunc contractum accedit conceſſio *precariarum*, *ſeu precaria*, quae eſt *contractus in iure canonico inuentus, quo alicui ad preces conceditur res eccleſiaſtica in vſumfructum ad dies vitae, vel ad certum tempus ea lege, vt ſingulis quinquenniis petatur eius renouatio.* Olim precariae etiam *praeſtariae* dictae erant vel *datae*, vel *oblatae*, prout ex patrimonio eccleſiae praeſtantur, aut in bonis eccleſiae donatis reſeruata ſunt, vtraeque non pro concedentium voluntate, vt *precarium*,

ſed

ſed eorum morte, quibus conceſſae ſunt, finiuntur. Quia autem contractus hic antiquiſſimus hodie eſt rariſſimus: plura addere non vacat.

Vid. *L.* 14. *§.* 5. *cod. de SS. eccleſ. Nou. VII. c.* 4. *ap.* GRAT. *C. X. q.* 2. GONZALEZ *ad C.* 1. *h. t.* adde meretur CARD. DV FRESNE *in gloſſar. ad ſcriptor. med. et infim. latinit. voc.* PRECARIA, vbi larga manu varias precariarum formulas ſuppeditat; THOMASIN. *de vet. et n. e. diſcipl.*

§. CCCXLV.

Et differentia a precario.

Precarium cum precariis in eo conuenit, quod hoc quoque regulariter ad preces petentis concedatur *L.* 1. *p. D. de precario.* Cum vero *precario poſſidere videatur non tantum, qui per epiſtolam, vel quacunque alia ratione hoc ſibi concedi poſtulauit, ſed et is, qui nullo voluntatis indicio, patiente tamen domino poſſedit*, vt docet IVLIVS PAVLVS *receptor ſent. L. V. Tit.* 6. §. 11. patet *precarium ſine precibus* concipi poſſe, eiusque eſſentiam in eo ſolo ſitam eſſe, quod in concedens pro lubitu reuocare poſſit. Precarium igitur perficitur pacto, quo quis vſum rei vel iuris alteri concedit, retenta ſibi facultate eandem, quandocunque placuerit, reuocandi.

Vid. INTERPRETES *iur. ciu.* ad *Dig. L. XLIII. tit.* 26.

§. CCCXLVI.

[redacted]

§. CCCXLVI.

Cuius illuſtre exemplum ex Inſt. pac. oſnab. offertur.

Precarii publici illuſtre exemplum exſtat *in tab.* INSTR. PAC. OSNAB. *art. V.* §. 39. vi cuius *caeſarea Maieſtas comitibus, baronibus, nobilibusque, eorumque ſubditis in Sileſiae ducatibus, et in Auſtria tum degentibus, non quidem ex pacto, ſed ad interuentionem regiae Maieſtatis ſuecicae, et in gratiam intercedentium auguſtanae confeſſionis ſtatuum permittit, vt eiusmodi comites, barones, et nobiles eorumque ſubditi ob profeſſionem auguſtanae confeſſionis loco, aut bonis cedere, aut emigrare non teneantur.*

Cum imperator hiſce verbis luculenter declarauerit, nolle ſe ex pacto obligari, fruſtra laborant, qui pactum quoddam neceſſarium, atque ius cogendi ex aliis verbis exſculpere conantur. Cf. BVCKISCH *in comment. ad h.* §. 39.

§. CCCXLVII.

De feudis remiſſione.

Feudorum materia in ſpecialem diſciplinam eſt redacta. Igitur hic non eſt, cur huc actum agere velimus.

TITVLVS XIX.

DE RERVM PERMVTATIONE.

§. CCCXLVIII.

Permutationis definitio.

Quatuor ſunt contractuum innominatorum genera. Ad primum, cuius formula *do, vt des*, pertinet *permutatio*. Ea eſt *contractus innominatus, quo quis rem ea lege dat, vt pro ea alter aliam, de qua conuenit, reddat*. Vnde hic contractus ab emtione venditione non differt, niſi quod hic res non pro pecunia numerata, ſed pro alia re datur, et quod permutatio a rei traditione, emtione venditione a conſenſu capit initium.

Add. ex Diges. *lib. XIX. tit.* 4. *et* 5. *Iure ciuili* in contractibus innominatis poenitentiae locus eſt. L. 5. §. 2. *de cond. cauſ. dat. cauſ. non ſecut. L.* 1. *§. fin. D. rer. permut. Iure autem canonico* poenitentia haec ſublata eſſe videtur. *arg. cap.* 3. *de pact. cap.* 1. 2. *eod. in* 6. *can.* 8. XX. *q.* 1 quod moribus *Germaniae* magis conſonat.

§. CCCXLIX.

[redacted]

§. CCCXLIX.

Eiusque iura ſingularia explicantur quoad permutationem a.) rerum eccleſiaſticarum.

1.) Sub alienatione prohibita rerum eccleſiaſticarum continetur *permutatio*, adeoque inconſuete, et nulliter facta a ſucceſſore reuocari poteſt. 2.) *Res ſpirituales* permutari non poſſunt cum temporali, bene autem cum alia eiusdem qualitatis. 3.) Si res *mixtae* ſint ex ſpirituali et temporali adnexo fieri poteſt permutatio, modo non fiat comparatio inter ſpirituale, et temporale. 4) Nec mancipiorum eccleſiaſticorum permiſſa eſt permutatio cum *ſeculari mancipio*, niſi ex libertatis cauſa, aut ſerui ſint fugitiui, et per conſequens eccleſiae inutiles.

Cap. 2. *h. t. cap.* 5. *de reb. eccleſ. alien. cap.* 6. *h. t. cap.* 3. 4. *h. t. can.* 54. *XII. q. II.*

§. CCCL.

Idem.

5.) Res temporales eccleſiae permutari poſſunt *praeuiis ſolennitatibus* ad alienationem requiſitis. 6.) Facilius conceditur *permutatio*, quam *venditio*, quia pecunia maiori diſſipationis periculo ſubiacet. 7.) Praeſertim *facilem* ſe praebeat eccleſia, ſi princeps permutare velit rem ſuam cum rebus eccleſiae.

Cap. 1. *h. t. L.* 22. *cod. de admin. tut. Nouell.* 7. *cap.* 2. *auth. ſed et permutare cod. de SS. eccleſ.*

§. CCCLI.

§. CCCLI.

b) Beneficiorum eccleſiaſticorum.

1.) Beneficiorum eccleſiaſticorum *non* eſt *proprie permutatio*, ſed ex iuſta cauſa ab epiſcopo fieri poteſt *quaſi permutatio* per modum mutuae reſignationis in fauorem alterius, vel mutuae translationis de vno loco in alium. 2.) Non poteſt epiſcopus beneficia ex cauſa permutationis reſignata *aliis conferre*, quam permutare volentibus.

Cap. 5. 7. *h. t. cap. vn. h. t. in* 6. GONZALEZ *ad cap.* 7. *cit.*

§. CCCLII.

Idem.

3.) Conuentio beneficiatorum tantum in hoc conſiſtit, quod velint conſentire in translationem ab epiſcopo faciendam, quae ſi denegetur, res manebunt *in eodem ſtatu.* 4.) Omne illud *pactum* circa beneficia auctoritate factum prohibent SS. canones.

Cap. 7. *h. t.*

§. CCCLIII.

Idem.

5.) Si commutatio praebendarum fuiſſet facta *priuata auctoritate* vterque beneficio priuatur.

uatur. 6.) Igitur hanc permutationem ordinarie admittit *epiſcopus*, vel quaſi epiſcopali auctoritate pollens. 7.) Requiritur tamen ad hoc conſenſus *patronorum*, aliorumque, quorum intereſt. 8.) Subinde epiſcopus et *inuitos* poteſt compellere ad ſua beneficia permutanda.

Cap. 5. 7. 8. h. t. Extrauag. 2. de Simon. int. comm.

TITVLVS XXI.

DE PIGNORIBVS, ET ALIIS CAVTIONIBVS.

TITVLVS XXII.

DE FIDEIVSSORIBVS.

§. CCCLIV.

Connexio.

Contractibus principalibus ſaepe alii accedunt per modum acceſſorii. In ſpecie *pignora* et *fideiuſſores*, de quibus nunc ſermo eſt.

§. CCCLV.

Pignus et hypotheca differunt.

Inter *pignus*, et *hypothecam* alioquin maximum eſt diſcrimen, cum pignus praecipue contractu, hypotheca pacto praetorio conſtituatur, illud tradendum ſit, haec ſine traditione ſubſiſtat. Ex vtroque autem naſcitur ius in re creditori in ſecuritatem crediti conſtitutum.

Vid. ex *Inſt. lib. III. tit.* 15. *ex Dig. lib. XIII. tit.* 7. *lib. XX. tit.* 1. *ſeq.* per tot.

§. CCCLVI.

Iure eccleſiaſtico multa ſpecialia hic notari merentur.

1.) Praelatus eccleſiaſticus poteſt oppignorare *res mobiles* non pretioſas, alias res poteſt quidem hypothecare *generaliter* pro vtilitate eccleſiae, non autem *ſpecialiter*, niſi adhibitis ſolennitatibus. 2.) Probata tamen *vrgentiſſima neceſſitate* a ſolo praelato, vel alio rectore eccleſiae facta oppignoratio ordinariis requiſitis etiam deficientibus ſubſiſtit.

Cap. 5. *de reb. eccleſ. alien. cap.* 1. *h. t.*

§. CCCLVII.

Idem.

3.) Quodſi creditor citra ſolennitates debitas ſpeciale pignus acceperit, *cadit iure ſuo*, et

[redacted]

et mutuum lucro eccleſiae cedit, ſaluo tamen regreſſu contra illos, quorum auſu priuato pignus eſt conſtitutum. 4.) Poſſunt etiam clerici ſuarum praebendarum *reditus obligare*, cum etiam citra ſpecialem hypothecam executio pro debitis in fructus praebendarum decerni ſoleat. 5.) Nec interdictum eſt clericis pignus a laicis *ſecuritatis cauſa* accipere exceptis decimis.

Nouell. 7. cap. 1. et 6. cap. 5. de reb. eccleſ. alien. c. 1. et 3. de pignor. c. 2. et 3. de fideiuſſ. cap. fin. de decim. Gonzalez *ad cap. 1. de pignor.* Boehmer *ad h. t. §. 3.*

§. CCCLVIII.

Idem.

Generaliter ea 6.) quorum commercium eſſe non poteſt, ſicut emi, vendique, ita quoque iure pignoris accipi vel dari nequeunt, quorum numero *res ſacrae* haberi debent. Vix tamen dubitare licet, quin calices, patenae, ceteraque eccleſiarum ſupellex quoad materiam, quae poſt conſecrationem vel benedictionem res pretio aeſtimabilis eſſe non deſinit *vrgente graui neceſſitate*, non ſolum aliis eccleſiis, vel locis religioſis, ſed etiam laico creditori ita oppignorari poſſint, vt ad hunc ſola detentio pertineat. *c. 1. h. t.*

Wiestner *n. 12. ſeqq. de pignor.*

[redacted]

§. CCCLIX.

Idem.

Item 7.) oppignorato caſtro, cui adhaeret ius patronatus, non cenſetur *oppignoratum ius* patronatus. 8.) *Pactum commiſſorium* pignori adiectum iure quoque *prohibitum* eſt. 9.) *Pactum antichreticum* iure ciuili quidem valet, at iure canonico *improbatum* eſt.

Cap. 18. *de ſent. et re iud. c.* 4: 6. 7. *h. t.* Pactum antichreticum pignori adiectum legibus noſtris non repugnat, dummodo fructus ex re frugifera pignori data percepti quantitatem vſurarum ab iisdem determinatam non excedant.

§. CCCLX.

Fideiuſſoris definitio.

Fideiuſſor eſt, *qui alienae obligationi mediante ſtipulatione et ſine nouatione maioris ſecuritatis cauſa accedit.*

Vid. ex *Inſt. lib. III. tit.* 21. ex *Dig. lib. XLVI. tit.* 1. *lib. XVI. tit.* 1.

§. CCCLXI.

Et circa eum ſingularia.

1.) Clerici non debent fideiuſſores laicos pro ſe conſtituere, ſed *defenſores* ſeu oeconomos eccleſiae, quorum officium hodie ſubeunt ipſi rectores eccleſiae. 2.) Fideiuſſiones praelato-

latorum quidem validae ſunt, ſed eccleſiam non obligant abſque maioris partis capituli conſenſu, niſi in *vtilitatem* monaſterii interceſſionem redundaſſe probatum ſit.

Lib. 25. *§.* 1. *L.* 33. *§.* 2. *cod. de epiſc. et cler. cap.* 2. *de ſolut. cap.* 4. *h. t.*

§. CCCLXII.

Idem.

3.) Clerici poſſunt fideiubere, ſuaque fideiuſſione *proprio nomine* tenentur, et ad ſoluendum etiam per immiſſionem in reditus ipſius beneficii compelluntur, ſaluo contra debitorem regreſſu, quem etiam, ſi diu ſtetit in nexu, compellere poſſunt, vt eos ab illo abſoluat, prout iura generatim de fideiuſſionibus diſponunt. Neque enim indiſtincte clerici fideiubere prohibentur, ſed duntaxat pro certis cauſis vetantur etiam fideiuſſionibus aliorum *inſeruire c.* 1. *h. t.* ſeu proxenetas agere in conciliandis aliorum fideiuſſionibus.

Nou. 123. *cap.* 6.

TITVLVS XXIII.
DE
SOLVTIONIBVS.

TITVLVS XXIV.
DE
DONATIONIBVS.

§. CCCLXIII.

Donatio deſinitur et diuiditur.

D*onatio* eſt *liberalitas in accipientem nullo iure cogente collata.* Eaque eſt vel *mortis cauſa*, vel *inter viuos*, ſeu *non mortis cauſa.* Alia *ſimplex*, alia *remuneratoria.*

Vid. ex INST. *lib. II. tit.* 7. ex DIG. *lib. XXXIX. tit.* 5. 6.

§. CCCLXIV.

Circa quam ſingularia quaedam.

1.) Praelati et adminiſtratores eccleſiarum circa donationes *ex rebus eccleſiae faciendas*, idem, quod de bonis eccleſiae alienandis dictum eſt, obſeruare debent. 2.) Poteſt autem praelatus certis in caſibus res eccleſiae recte donare, ſi ſcilicet donatio fiat *modice* aut epiſ-

copus

[redacted]

opus in dioeceſi ſua vel eccleſiam vel monaſterium conſtruere ac dotare velit ex rebus eccleſiae, cui praeſidet, modo dos definitam quantitatem quinquageſimae vel centeſimae partis redituum illius eccleſiae non excedat. 3.) Donationes tamen, vel conceſſiones eccleſiarum, et beneficiorum nondum vacantium ab epiſcopis vel praelatis fieri non poſſunt, niſi per modum *vnionis*, ſine praeiudicio poſſeſſoris eccleſiae loco religioſo conferatur obſeruatis ſolennitatibus, quae in ea deſiderantur.

Cap. 2. 3. 9. *h. t. cap.* 7. *de Inſt. cap.* 17. *de iur. patron.* Gonzalez *ad cap.* 3. *h. t.*

§. CCCLXV.

A iure eccleſiaſtico ſtatuuntur.

4.) Dominium ex ſola donatione *ipſo iure* in eccleſiam tranſit ante traditionem; ſed 5.) ſine ratione ſufficiente adfirmatur, quod donatio vltra 500. ſolidos in eccleſiam facta ſine *inſinuatione* ſubſiſtat, et prorſus iniquum eſt, quod dicunt 6.) donationem eccleſiae factam ob ſuperuenientiam liberorum reuocari non poſſe *integram*, ſed tantum vsque ad legitimam.

L. 23. *§.* 1. *cod. de SS. eccleſ. L.* 34. *cod. de donat. L. cit. §.* 1. *L.* 19. *cod. de SS. eccleſ. L.* 36. *cod. de donat.* Boehmer *ius paroch. ſect. V. cap.* 1. *§.* 12. 13. *can. fin. XVII. q. IV.*

§. CCCLXVI.

Definitio ſolutionis.

Modi, quibus ab obligatione contracta liberamur, varii ſunt. Occurrit hic *ſolutio*, *quae eſt vera praeſtatio eius, quod in obligatione eſt.*

Vid. ex Inst. *lib. III. tit.* 30. ex Dig. *lib. XIV. tit.* 3. *lib. XLV. tit.* 4. *lib. XLVI. tit.* 2.

§. CCCLXVII.

Eiusque ſingularia.

1.) Praelatus recte ſoluit ex bonis *mobilibus* non ex *immobilibus* ſine conſenſu capituli et iuſta cauſa. Imo 2.) tenetur ſucceſſor in praelatura vel beneficio ad ſoluenda debita contracta ab anteceſſore pro *neceſſitate*, vel *vtilitate* eccleſiae, ad quam fuiſſe conuerſa praeſumitur, ſi debita cum conſenſu capituli, vel ſuperioris legitimi fuerunt contracta. Si autem a ſolo praelato, vel beneficiato contractus obligatorius fuit initus, creditor tenetur probare verſionem in vtilitatem eccleſiae. 3.) Priuilegium *competentiae* clericis tribuitur *ex cap.* 3. *h. t.* quod vſus probat, et confirmat.

[redacted]

§. CCCLXVIII.

Idem.

Nimis liberalis in hac quoque materia eſt interpretum turba, cum cauſis piis ea iura ſingularia tribuunt, quae omni legis fundamento deſtituuntur. Talia ſunt 1.) quod clerici, et loca pia non teneantur vltra *vires* haereditatis, etiamſi absque beneficio inuentarii adierint haereditatem. 2.) Quod non teneantur ſoluere debitum, quod aliunde probari non poteſt, quam ex libris mercatorum &c. &c.

TIRAQVELL. *in Fr. de priuileg. cauſ. piar.*

TITVLVS XXV.

DE PECVLIO CLERICORVM.

§. CCCLXIX.

Bona clericorum ſunt duplicis generis.

Conſideratis rebus *eccleſiae* ad clericorum bona tranſimus. Quaenam autem iura clericis in relatione ad ea competant, quaeſtio praeiudicialis eſt, a qua multarum reſolutiones dependent. Non ignoro quidem vulgatam, quam ad diſtinguenda clericorum bona hic adferunt in *patrimonialia*, *quaſi patrimonialia*, *beneficialia*, eaque *neceſſaria*, atque *ſuperflua*,

et *parſimonialia* diuiſionem, eam tamen, quia et minus adcurata eſt, et ad propoſitum noſtrum minus adcommoda, vti ex ſequentibus patebit, reiiciendam exiſtimo. Sunt nempe clerici, *et eccleſiae miniſtri*, *et ciues*, *cognati*, *amici*, *ſocii* reliq. Hinc eorum bona ſub iſto duplici reſpectu adquiſita in duas quoque claſſes abeant neceſſe eſt.

Inſcribitur hic titulus *de peculio clericorum*, in decretalibus vero, et canonibus, qui ſub iſto titulo referuntur, nomen peculii non occurrit., licet iam inde a beneficiorum erectione haec denominatio ex iure romano deſumta. *l. 5. ff. de pecul. l. 16. pr. ff. de ſc. trebell.* inualuiſſe videatur VAN ESPEN *I. E. V. P. II. ſect. IV. tit. I. cap.* 1. §. 1. *ſeqq.*

§. CCCLXX.

Et quidem patrimonialia et quaſi clerici pleno iure poſſident.

Quare illa, quae *clericis ex legitima parentum, et conſanguineorum haereditate non ſecus ac laicis obueniunt, vel ex donatione, labore, induſtria, et alio modo, quo ſolent laici, lucrantur*, indubie *patrimonialia*, et *quaſi patrimonialia* recte dicuntur, quae *eatenus peculio caſtrenſi, et quaſi caſtrenſi filiorumfamilias comparari poſſunt*, quod ſicuti filiifamilias *pleno iure* peculia haec poſſident, atque de illis tum inter viuos, quam mortis cauſa libere diſponunt: ita clerici haec bona pariter *pleno iure* aeque, ac laici poſſident. Neque enim clericorum conditio naturam horum bonorum immutat, at-

que

[redacted]

que eccleſia circa haec ius vllum vnquam praetendit, ſed ea liberae clericorum diſpoſitioni permittit.

Cap. 19. *cauſ. XII. q. I. cap.* 1. 9. *de teſtam.* Quodſi tamen omnibus, etiam laicis dixerit S. Avgvstin. enarrat. in Pſalm. 147. *tom. IV. col.* 1659. *quare, quantum tibi dederit Deus, et ex eo tolle, quod ſufficit. Cetera, quae ſuperflua iacent, aliorum ſunt neceſſaria; ſuperflua diuitum, neceſſaria ſunt pauperum.* Quanto magis id clericis dictum cenſeatur, *qui alimenta habentes et quibus tegantur, contenti eſſe monentur ab* Apostolo I. *ad Timoth. VI.* 8.

§. CCCLXXI.

Clericalia vero ſunt vel in ſpecie talia, vel beneficialia.

Deberi illis, qui eccleſiae inſeruiunt, temporalis vitae ſubſidia ex Apost. 1. *Cor. IX.* 7. perſpicuum eſt. Ea ergo *bona, quae conſideratione eccleſiae clericis tanquam eius miniſtris obueniunt*, recte *clericalia* dixeris *cap.* 9. *de teſtam. can.* 2. *cauſ. XII. q. III. can* 4. *ead. cauſ. q. V.* ita, vt *quae titulo beneficii eccleſiaſtici percipiunt, beneficialia, quae ratione functionum clericalium etiam ſine beneficio adquiruntur, clericalia in ſpecie* adpellari debeant. Diſtincta ab his ſunt *bona eccleſiae*, quae ad ipſius patrimonium ſpectant, et ad certos in eccleſia vſus deſtinata ſunt. Facta quippe quadripartita diuiſione non obſcura eſt huius diſtinctionis ratio.

Quae

Quae nos diximus bona *clericalia in ſpecie*, vulgo *quaſi patrimonialia* adpellant, ſed male, vt infra patebit.

§. CCCLXXII.

I.) *Beneficialia non in vſus ſuperfluos.*

De *beneficialibus* I.) nobis ſermo erit. Bona eccleſiaſtica generatim omnia partim oblationibus, piisque fidelium fundationibus originem, partim induſtriae adminiſtratorum oeconomicae incrementa debent. Ea autem intentione eccleſiae, hoc eſt, vniuerſo fidelium coetui tanquam perſonae morali, oblata, atque acceptata ſunt, vt ne deficiant neceſſaria ad fines religionis noſtrae obtinendos remedia, vt exinde altarium miniſtri alantur, cetera pauperibus, piisque vſibus diſtribuantur. Quid enim in canonibus, ſcriptisque patrum vſitatum magis, quam res eccleſiae dici *vota fidelium, pretia peccatorum*, et *patrimonia pauperum*, quae definitio tanquam notiſſima, et ex traditione *iuxta antiquorum patrum ſententiam* recepta vtique ſupponitur. Ergo manifeſtum eſt, fideles, qui vel inter viuos, vel mortis cauſa bona ſua recta intentione eccleſiae relinquunt, ea donare, ac relinquere propter honorem Dei, et ad animarum ſuarum ſalutem.

S. IVLIAN. *lib. II. de vit. fut. contemplat. cap.* 39. S. GREGOR. *lib. V. epiſt.* 55. PETRVS BLES. *epiſt.* 15. CAPITVL. REG. FRANC. *ap. Baluz. lib. I. cap.* 77. *lib. V. cap.* 118. *ut in addit. III. cap.* 1. *et ap.* GRATIAN. *can.* 59. *cauſ. XVI. q. I.*

§. CCCLXXIII.

[redacted]

§. CCCLXXIII.

Sed tanquam neceſſaria vitae alimenta clericis ſunt relinquenda.

Quid multa! in re adeo manifeſta plura adferre teſtimonia ſuperuacuum foret prorſus. Nam etiamſi laici, dum bona ſua offerunt, ea de re non cogitarent, aut aliam forſan intentionem parum chriſtianam haberent, eccleſia tamen non aliter ea acceptaret, niſi vt bona illa tanquam *patrimonium Chriſti*, et vt *res Dei*, cui offeruntur, non in vſus ſuperfluos, nec in diuites, ſed in neceſſitatem miniſtrorum Chriſti, et pauperum eius membrorum, alioſque pios vſus ad honorem Dei impendenda. Et licet, ſi conſumenda ſunt bona eccleſiae, non tunc pauperum, ſed clericorum eſſe clametur, ſaltem ſi de eorum vindicatione, et adcumulatione agatur, res pauperum pleno ore adpellantur.

Ioan. Lavnoi *de cur. eccleſ. pro miſer. et paup. cap. IV.* Christ. Lvpvs *tom. II. ſchol. in can. pag.* 1318. *et tom. V. p.* 191. Gibert. *corp. iur. can. tom. III. tract. de benef. tit. XII. ſect.* 23. Espen. *l. c. cap. III.*

§. CCCLXXIV.

Adminiſtratio fuit quidem diuerſa.

Horum eccleſiae bonorum adminiſtrationem quod adtinet, ea clericorum ſanctitati, quam profitentur, concredita eſt, et variis huc-

[redacted]

hucuſque viciſſitudinibus obnoxia fuit. Primo enim ab epiſcoporum arbitrio, nulla niſi iuſtitiae et charitatis lege conſtricto dependebat, qua ratione conformem praefixis finibus diſtributionem facere vellent, dein vt gliſcenti malo occurreretur, canonicae partitionis legi adſtricti ſunt, et tandem omnimoda bonorum eccleſiaſticorum ſectione introducta ſingulis clericis reditus in titulum beneficii perpetui vindicati ſunt.

§. CCCLXXV.

Inuariata tamen ſemper manſit eorum natura, conditioque.

Verum quaecunque facta ſit ſiue per quadrimembrem illam diuiſionem, ſiue per beneficiorum erectionem bonorum eccleſiaſticorum partitio, eaque adminiſtrandi ratio, hoc vnum contigit, vt diſpenſatio eorum, quae modo erat penes epiſcopum, tandem ad ipſos particulares beneficiatos tranſierit *manente ipſa bonorum eccleſiaſticorum natura, et conditione inuariata*, quam varia diſpenſationum norma pro temporum, et locorum conditione introducta, aliaque clericorum viuendi exterior diſciplina vtique immutare non potuit. Hinc canones conditi poſt partitionem fundorum, aut redituum eccleſiae, aut adſignationem portionis beneficiario cuique determinatae locuti ſunt de vſu, qui fieri de bonis eccleſiae debeat, eodem modo, quo, qui antea facti ſunt.

ESPEN

[redacted]

Espen *loc. cit. cap. III.* Gibert *loc. cit. ſect.* 23. Thomasin. *V. et N. E. D. P. III. lib. II. cap.* 22. *§.* 8.

§. CCCLXXVI.

Horum bonorum clerici non ſunt domini.

Intelliges nunc famoſam quaeſtionem, an clerici fructuum beneficialium ſint domini, eosque ex *iuſtitia*, conſequenter ſub onere *reſtitutionis* in vſus pios conuertere teneantur? Non eſſe veros dominos adeo euidenter in SS. canonibus eſt expreſſum, vt nullus antiquorum canoniſtarum de hoc dubitaſſe videatur. Imo *Archidiaconus* celebris admodum canonum interpres ſcribere non eſt veritus *in cap.* 11. §. 5. *de reſcript. in 6. eſſe haereſim in iure canonico* adſerere, clericos prouentuum beneficialium eſſe dominos.

Vid Rvprecht. *not. hiſt. in ius canon. ad h. t. n.* 3. vbi ſtatum quaeſtionis huius exactiſſime proponit.

§. CCCLXXVII.

Tales enim non erant ante diuiſionem.

Certum eſt ab origine eccleſiae vsque ad diuiſionem bonorum eccleſiaſticorum ſeculo V. factam epiſcopos ex mente eccleſiae, et fidelium benefactorum, non dominos aut proprie poſſeſſores, ſed meros diſpenſatores, et adminiſtros rerum eccleſiaſticarum fuiſſe. Putabant quidem alii, epiſcopos ingentium eccleſiae

prae-

praediorum dominos. *Sed Deus teſtis eſt,* ait S. AVGVSTIN. epiſt. 126. alias 225 *tom. II. col.* 271. *edit Venet. de a.* 1729. *iſtam omnem rerum eccleſiaſticarum procurationem, quarum credimur amare dominatum, propter ſeruitutem, quam debeo charitati fratrum et timori Dei me tolerare, non amare ita, vt ea ſi ſaluo officio poſſim, carere deſiderem.* Cognouit ſane, quod non vt *poſſeſſor,* ſed *vt procurator facultates eccleſiae poſſideat.* Cautum enim eſt in *concil. carthag.* IV. *can.* 31. *vt epiſcopus rebus eccleſiae tanquam commendatis, non tanquam propriis vtatur. Et idcirco ſcientes clerici nil aliud eſſe res eccleſiae, niſi vota fidelium, pretia peccatorum, et patrimonium pauperum, non eas vindicarunt in vſus ſuos vt proprias, ſed vt commendatas pauperibus diuiſerunt.,* S. IVLIAN. POMER. L. II. *cap.* 9.

THOMASIN. *V. et. N. E. D. P. III. lib. III. pag.* 28. 29.

§. CCCLXXVIIII.

Ergo neque poſt eam.

Cum iam facta diuiſione quacumque natura bonorum eccleſiaſticorum immutari non potuerit, eademque intentio eccleſiae, et fundatorum permanſerit, ſequitur, et clericos nudos adminiſtratores permanſiſſe. Aut edic! quis refragante domin rum offerentium voluntate dominos eos conſtituere potuit? Non ignoro exceptionem, quam hic mouere ſolent, SS. patrum, et conciliorum edicta ad hodiernum bonorum eccleſiaſticorum ſtatum adplicari

[redacted]

non poſſe. Sed ludificatoria eſt haec cau-
tio: ſi enim omnium eccleſiae rerum haec
rimigenia origo, haec natura, et indoles eſt,
: neceſſitatibus fidelium ſint dicatae, non
perfluitati, ea lege beneficiarii obligantur
nnes, quibus largitur eccleſia ea, quibus
ous habent, vt ſibi habeant: ſi plura largitur,
on alio facit fine, quam vt in eos diſpen-
nt, qui his opus habent.

uc quoque pertinet ſophiſma illud, ſuppoſitioni, quam disiunctam vocant, innitens: erectis beneficiis nullum adparere diſcrimen inter reditus neceſſarios et ſuperfluos, dum percipiuntur, cum in ipſa perceptione nulla redituum pars determinate dici poſſit neceſſaria, nulla ſuperflua. Aſt ſi non haec pars redituum dici poteſt neceſſaria, ſaltim verum erit quandoque dicere: *haec plura* ſunt ſuperflua. Legas, quaeſo, et relegas *cauſ. XII. q. III. IV. et V. et van* Espen *l. c. cap. IV. §. 6. ſeqq. et* Gibert. *corp. iur. can. tom. III. tract. de benef. tit. XII. ſect. XVI. XIX.* Thomasin. *l. c. cap.* 30. 31. 32. 33.

§. CCCLXXIX.

Quod ex decretalibus confirmatur.

Quodſi capitula hoc tit. et alibi in decre-
tlibus Gregor. IX. diſperſa conſulamus, di-
a iam ſaepius egregie confirmari adparet.
ueſtigandum eſt, ſi nihil patrimonii habeat
resbyter, quando promotus eſt ad eccleſiaſti-
m ordinem, poſtea (vel vt alia lectio habet,
poſtea) *emerit praedia, cuius iuris ſint, quo-*
am eccleſiae, ad quam nihil habens promo-

 tus

tus eſt, eſſe debent iuxta canonicam auctorita-tem cap. 1. h. t. *nam vnus quisque presbyte-res, quas poſt dies conſecrationis adquiſierit, propriae eccleſiae relinquat* cap. 3. ibid. *quo-niam quaeſitum a rectore eccleſiae tempore pro-motionis nihil habente, praeſumitur de bonis eccleſiae adquiſitum.*

Vid. cap. fin. h. t. GONZALEZ *in comment. ad cap. 1. h. t.*

§. CCCLXXX.

Inde eſt, quod clerici nullo modo de bonis per eccleſiam adquiſitis teſtari queant.

His principiis innixi patres *concilii latera-nenſis III.* poſt diuiſionem bonorum eccleſiaſti-corum iam factam, inſtitutaque beneficia cano-nem antiquae diſciplinae conformem condere non dubitarunt, qui in *cap. 7. de teſtam.* hiſce verbis recenſetur: *cum in officiis charitatis primo loco iis teneamur obnoxii, a quibus be-neficium nos cognoſcimus recepiſſe, e contra quidam clerici, cum ab eccleſiis ſuis multa be-neficia perceperint, bona per eas adquiſita, in alios transferre praeſumunt. Hoc igitur, quia antiquis canonibus conſtat inhibitum nos in-demnitati eccleſiarum prouidere volentes, ſiue inteſtati deceſſerint, ſiue aliis conferre volue-rint, penes eccleſias eadem bona praecipimus remanere.* Orto deinde dubio, an hoc ſit de *immobilibus* tantum, vel etiam *mobilibus* ſen-tiendum, reſpondit papa ALEXANDER III. quod

[redacted]

quod generaliter bona quaelibet per eccleſiam adquiſita ei debeant iuxta lateranenſe concilium poſt adquirentis obitum remanere. *cap.* 12. *de teſtam.*

Add. cap. 8. *et* 9. *h. t.*

§. CCCLXXXI.

Soluuntur obiectiones ex Synodo tridentina.

Ex Synod. Trid. *autem ſeſſ. XXIV. cap.* 12. *et ſeſſ. XXIII. cap.* 1. *de reform. et ex cap. vn. de cler. non reſid. in* 6. prorſus nihil probatur in contrarium. An non et peculium ſerui dicitur proprium eius patrimonium? *l.* 39. 47. *ff.* 6. *de pecul.* Cum enim quilibet beneficiatus reſpectu portionis bonorum ſuo titulo adſignatae, non minus plenam adminiſtrationem, nec minus liberum vſum habeat, quam olim epiſcopi, non mirum, ſi et beneficiatus prouentuum eccleſiaſticorum *Dominus* credatur, et vulgari modo loquendi *dominium* vel fructus *ſuos* facere dicatur, licet procurationem duntaxat obtineat. Non ex ambiguo termino occaſionaliter prolato, ſed ex decreto *ſeſſ.* 25. *cap.* 1 *de reform.* hac de re ex profeſſo edito, PP. trident. mens *canon. apoſt.* 37. et 41. adprime conformis, colligenda eſt. Et reuera addita iam eius ſanctionis ratio, *quia eccleſiaſticorum prouentuum diſpenſatores ſunt*, ideo tantum deleta eſt, quia a definiendis quaeſtionibus ſcholaſticis abſtinere prius conſtituerunt.

Pallavicin. *hiſt. trid. concil. lib.* 4. *cap.* 3. *num.* 4. Pavl. Sarpi *eiusd. concil. hiſt. lib.* 8. Ergo recte Panormit. *in rubr. cap.* 4. *h. t. num.* 43. ait: *ideoque peculium clericorum adpellari poteſt profectitium, et iudicari debet profectitium.* Cui non obſtat, quod clericis in patria poteſtate conſtitutis indultum olim fuerit, vt quidquid occaſione clericatus adquiſierint in eo peculio quaſi caſtrenſis ius haberent *l.* 34. *et* 50. *cod. de epiſc. et cler. Nou.* 12. *cap.* 19.

§. CCCLXXXII.

Et ex male intellecto Matth. X. 10. *Luc. X.* 7. *loco petitae.*

Omni iure quidem eccleſiae miniſtri ex euangelii obſequio vitae ſuſtentationem repetunt, eo, quod *dignus ſit operarius cibo ſuo.* Matth. *X.* 10. *mercede ſua* Lvc. X. 7. Verum mercedem hanc opificum more, qui operam ſuam vendunt, praetendi, vel exigi poſſe, id eſt, quod impenſe nego. Nullo opinor diſcrimine bonorum, ſanare infirmos, ſuſcitare mortuos, et praedicare *gratis* iubet Dominus: *gratis accepiſtis, gratis date.* Matth. X. 8. Quare non reſtrictius hoc mercedis vocabulum, ſed remiſſius paulo ſumamus oportet, quatenus videlicet merces etiam alimoniae rationem habet. *Accipiant ſuſtentationem neceſſitatis a populo, mercedem diſpenſationis accipiant a Domino. Non enim idoneus populus reddere mercedem illis, qui ſibi in caritate euangelii ſeruiunt.* S. Avgvst. *de paſtor. ſerm. XLVI. tom. V. col.* 227. c. 2. n. 5.

5. Idem. *de ſerm. dom. tom. III. lib. II. c. 15. n. 54. Neque enim ideo debemus euangelizare, vt manducemus, ſed ideo manducare, vt euangelizemus.*

Espen *loc. cit. cap. II. et cap. V. §. 24. ſeqq.* Estivs *in 1. Tim. V. 18.*

§. CCCLXXXIII.

Fundamentum noſtrae adſertionis generale.

Quo mercedis, et ſuſtentationis diſcrimine poſito, ſi benefactores bona ſua non alia intentione eccleſiae miniſtris contulerint, niſi, vt inde honeſte viuant; et ſuperflua in pios vſus diſpenſent; ſique eccleſia ita, et non aliter frui clericos vult ſuis bonis, palam eſt, illos fructus ſuperfluos intuitu eccleſiae adquiſitos, vi *iuſtitiae naturalis* et ſub onere *reſtitutionis* teneri in pios vſus elargiri. Vna enim omnium iurium vox eſt, hominem bonis ſibi ab alio ad certum finem conceſſis aliter vtentem, ad reſtitutionem teneri. Quod autem eccleſia bona a fidelibus collata non aliter ac praeſcripto modo fruenda conceſſerit, fidelesque illa hac intentione eccleſiae contulerint, ex decretis conciliorum, pontificum, et omnium patrum loquendi modo adeo manifeſtum eſt, vt non ſolum ante, verum etiam poſt diuiſionem bonorum et beneficiorum erectionem eadem vbique recurrant.

§. CCCLXXXIV.

Quod etiam ad parſimonialia extenditur.

Quod dictum de reditibus congruae ſuſtentationi ſuperfluis, idem puta de *parſimonialibus*: id eſt, de bonis illis, quae conſumere quidem potuiſſem, ſed quadam vitae temperantia, parſimonia, vel auaritia aliis propoſitis reſeruare malui. Certum enim eſt, quod hi reditus ſint eccleſiaſtici, ex natura ſua deſtinati ad vſus pios. Certum eſt pariter, quod ad illos impenſi non fuerint. Qua ergo ratione fieri poſſe credam, vt mirabili prorſus metamorphoſi eccleſiae reditus profanentur propterea tantum, quod piis vſibus non fuerint adhibiti, a quibus miniſtrorum etiam ſuſtentatio non eximitur. Accedit, quod *in eo, quod facto finitum eſt, coniecturae locus non ſit*, vt loquitur *l.* 137. *§.* 2. *ff. de V. O.* Quid ſi mille aurei deſtinentur ad fabricam eccleſiae, architectus tamen vel per ſuam induſtriam, vel ob parciora ornamenta impendit ſolummodo octingentos, an ideo reliqui ducenti non amplius erunt vſibus eccleſiae deuincti?

ESPEN. *loc. cit. cap. I. §.* 29.

CCCXXXV.

[redacted]

§. CCCLXXXV.

I.) De clericalibus in ſpecie idem tenendum eſt.

Idem II.) de bonis *clericalibus in ſpecie* di-
imus, et ideo minus recte ea *quaſi patrimo-
ialia* adpellari exiſtimamus. Certum eſt,
aec nec offerri, nec acceptari tanquam mer-
edem obſequii ſpiritualis, ne offerentes, vel
cceptantes ſimoniae poſſint argui. Certum
ariter eſt, non eſſe dona omnino gratuita, et
iberalia. Sunt ergo oblationes ex ea aequita-
e factae, quam inſinuat S. PAVLVS I. Cor.
K. 11. Mens igitur offerentium, et acceptan-
um eſt menti eccleſiae, et ordinationi Chriſti
onformis, vt ſcilicet iſta dentur, et accepten-
ur in vitae ſtipendium. Quaenam autem eſt
ifferentia inter haec ſtipendia, et fructus be-
eficiales? An non ſunt bona *conſideratione
cleſiae cap. 9. de teſtam.* adquiſita? Nonne
mnia, quae clericis etiam titulo beneficii ob-
eniunt, dantur ipſis in mercedem laboris, ac
perae perſonalis praeſtitae? Beneficium enim
atur propter officium. Diſcrimen ergo eſt,
uod reditus beneficiales colligantur ex bonis
am ante aliquot ſecula eccleſiae oblatis, re-
itus autem ſtolae proueniunt ex oblationibus
odiernis.

... *loc. cit. cap. I. §. 24. ſeqq.* Quae igitur olim de vſu, et deſtinatione oblationum ſtatuta ſunt, eadem adhuc hodie ſtatuta cenſentur de oblationibus quibuscumque intuitu obſequii ſpiritualis factis. Sola ratio adminiſtrandi immutata eſt. *can. 29. cauſ. XII. q. II.*

§ CCCLXXXVI.

§. CCCLXXXVI.

Idem.

Sacerdotibus quidem curatis ſeueriſſime prohibent SS. canones *cap. 9. de ſimon.* ne quid pro ſepultura, baptiſmo etc. accipiant. Sola conſuetudo eos excuſat. *cap. 42. de ſimon.* Per hanc autem, vtpote canonibus derogantem, et manifeſte odioſam, nulla ratione tollitur grauiſſima tot conciliorum, et pontificum ordinatio de oblationibus pie impendendis. Nec alia eſt ratio ſacerdotum, qui curam animarum non habent, et ſtipendium pro dicendis miſſis recipiunt: nam iſti quoque mercenarii videri volunt, nec alium titulum acceptandi ſtipendium excogitare poſſunt, quam illum, quo aliae in eccleſia oblationes recipiuntur.

Huc referas etiam *diſtributiones quotidianas*, quae originem trahunt a more antiquo, quo ſingulis clericis vel quotidie, vel in hebdomadem, vel aliis fixis temporibus congrua portio pro victu diuidebatur ex maſſa communi. *Extrauag. vn. int. comm.* §. 6. *de decim.* Aliud dicendum de diſtributionibus, quas etiam laici quandoque percipiunt.

§. CCCLXXXVII.

Et 1. impendenda ſunt ad ſuſtentationem clericorum.

Diſpiciendum iam eſt, qua ergo ratione diſpenſandi ſint reditus eccleſiaſtici. Certe ex intentione fundatorum, et ſpiritu eccleſiae cul-

tui

[redacted]

tui diuino impendantur, qui ſecundum SS. canones conficitur ſuſtentatione clericorum, ſubſidio pauperum, et peregrinorum, conſeruatione fabricae, et ornamento eccleſiae, aut aliis demum piis vſibus, honori Deo amplificando, et animarum ſaluti promouendae idoneis. Ex his igitur reditibus, quantum ſuſtentationi congruae ſatis eſt, ſibi, ſuisque vſibus depromat clericus. *can. apoſt.* 41. *et ap.* Grat. *can.* 22. *cauſ. XII. q. I.* Synod. Trid. *ſeſſ. XXV. cap.* 1. *de reform. Quidquid praeter neceſſarium victum, ac ſimplicem veſtitum de altari retinens, tuum non eſt, rapina eſt; ſacrilegium eſt.* S. Bernardvs *ad Fulcon. epiſc. epiſt.* 2. Infinitae propemodum ſunt patrum et ſynodorum exhortationes, quibus ea moderatio et frugalitas epiſcopis, et omnibus generatim clericis bona eccleſiaſtica poſſidentibus inculcantur.

Espen *loc. cit. cap. IV. §.* 123. ſcilicet nihil clericus percipit in compenſationem obſequiorum ſpiritualium. Stipendium annuum, et pretium miniſtris laicis vel artificibus praeſtitum iam plene obtinet finem ab eccleſia intentum, nempe obſequia aliunde eccleſiae non debita: et ideo eiusmodi laici non tenentur ſuperflua ad pios vſus vlteriores impendere. Aſt clericus nullum praeſtat obſequium pretio temporali aeſtimandum, conſequenter exigere nihil poteſt, niſi neceſſarium vitae ſtipendium.

§. CCCLXXXVIII.

2.) In ſubſidium pauperum aliosque vſus pios.

Sunt, qui ad conſeruandam clericorum auctoritatem, et dignitatem, ad conciliandum ſacerdotio ſplendorem immenſos ſumtus neceſſarios eſſe putant. Sed horum conatus immaturos iam dudum repreſſit SYNOD. CARTHAG. *IV. can.* 16. *ap. Grat. can. 7. Diſt. XLI.* TRIDENT. *ſeſſ. XXII. cap.* 1. *de reform.* Debent proinde vltra congruam ſuſtentationem ſuperflua ad alios pios vſus expendi; quales illis, qui caritate non ſunt vacui, viri aequi, rectique tenaces nunquam deeſſe potuerunt. Praecipuus ſane, qui neminem latere poteſt, in pauperum ſubſidio reperitur. Vana prorſus eſt quorundam adſertio, neſciri, quo pars in vſus pauperum deſtinata pervenerit; haeret iſta in illis reditibus, decimis, et oblationibus, in quibus olim haeſerat, quando alia erat adminiſtrandi ratio, cum qua nequaquam mutata eſt natura, et deſtinatio redituum eccleſiaſticorum.

§. CCCLXXXIX.

Nec valet argumentum a pauperibus ad clericos.

Nec argumentum a *pauperibus* ad *clericos* duci poteſt. Illi quidem fiunt domini, et obligationem eandem circa eleemoſinas et reditibus eccleſiae ſibi ſuperfluas non agnoſcunt.

Ete-

[redacted]

enim menti fundatorum, et eccleſiae ſatis- ſtum iam cenſetur, modo pro ſubleuanda upertatis miſeria, bona diſtribuantur. Ali- loquendum de clericis, prouentus eccleſiae rcipientibus, non vtique ad compenſanda ſequia ſpiritualia gratis obita, ſed vt expen- ntur ad cultum diuinum, qui promouetur per ſtentationem ipſius clerici: vltra hanc, quae nt ſuperflua, nondum obtinuerunt finem ſu- n a fundatoribus, et eccleſia intentum; er- remanet perfecta obligatio, ea pie expen- ndi.

§. CCCXC.

erici patrimonio diuites reſeruatis prouenti- bus patrimonii, ex bonis eccleſiae viuere poſſunt.

Ex dictis noua conſurgit quaeſtio, num mi ſuae iam diues ex prouentibus eccleſiae ia neceſſaria accipere, et interea patrimonio rcere, idque augere poſſit? Si auctoritatem Hieronymi, ad quem prouocat Gratia- vs c. 6. c. I. q. 2. ſequi lubeat, *ſacrilegium* com- ittunt clerici, qui *dum bonis propriis poſſent ſtentari, tamen accipiunt, quod eſt paupe- um*, quibus conſona ſunt, quae referente eo- m Gratiano c. *7. 8. et 9. ibid.* a Prospero ripta leguntur. Hoc tamen rigore canonum on obſtante, concilium agathenſe an. 506. cele- atum, aequum eſſe iudicauit, vt *clerici om- es, qui eccleſiae fideliter, vigilanterque deſer- ui-*

niunt, ſtipendia ſanctis laboribus debita ſecundum ſeruitutis meritum per ordinationem canonum conſequantur can. 10. *ibid.* Eandem aequitatem prae oculis habens Innocentius III. auctor *c.* 16. *de praebend.* clericos nulla diſtinctione adhibita, pauperes ſint, an diuites, *ſtipendiis eccleſiae ſuſtentandos* eſſe reſcripſit, *in qua, et per quam diuinis obſequiis adſcribuntur* addita ratione euangelica *ſecundum apoſtolum, qui altari ſeruit, viuere debeat de altari, et qui ad onus eligitur, repelli non debeat a mercede.*

Quod ex S. Hieronymo *ſacrilegium* eſſe dicitur, ſi quis clericus abundans de bonis eccleſiae viuat, intelligi debet de illis temporibus, quibus totus clerus in communi viuebat, quo tempore, quae communionis erant, non oportebat extra communionem viuentibus communicare. Accedit, vt fatentur omnes, multa a SS. patribus, aliisque viris religioſis ſalubriter, et ſancte moneri, et commendari, quae tamen legis vinculum non iniiciunt. Idem iudicium eſto de textibus ex S. Proſpero a Gratiano *loc. cit.* allatis. Rigidioris ſententiae patronum agit EspEN *P. II. ſect. IV. tit.* 1. *cap.* 5 vbi praecipue illud ſaluatoris vrget, *gratis accepiſtis, gratis date,* ſed meminiſſe oportet, quod idem ſaluator eum, *qui altari deſeruit, cum altari participare, et qui euangelium annuntiat de euangelio viuere* nullibi prohibuerit. 1. *ad Cor. IX.* 13. *et* 14. imo id ipſum diſertis verbis ordinauerit. Et *quis denique militat ſuis ſtipendiis vnquam ibid.* 7.

[redacted]

TITVLVS XXVI.

DE

TESTAMENTIS, ET VLTIMIS VOLVNTATIBVS.

§. CCCXCI.

Definitio vltimae voluntatis, variaeque eius ſpecies.

L*egitima diſpoſitio de eo, quod quis poſt mortem ſuam fieri vult, vltima voluntas* ocatur, cuius variae ſunt ſpecies, 1.) *Teſta-* lentum, 2.) *Legatum*, 3.) *Subſtitutio*, 4.) *Fideicommiſſum*, 5.) *Codicillus*, 6.) *Dona-io mortis cauſa.* Ex hac vaſtiſſima materia, uam iuris ciuilis interpretes latius pertra-tant, pleraque obiter delibabimus, liberalius e iis acturi, quae ad eccleſias, et eccleſiaſti-os potiſſimum adtinere videbuntur.

Huc referas Heineccii *elem. iur. ciu. ſecund. ord. inſt. lib. II. tit. VII. tit. X. vsque ad fin. h. lib. Eiusd. elem. ſecund. ord. Pand. p. 5. lib. XXVIII. ſeqq.*

§. CCCXCII.

§. CCCXCII.

Definitur teſtamentum et diuiditur.

Teſtamentum eſt voluntatis noſtrae iuſta ſententia de eo, quod quis poſt mortem fieri vult. l. 1. ff. qui teſtament. facere poſſunt. Aliud *eſt ſolenne*, aliud *minus ſolenne.* Illud in *ſcriptum et nuncupatiuum* diuiditur. *Imperfectum* teſtamentum aliud eſt *ratione voluntatis*, aliud *ratione ſolennitatis*, ſi prius, in foro vtroque nullum et irritum eſſe, res eſt ab omni remota dubio. Sin poſterius, quaeritur, an valeat? Pro foro autem externo certum eſt nihil valere §. 7. *Inſt. quib. mod. teſtam. infirm. l.* 21. *ſ.* 1. *cod. de teſtam.* Hinc neque pro foro interno valere poteſt.

§. CCCXCIII.

Eiusque requiſita de iure canonico.

De ſolennitatibus externis, quas ius romanum exigit, mitius, credo, iudicium ALEXANDER III. *in cap.* 10. *h. t.* ferre debuiſſet. Ad condemnationem cardinalis presbyter. 72. teſtes ius canonicum requirit, nec id a diuina lege, et SS. patrum inſtitutis alienum eſſe iudicat, licet in ore duorum vel trium ſtet omne verbum. Quidquid ſit, voluit pontifex, *vt teſtamenta, quae parochiani coram presbytero ſuo, et tribus vel duabus aliis perſonis idoneis*

in

[redacted]

in extrema fecerint voluntate, firma permaneant. cit. cap. 10.

An vi huius decretalis duo teſtes cum parocho ſolennitatis, an tantum probationis cauſa adhibendi ſint, diſputatur. *vid.* Engel. *ad h. t. n.* 14.

§. CCCXCIV.

Quod tantum obligat in territorio pontificis, et ubi receptum eſt.

Cuius conſtitutionis normam in territorio romani pontificis, aliisque locis, vbi libere recepta eſt, obſervandam eſſe non abnuimus. Quod ſi vero putes, clericos, vbi vbi demum ex hac formula teſtari poſſe, vehementer erras. Ex quo enim Maximilianvs I. imp. in *comitiis colonienſibus.* an 1512. *conſtitut. de notariis* modum teſtandi ex iure ciuili romano adprobauit, clericosque in negotiis ciuilibus recta ratio, et reuelatio principibus ſubiicit, fruſtra eos legibus ciuilibus eximi contenditur, niſi doceatur exemtio.

Iterum, iterumque repeto conſtitutiones eccleſiaſticas in hac materia per ſe non eſſe adtendendas, niſi earumdem in foris quibusdam receptio aliud iubeat.

§. CCCXCV.

§. CCCXCV.

Teſtamenta condere poſſunt omnes, qui non prohibentur.

Teſtamenta condere poſſunt *omnes*, *quibus non interdicitur*. Prohibentur autem iure canonico teſtari 1.) *Religioſi* poſt emiſſa vota ſolennia religionis *can. 7. cauſ. XIX. q. III. cap. 2. h. t. auth. ingreſſi cod. de SS. eccleſ.* 2.) *Vſurarii manifeſti cap. 2. de vſur. in 6.* quod tamen, niſi iure ciuili receptum ſit, non obtinet, cum ſit poena temporalis, idem 3.) de *percuſſore cardinalis* ſentiendum *cap. 5. de poen. in 6.* 4.) *Haeretici* eorumque *fautores lib. 4. cod. ſ. 5. de haeret. cap. 13. §. 5. de haeret. et apoſtat. l. 3. cod. de apoſtat.* Sed quinam in foro ciuili nomine haereticorum cenſeri debeant, id non a theologis, ſed ex legibus publicis Germaniae noſtrae decidendum. Vide INSTR. PAC. OSNAB. *art. V. ſ. 1. et 35.*

Pontificem poſſe regularibus teſtandi facultatem impertiri, communis eſt canoniſtarum ſententia: ſi autem teſtamentum factum ſit ante profeſſionem, quaeritur, an ea ſubſequuta id rumpatur? An haereditas ex eo debeatur haeredi, et legata legatarius mox poſt profeſſionem teſtatoris petere poſſit, vel an eius exſpectanda ſit mors naturalis? Item, an religioſi iam profeſſi teſtamentum poſſint reuocare iam conditum ante profeſſionem? De quibus omnibus plura in ipſis praelectionibus dicemus.

§. CCCXCVI.

[redacted]

§. CCCXCVI.

ci omnes, et epiſcopi imprimis teſtari poſſunt.

Clericos teſtamenta condere poſſe pro arbi- dubium non eſt. *l.* 34. 50. *cod. de epiſc. et Nouell.* 123. *cap.* 19. quod tamen ad bona epiſcopatum, vel poſtea titulo mere laicali iſita reſtringitur per varias leges, et ca- es. *l.* 42. *ſ*. 2. *cod. de epiſc. et cler. Nouell. cap.* 13. *ap.* Grat. *cauſ.* XII. *q.* V. *per cap.* 1. 2. 7. *et* 9. *h. t.* quod autem dicitur piſcopis, id quoque de reliquis clericis, iniſtrationem bonorum eccleſiae habenti- intelligendum eſt. *Nouell.* 131. *cap.* 13. od. Trid. *ſeſſ.* 25. *cap.* 1. *de reform.* qui- olena relinquitur libertas de bonis vel hae- ate, vel arte, vel doctrina, alioue profa- omine adquiſitis in teſtamento decernendi. 19. 12. *h. t.*

§. CCCXCVII.

tamen non de bonis ab eccleſia perceptis.

Sed de bonis per eccleſiam adquiſitis epiſ- s, clericisque ceteris iam pridem veti- fuit teſtamenta condere. *l.* 42. *ſ*. 2. *cod. iſc. et cler.* S. Gregor. *lib.* V. *epiſt.* I. *et* V. *epiſt.* I. *et lib.* VII. *epiſt.* 52. relat. in *cap. t.* perſeverauit haec pluribus ſeculis diſ- na, eamque retinendam etiam ſeculo XII.

ſanciuit *concilium lateranenſe ſub* ALEXANDRO III. *in cap. 7. h. t.* Conſuetudinem tamen hic pontifex *non improbandam* cenſet. *cap. 12. h. t. vt aliqua ex his* (bonis clericalibus) *conferantur pauperibus et religioſis locis, et illis, qui viuenti ſeruierant, ſiue conſanguinei ſint, ſiue alii iuxta ſeruitii meritum.*

ESPEN *I. E. V. P. II. ſect. IV. tit. I. cap. VII. §.* 1. 17.

§. CCCXCVIII.

Non obſtante conſuetudine contraria vel diſpenſatione pontificia.

Verum licet conſuetudo, his terminis ſemper conſtricta non diſpliceret, eos tamen ſenſim laxatos eſſe experientia docemur, adeo quidem, vt et diſpenſandi facilitate, et bona diſcernendi difficultate porta iam pateat ampliſſima teſtandi. Inde libertas teſtandi de prouentibus eccleſiaſticis vel intuitu eccleſiae adquiſitis circa *ſeculum XV.* paulatim inualuit. At neque *conſuetudo*, neque *diſpenſatio* pontificis efficere poſſunt, vt ad cauſas quoque profanas clericis ſit teſtandi licentia. Non ignorabant PP. trid. in multis prouinciis paſſim clericorum, et epiſcoporum teſtamenta ad vſus profanos tolerari. Nihilominus non obſtante hac conſuetudine vrget SS. SYNODVS antiquorum canonum obſeruantiam, et *omnino interdicit, ne ex reditibus eccleſiae conſanguineos, familiares*

[redacted]

os augere ſtudeant, ſed ſi pauperes ſint, pauperibus diſtribuant.

ſ. XXV. cap. 1. de reform. Espen. loc. cit. §. 12. rationes pro, et contra adfert. P. Boeckn *t. num.* 45. *ſeqq.*

§. CCCXCIX.

foro externo huiusmodi teſtamentum retineatur.

it ergo electio ad beneficium eccleſiaſti- nus digni, omiſſo digniore, in foro oſo non reprobatur, eligens tamen et ſuum laedit, et iuſtitiam violat, ita ntum clericorum de prouentibus eccleſia- vſus profanos, aut fauorem conſangui- non indigentium non reprobatur in fo- rno propter odia litium, diſponentes niuſtitiae labe non abſterguntur, neque s immunes ſunt officii ad offerentium, et naturam bonorum, prouentus hos ndi.

c. cit. ſ. 22. S. Bernard. *epiſt.* 276. monet ificem, vt irritum declaret teſtamentum epiſ- tanquam ab homine non ſanae mentis factum, pauca eccleſiae, et pauperibus, pleraque ne- relinquebantur.

§. CCCC.

Haeredis inſtitutio eſt Fundamentum teſtamenti.

Haeredis inſtitutio eſt ſolennitas interna, caput et fundamentum teſtamenti. §. 34. *Inſtit. de legat.* haec conferri nequit in alterius arbitrium *l.* 32. *pr. ff. de haered. inſtit.* Aſt reſcripſit INNOCENT. III. *cap.* 13. *h. t. quod, qui extremam voluntatem in alterius diſpoſitionem committit, non videtur decedere inteſtatus.* Verum nec potuit, nec voluit hic pontifex iura ciuilia corrigere. Nam cum a ſede apoſtolica indulgeretur epiſcopo, vt poſſit diſponere de rebus clericorum ab inteſtato decedentium, reſcripſit papa, vt circa diſpoſitionem rerum clericalium nominatus a defuncto praeferatur epiſcopo, non vt proprie alium haeredem inſtituat, ſed vt ex mente defuncti eius bona, quemadmodum feciſſet epiſcopus, ad pias cauſas eroget.

Conf. cap. 18. *de V. S. P.* ENGEL. *h. t. num.* 18. *diſſert.* P. POECKN *h. t. num.* 76. *ſeqq.*

§. CCCCI.

Conditio mutandae religioni nullo modo impoſſibilis eſt, adeoque implenda.

Poteſt autem haeres inſtitui vel pure, vel ſub conditione. Conditio impoſſibilis vel turpis alios quidem contractus vitiat, ſed vltimis vo-

[redacted]

oluntatibus adiecta ipſa vitiatur, et pro non liecta habetur. Igitur quaeſtio eſt, an huc ferri debeat conditio mutandae religionis, ıando quis haeres inſtituitur, legatoue hono- ıtur, ſub conditione, ſi catholicam religio- em amplectatur? Quilibet rerum ſuarum ar- iter in actu vltimae voluntatis adponit valide nditionem quam vult, et quam velle poteſt, ondition autem *amplectendae religionis ca- holicae* ſemper in imperio adprobatae, ec natura, nec iure, nec facto hominis, ec perplexitate impoſſibilis, nec contra bonos ıores eſt, ergo adponi vltimae voluntati po- eſt.

id Bvckisch *in obſeruat. in hiſt. polit. ad inſtr. P. O. art. V. §. 35. obſeru.* 97. quamuis autem haeredi- tas, vel legatum ſub conditione ita relinqui poſ- ſit, vt conditione non impleta nihil debeatur. certiſſimi tamen iuris eſt dari quoque conditiones, quae ex diſpoſitione iuris ciuilis tanquam bono publico contrariae pro non adiectis reputantur, vt ſi virgini haereditas vel legatum ſub conditio- ne, *ſi non nupſerit*, relinquatur, vel *ſi nupſerit, cen- tum, ſi non nupſerit, ducenta* legentur, ei etiam nu- benti haereditas, vel legatum, et quidem ducen- ta deberi deciditur in *l. 72. §. 5. et l.* 100. *ff. de condit. et demonſt. add. Nou.* 123. *cap.* 37.

§. CCCCII.

Teſtamentum filii familias clerici de peculio quaſi caſtrenſi teſtantis querela inofficioſi expugnari poteſt.

Sunt, quos *neceſſario* haeredes inſtituere debemus. in *l. fin.* §. 1. *cod. de inoff. teſtam.* filiifamilias, qui de peculio *quaſi caſtrenſi* diſponunt, hoc priuilegio gaudent, *ut neque eorum teſtamenta inofficioſi querela expugnentur*, ſed aliter hic dicendum de *filiofamilias clerico Nou.* 123. *cap.* 19. *et auth. presbyteros cod. de epiſc. et cler.* vbi, quidem filiisfamilias clericis de peculio quaſi caſtrenſi facultas ordinandi teſtamentum conceſſa eſt, hac tamen cum reſtrictione: *vt horum filii, aut his non exſtantibus, parentes eorum legitimam ferant partem.* Hac clauſula quoad clericos ius commune reſuſcitatum eſt, et quod aliis filiisfamilias datum, clericis denegatum eſt.

§. CCCCIII.

Etſi clericus eccleſiam fecerit haeredem.

Non deſunt tamen, qui hoc limitant, *niſi clericus teſtator eccleſiam, ordinem religioſum, vel monaſterium inſtituerit haeredem*, quo facto ne quidem neceſſe eſſe volunt, vt liberi, vel parentes inſtituantur haeredes in legitima; multo minus iis largiuntur querelam inofficioſi teſtamenti. Verum ſunt haec eius generis,

quae

quae pro immatura ſaepius cauſarum piarum pietate finguntur potius, quam probantur; nullibi quippe legitur poſſe cauſam piam praeteritis haeredibus neceſſariis haeredem inſtitui.

Quam alienus ab hac ſententia fuerit S. Avgvstinvs legimus ap. Grat. *can.* 43. *cau. XVII. q. IV. Quicunque*, inquit, *vult exhaeredato filio haeredem facere eccleſiam, quaerat alterum, qui ſuſcipiat, non Auguſtinum, imo Deo propitio nullum inueniet.* Vid. Richter. *vol. II. conſil.* 115. vbi caſum quaeſtionem hanc illuſtrantem adfert.

§. CCCCIV.

Valet teſtamentum novitii, in quo monaſterium praeteritum eſt.

Similis eſt ratio *novitiorum*, qui ante profeſſionem teſtamenta condentes liberos ſuos, vel parentes negligere non debent. *auth. ſi qua mulier. cod. de SS. Eccleſ.* Potius ipſum *monaſterium* plane *praeterire* poſſunt. Hic enim agitur de nouitio, in quo monaſterium nondum aliquid iuris habet, adeoque nec *filii*, nec *parentum* locum intrare poteſt. Hinc Ivstinianvs *Nouell. 5. cap. 5.* inquit, *illud quoque decernimus, qui in monaſterium introire voluerit, antequam monaſterium ingrediatur, licentiam habere, ſuis vti, quo voluerit modo.*

§. CCCCV.

Iure canonico quidam haeredes inſtitui nequeunt.

Quidam iure canonico quoque haeredes inſtitui nequeunt, ſic 1.) *Religioſi* priuati eo effectu, vt ipſi adquirant haereditatem. 2.) *Haeretici*, eorumque defenſores *cap.* 15. *de haeret. in* 6. & *apoſtatae, illique* 3.) qui *cardinalem hoſtiliter inſequuntur*, vel percutiunt. *cap.* 5. *de poen. in* 6. 4.) *Conuentus fratrum minorum de obſeruantia*, et *PP. capucinorum* ob ſpeciales ordinis ſui conſtitutiones, aliaeque domus religioſae bonorum temporalium etiam in communi non capaces, quibus nec aeſtimatio debetur.

§. CCCCVI.

Spuria cauſarum piarum priuilegia recenſentur.

Inter *teſtamenta priuilegiata*, ſeu *minus ſolennia* ſpectatis moribus noſtris eminet *teſtamentum pium*, cum quo pari paſſu ambulat *legatum pium*, *ſeu diſpoſitio mortis cauſa ex motiuo pio facta*, *vt vel cultus diuinus promoueatur*, *vel indigentiae proximi ſuccurratur*, *vel internus animae noſtrae ſtatus perficiatur*. Priuilegia eiusmodi piis cauſis tribui ſolita, quod adtinet, in iis ampliandis mirifice luxuriantur interpretes. Ex proprio ingenio infinita fingunt, atque iura *fiſco*, *militiae*, *libertati*, *doti*, pu-

pupillis, *aetati*, *reipublicae* conceſſa inuita iuriſprudentia obtorto ſaepius collo ad has cauſas pertrahere conantur. Verum iura ſingularia in conſequentiam trahenda non eſſe. *l.* 14. *ff. de legib.* neque interpretum eſſe priuilegia etiam ob identitatem rationis augere, vbi de legislatoris voluntate non ſatis conſtat, ſateantur oportet.

Nulla ergo alia cauſarum piarum priuilegia agnoſco, quam quae in iure ſpecialiter, et expreſſo iis tributa, et inde in foris noſtris recepta eſſe conſtat. Inter talium priuilegiorum conditores eminent ANDR. TIRAQVELL. *de priuilegiis cauſ. piar.* et AVG. BARBOSA *lib. II. iure eccleſ. cap.* 13. quos alii magno agmine ſequuti ſunt.

§. CCCCVII.

Iure ciuili ad teſtandum inhabilis nec ad cauſas pias teſtari poteſt.

Inde minime probare poſſum opinionem eorum, qui docent, *teſtamentum ad cauſas pias* confici ab omnibus poſſe, qui *iure naturae* ad teſtandum *habiles* eſſe cenſentur, licet *iure ciuili* teſtamenti factione arceantur, quod diſtinctioni vtriusque poteſtatis ſacrae, et politicae, mutuaeque vnius ab altera independentiae ſtabilitae manifeſte repugnat. Si ergo legislator ciuilis ſuis ſubditis facultatem teſtandi ſine exceptione adimat, interpretum non eſt adhibita teſtamenta inter profana et pia diſtinctione legis ciuilis vim, et auctoritatem eludere. Cer-

te legiſlator ciuilis non tenetur in materia temporali poteſtati ſuae obnoxia piae cauſae ſpeciale priuilegium largiri, poteſtque, quod inde conſequitur perſonas quasdam ad teſtandum abſolute, et ſimpliciter inhabiles reddere; quia facultas de bonis ſuis temporalibus mortis cauſa diſponendi ſubditi eiusdem beneficio in acceptis referant oportet. Nec paterfamilias iniquitatis argui poteſt, ſi bona ſua fideicommiſſi vinculo conſtricta familiae ſuae relinquat, etſi fideicommittentis haeredes, et poſteri iure de iis etiam ad pias cauſas teſtandi excidant.

Caue ergo exiſtimes leges ciuiles, quae filiisfamilias, prodigis, deportatis, capite damnatis, ac perſonis id genus aliis teſtandi poteſtatem adimunt, peccati labe eſſe inquinatas, licet cauſis piis ſpes horum bona per teſtamentum adquirendi praeſcindatur. Illud conceſſero, filiumfamilias de bonis ſuis aduentitiis cum adſenſu patris poſſe aliquid iudicare, quod permittit pontifex in *cap. 4. de ſepult. in 6.* ſed notes velim, aliud eſſe pro anima ſua aliquid iudicare, quod inter viuos, et mortis cauſa fieri poteſt, aliud *teſtari*, quod ius ciuile prohibet, nec ius canonicum concedere potuit, imo nec voluit. vid. SCHILTER *in praxi iur. rom. in foro germanico exercit. XXXII. §. 14 ſeqq.*

CCCCVIII.

[redacted]

§. CCCCVIII.

Teſtamenta ad pias cauſas condita jure ciuili haud ſunt priuilegiata.

Idem iudicium eſto de *forma externa teſtamenti ad pias cauſas* conditi. Quamuis enim iure ciuili teſtamentum parentum inter liberos absque ſolennitatum adparatu confectum valeat *l.* 21. *ſ.* 1. *cod. de teſtam.* ab hoc tamen legum ciuilium rigore teſtamentum pium nullibi exemtum, ſed contrarium perſpicuis verbis ſtatutum eſſe legitur in *l.* 13. *cod. de SS. eccleſ.* vi cuius *eccleſiae*, *martyrio*, *clero*, *monachis* vel *pauperibus* relictum tum demum praeſtandum eſt, ſi vltima voluntas *omni iuris ratione ſit munita.* Inde recte concludes regulam generalem in *c. l.* ſtabilitam *ex imperfecto teſtamento voluntatem defuncti non tenere* etiam intuitu cauſae piae permanere inmutabilem, donec probetur mutatio.

Equidem in *l.* 1. *cod. de SS. Eccleſ.* vnicuique licere dicitur eccleſiae, quod optauerit relinquere, quoniam nihil magis conuenit, quam vt *ſupremae voluntatis liber ſit ſtilus*, *et liberum*, *quod non redit*, *arbitrium.* Sed nemo non videt, diuerſiſſima eſſe eccleſiae haereditatem, aliaque poſſe relinqui, et poſſe ſine ſolennitatibus, de quo lex ſilet.

§. CCCCIX.

§. CCCCIX.

Aliud ſpectato iure canonico dicendum.

Quamquam autem ſpectato rigore iuris ciuilis haec ita ſe habeant, eundem tamen pontifex ALEXANDER III. lege condita in ſuo territorio temperaturus iudicibus velletrenſibus reſcribendo hiſce verbis mandauit, *vt, ſi aliqua cauſa ſuper relictis eccleſiae non interuenientibus ſeptem, vel quinque idoneis teſtibus ad eorum examen fuerit deducta, eam non ſecundum leges, ſed ſecundum decretorum ſtatuta tractent, tribus aut duobus legitimis teſtibus requiſitis*, ſubiuncta hac ratione; *quoniam ſcriptum eſt, in ore duorum, vel trium ſtat omne verbum,* quae ſunt verba *cap.* 11. *h. t.*

§. CCCCX.

Cuius diſpoſitio in praxi eſt recepta.

Vtrum vero haec conſtitutio canonica extra territorium temporale pontificis vim, et auctoritatem legalem extendat, et ita diffundat, vt teſtamentum pium iuxta normam huius conſtitutionis confectum in Germania pro legitimo, et valido habeatur? acerrime controuertitur. Si auctoritate ſit certandum, plena victoria ſtat pro *ſententia adfirmante*, cui et ego, ſed nulla alia ratione permotus ſubſcribo, quam quod haec lex pontificia ſponte recepta iure ciuitatis apud nos ſit donata, omnem-

[redacted]

nemque ſuam vim, et effectum legalem, qui ei ſua natura extra territorium temporale eccleſiae non ineſt, vniuerſali receptioni et conſuetudini in Germania vigenti in acceptis referat, cuius in vtroque iure tanta eſt auctoritas, et efficacia, vt legem canonicam, et ciuilem authentice interpretari vel omnino tollere, et abrogare, aliamque ſubrogare queat. *cap. 8. de conſuet. et l. 37. 38. ff. de L. L.*

Hanc conſuetudinem vniuerſalem, et praxim in germania exiſtere, et in foro, ac tribunalibus dominari, concors eſt fere omnium iuriſconſultorum in theoria, et praxi verſatiſſimorum catholicorum aeque ac proteſtantium teſtimonium, et doctrina, quibus plenam eſſe fidem adhibendam ratio ſuadet. Praecipui proteſtantium ſunt Carpzov. *P. III. conſtit. 4. defin. 33. num. 3. et 4.* Lavterbach. *in colleg. ff. de teſtam. milit. §. 48.* Stryck. *de caut. teſtam. cap. XII. §. 1. ſeqq.* Boehmer. *in iur. eccleſ. proteſtant. h. t. §. 19.* Leyser. *in ſupplem. ſpecim. 351. medit. 12. vol. XI.* Mevivs. *ad ius lubec. l. 2. tit. 1. art. 2. n. 27.*

§. CCCCXI.

Argumenta quaedam in contrarium refelluntur.

Nec dicas: a poteſtate legiſlatoria ciuili exercitio conſiliorum euangelicorum conditis legibus nequidem poſſe impedimentum poni, et in teſtamento ad pias cauſas ceſſare finem legum ciuilium ſolennitatem adſtruentium, quum opus tam ſanctum periculo fallaciarum non videa-

tu, et geſtibus, interrupto quoque contextu manifeſtata, et declarata, atque in arbitrium et voluntatem tertii collata, inſtituto etiam haerede incerto, vt, ſi forte pauperes, *quos voluerit epiſcopus*, vel ii in genere inſtituantur.

Hoc enim in caſu non tam inſtitutionis ſubſtantia, quam determinatio pauperum pendet ex arbitrio alieno, quum pauperes ſint abſolute ſcripti, et inſtituti. vid. *l. 7. §. 1. ff. de reb. dub. l. 24. ff. de leg. 2. et l. 24. 49. cod. de epiſc. et cler.*

§. CCCCXIV.

Ex teſtamento imperfecto debentur legata pia, etſi nulli teſtes adfuerint.

Inde vlterius 1.) conſequitur, vt ex teſtamento *imperfecto* in quo extraneus eſt inſtitutus haeres, debeantur legata ad pias cauſas, ſi vel maxime pauciores, quam *quinque teſtes*, adfuerint, quia ita ab inteſtato legata pia debentur, licet cetera aliis relicta non ſubſiſtant 2.) Vt quoque *legata* ad pias cauſas *valeant*, ex teſtamento parentum inter liberos modo priuilegiato condito, nam licet pia cauſa inter perſonas extraneas referenda ſit, talis tamen eſt, cui quoque ſine teſtibus legari poteſt, quos ergo IMPERATOR in *Nouell.* 107. *cap.* 1. non cenſetur excludere voluiſſe.

§. CCCCXV.

[redacted]

§. CCCCXV.

A legato pio non detrahitur falcidia.

Porro et illud ſingulare eſt, quod 3.) legata pia *detractioni falcidiae* non ſolum eo demum caſu, ſi haeres in mora praeſtandi illa fuerit, ſed in regula ſimpliciter non ſint ſubiecta. *Nouell.* 131. *cap.* 12. quod tamen priuilegium ad *trebellianicam* non eſſe trahendum videtur.

Boehmer *ad h. t.* §. 25. *ſeqq.*

§. CCCCXVI.

Epiſcopi ſunt executores teſtamentorum piorum.

4.) Aliud priuilegium teſtamentis et legatis piis tributum eſt in *l.* 28. *l.* 46. *l.* 49. *cod. de epiſc. et cler.* et *nouel.* 131. *cap.* 11 vi quarum legum *executio* eiusmodi diſpoſitionis commiſſa eſt *epiſcopis* illius loci, ex quo teſtator *ortum* traxit, vel *domicilium* habuit, ſi teſtamentarii executores deficiant. *Auth. licet cod. de epiſc. et cler.* quod et antiquiſſimae diſciplinae S. Ivstin. Martyr. *in apolog. II in fin. et iur. canon. c.* 3. 6. 17. *h. t.* conforme eſt. Imo licet epiſcoporum officium ceſſare videatur, teſtamentariis datis executoribus, non tamen in totum ceſſat, ſed adhuc prouidere debent, vt hi quoque non deſint officio ſuo.

Trid. *ſeſſ. XXII. c.* 8.

§. CCCCXVII.

Vltima voluntas praeciſe eſt exequenda.

Et in modo quidem exequendi hoc primum eſſe debet, vt executor ſine mora praeciſe votum defuncti ſequatur, eiusque *voluntatem modis omnibus implere ſtudeat*, cuius commutatio non niſi ſuadente graui cauſa auctoritate legitimi ſuperioris eſt facienda.

TRID. *ſeſſ. XXII. c. 6. clem. 2. de relig. dom. l. 28. cod. de epiſc. et cler. l. 4. dig. de adminiſt. rer. l. fin. dig. de oper. publ.* quomodo autem contra moroſos haeredes procedi debeat, et de eorum poenis vid. *nou.* 131. *c.* 10. 11. 12. et ſpeciatim *l.* 46. *c. de epiſc. et cler.* item §. 19. *et* 23. *inſt. de act.*

§. CCCCXVIII.

Minuuntur legata pia per detractionem portionis canonicae.

Legata pia *minuuntur* per *detractionem portionis canonicae*, quam epiſcopus ex iis, quae pro ſalute animae relicta ſunt eccleſiae pro diuerſa locorum conſuetudine, alicubi *tertiam*, alibi *quartam* partem detrahit, vt autem huic detractioni locus eſſe queat, requiritur 1.) vt *ad pias cauſas*, et quidem 2.) *vltima voluntate*, ac 3.) *eccleſiae*, vel intuitu eccleſiae aliquid ſit relictum, et vt haec 4.) *iurisdictioni epiſcopi* eam detrahere volentis ſubiaceat, nec 5.) pium legatum ſpeciali priuilegio gaudeat,

nec

[redacted]

nec denique 6.) *huic detractioni* 40. *annis* praeſcriptum ſit oportet.

C. 15. *et fin. h. t. c.* 16. *off. iud. ord. c.* 4. *de praeſcript.*

§. CCCCXIX.

Sunt et alia priuilegia cauſarum piarum ſpuria, et dubia.

Atque haec quidem diſpoſitionum piarum iura ſingularia praecipua liquido, et certo iure fundata ſunt. Sunt etiam *ſpuria, et dubia* paucis commemoranda. Aiunt 1.) *legata ad pias cauſas* deberi *teſtamento* licet *deſtituto, et non adita haereditate.* 2.) Legatum pium *a ſubſtituto* relictum etiam deberi *ab inſtituto.* 3.) In legatis ad *pias cauſas obſcuris*, et incertis, non quod *minus*, ſed quod *maius* eſt, deberi, cum in aliis, quod minus eſt, debeatur. *L.* 39. §. 6. *de leg. I.* 4.) Liberis *abſtinentibus ab haereditate paterna*, nihilominus illa deberi. 5.) Quando duo teſtamenta adſunt, nec conſtat, quale ſit *prius*, quale *poſterius*, in quo legatum eſt ad *pias cauſas poſterius* eſſe cenſendum. Sed cui bono plura adhuc figmenta adferam?

Vid. Tiraqvell. qui 167. priuilegia cauſarum piarum liberali manu largitur, et plura adhuc ſupereſſe credit. vid. Boehmer. *loc. cit.* §. 38. *ſeqq.*

[redacted]

§. CCCCXX.

Res aliena etiam ſpectato iure canonico legari poteſt.

Sunt, qui aliquam differentiam *inter ius ciuile et canonicum* in eo ſe deprehendere putant, quod illud quidem *rem alienam* teſtatorem *legare* permittat, hoc vero tale legatum c. 5. *h. t.* repudiet. Sed *nullam* inter ius vtrumque intercedere *pugnam* luculenter adparet ex canone *concilii agathenſis*, quem Gratianvs in can. 5. XII. q. 5. ita recenſet: *ſi epiſcopus condito teſtamento aliquid de eccleſiaſtici iuris proprietate legauerit, aliter non valebit, niſi tantundem de iuris proprii facultate ſuppleuerit.*

Gregorivs M. auctor. cit. c. 5. nec voluit, nec potuit claram hac in re iuris ciuilis diſpoſitionem improbare, ſed quia eius obtentu epiſcopus neſanenſis rem a non domino legatam ſuae eccleſiae pro ſepulturae pretio retinebat, eamque eccleſiae conſentinae vindicanti, ad quam pertinebat, reſtituere detrectabat, donec eius ab haerede aeſtimationem recepiſſet, atque ita legem ciuilem (quae id nunquam permiſit) ſiniſtre interpretaretur, reſcripſit Gregorius, etiamſi lex ciuilis eiusmodi *retentionem* permitteret, iniuſtam tamen futuram in perſona epiſcopi, *cui lege Dei, non lege ſeculi viuendum* eſt, hoc eſt, cui etiam illud, quod licet, ſi dedeceat, fugiendum, et conſequenter in propoſita ſpecie ne quidem contra haeredem pro aeſtimatione dandum eſſe iudicium, quod pro eccleſiaſtica ſepultura pretium, iuxta illorum temporum diſciplinam (*vid. cap.* 9. *de ſimon.*) exigi citra turpitudinem non poſſit, vti integram Gregorii epiſtolam *L. VII. indict. I. epiſt.* 4. inſpicienti in oculos incurrit.

§. CCCCXXI.

[redacted]

§. CCCCXXI.

Duplicis quartae detractio ex recepta interpretatione iuris canonici permittitur.

Illa notiſſima quaeſtio, vtrum legitima in trebellianicam ita imputanda ſit, vt, ſi illam liberi detraxerint, hanc amplius detrahere nequeant? iuxta receptam interpretationem *in cap.* Raynvtivs 16. *et* C. Raynaldvs 18. deciſa videtur, quod liberis fideicommiſſo grauatis (purum ſit, an conditionatum, ibi non diſtinguitur) *et legitimam, et trebellianicam deducere* liceat.

TITVLVS XXVII.

DE SVCCESSIONIBVS AB INTESTATO.

§. CCCCXXII.

Clericis in patrimonialibus et quaſi eodem modo ſucceditur, vt laicis.

Vt de ſucceſſione clericorum clarius conſtare poſſit, memoria repetenda eſt ſtabilita (ſup. tit. XXV) bonorum, quae ipſis competunt, varietas. *In patrimonialibus et quaſi clericis* ſuccedunt *haeredes legitimi* ſecundum *nouell.* 118. Tantum enim abeſt: vt vllibi a SS. canonibus correcta ſit, aut

corrigi potuerit, vt potius non obſcure recepta videatur. *can.* I. *XII. q. IV.*

EX NOVELL. *cit.* ſuccedentium tres ſunt claſſes. 1.) deſcendentium. 2.) aſcendentium. 3.) collateralium. Et licet alia ſit iuris canonici gradus cognationis computandi ratio, in hac tamen materia *mere* temporali obtinet iuris ciuilis computatio, conf. HEINECC. *L. c.* INST. *lib. III tit.* 1. 14. PAND. *part. VI. lib. XXXVIII. tit.* 17. *append.*

§. CCCCXXIII.

Reſpondetur ad obiectiones.

Neque obſtat huic adſertioni *concilium agathenſe* apud GRAT. *can.* 34. *XII. q. II.* quod epiſcopo ſine filio aut nepotibus mortuo alium, quam eccleſiam, haeredem haud permittit. Neque *triburienſe* in *cap.* 2. *h. t.* quod presbyterorum defunctorum peculium in partes quatuor iuſſit diuidi, quarum vnica tantum parentibus adſignatur. Nam *can.* 34. *cit.* epiſcopis proponi conſilium non praeceptum imponi vult. *Gloſſ. in can. cit. V. alium.* Et *cap.* 2. *cit.* loquitur de presbyteris libertinis, quibus non, ſicut de aliis clericis inteſtatis eſt dictum, ſuccedunt ſoli conſanguinei, ſed in parte ſolum quarta, reliquae vero tres partes in opera pia diſtribuuntur, vt ita compenſetur libertas, quam pietatis, et diuini officii intuitu ſunt conſecuti.

VIVIANVS *in cap.* 2. *h. t.* GONZALEZ *in cap.* 1. *de teſtam. num.* 11. *et* 15.

§. CCCCXXIV.

§. CCCCXXIV.

clerico haeredibus exiſtentibus eccleſia ſuccedit, cui miniſtrauit.

lerico autem *inteſtato decedente*, ſi nemo nguineorum adſit, in *patrimonialium bo- haereditatem eccleſia* venit, *cui operam L.* 20. *cod. de epiſc. et cler. can. fin. q. V. cap.* 1. *h. t.* Si vero in nulla eccle- iniſtrauit, eius inteſtati bona deuolui ad *fiſcum eccleſiae* loci, in quo eſt verſa- arbitrio epiſcopi in pias cauſas impen- l. *L.* 56. *cod. de epiſc. et cler. l.* 10. *D. fiſc.* Verum ex conſuetudine hic per- ndae ſunt res, et quod conſequitur in illis, vbi vacua ſibi bona fiſcus regius at, bona etiam clericorum profana vin- praeſertim cum fiſcus epiſcopalis ſine egio principis concipi non poſſit.

§. CCCCXXV.

ericalibus indiſtinctim haeres eſt eccleſia.

bonis clericalibus, ſi religioſius ius re- mus, nemo *haeres* eſt *legitimus*, praeter- *eccleſia cap.* 1. *et fin. de pecul. cleric. cap.* 12. *de teſtam.* Et quidem ſi fuit in ali- ollegio, huic ſucceſſio competit, ſi ha- editus a collegio ſeparatos, bona cedunt iae, vel ſucceſſori in beneficio cum obli- e diſtribuendi in vſus pios *cap. fin. de d. in* 6. Si autem clericus plura bene-

[redacted]

ficia habuit, diuiſio eſt facienda inter eas eccleſias cum proportione redituum a ſingulis perceptorum. *cap. 12. de teſtam.* Similis diuiſio facienda inter eccleſiam, et haeredem, ſi conſtet clericum reliquiſſe et patrimonialia bona, et clericalia, confuſa inter ſe, vt diſcerni non poſſint.

§. CCCCXXVI.

Etſi plerumque contraria vigeat conſuetudo.

Ab his tamen iuris canonici definitionibus, quantumuis perſpicuae, et aequiſſimae ſint, multum, varieque receſſum eſt, nam plerumque etiam conceditur, vt *inteſtatis* ſuccedant *proximi conſanguinei in bonis clericalibus.* Verum niſi haeredes iſti onus id ſimul recipiant, et bona iisdem finibus impendant, quibus ipſe olim tenebatur clericus, non video ego, quid in hac conſuetudine laudari poſſit?

Conf. ſup. tit. de pecul. cleric. CANIS. *in cap.* 1. *h. num.* 84. NAVARR. *de redit. eccleſ. q. III. monit. XI. num.* 3.

§. CCCCXXVII.

Monaſterium nec nouitiis, nec ſi incapax ſit haereditatis, profeſſis ſuccedit.

Dicendum quoque aliquid eſt de haeredibus nouitiorum, ſeu tironum religioſorum, et profeſſorum inteſtatorum. Illis monaſteria exclu-

[redacted]

cluſis aliis haeredibus ſuccedere falſiſſimo aiunt, cum monaſterium loco filii nouitio eſſe nuſpiam ſit expreſſum, adeoque nec legitimam quidem conſequitur. De his regulae inſtar notanda eſt diſtinctio inter eos, qui religionem ſucceſſionis capacem, et qui incapacem ſunt ingreſſi, ſi hoc, et ante profeſſionem nihil diſpoſuerit religioſus, bona eius omnia ab ipſa profeſſionis die ad proximos conſanguineos, alioſque haeredes ab inteſtato deuoluuntur, quaſi naturali morte defunctus eſſet.

Poſt concil. trid. omnia monaſteria regularium etiam mendicantium habent ius ſuccedendi ſuis profeſſis, praeter domus S. J. et monaſteria fratrum minorum de obſeruantia, et capucinorum.

§. CCCCXXVIII.

Religio vero capax haereditatis admittitur ad ſucceſſionem profeſſorum.

Si illud, eius bona, quocumque titulo quaeſita ſint, omnia ad monaſterium immediate, absque noua adprehenſione, imo inſcio et inuito etiam profeſſo, transferuntur, *auth. ingreſſi cod de SS. eccleſ. auth. ſi qua mulier, cod. ibid. Nou.* 5. *cap.* 5 *Nou.* 123. *cap.* 38. *can.* 7. 9. *XIX. q. III.* ita tamen, vt liberis non ſolum, ſed etiam parentibus, ſi quos habent, legitima poſt profeſſionem ſtatim debita ſit relinquenda, quae quidem regula vniuerſalis eſt, nihilominus tamen aliter ſaepe ſentiendum eſt, in cer-

tis iuribus, feudis, bonis emphyteuticis, maioratibus, et reliq.

De his late SCHMALZGRVBER *ad h. t. num.* 70. *ſeqq.*

§. CCCCXXIX.

Clerici ſuccedunt, etſi apoſtatae.

Non tantum *ſucceditur clericis*, ſed et ipſi ſuccedunt ſecundum normam in *nou.* 118. praeſcriptam, etiamſi religionem impie mutarent. Quamuis enim vi reſeruati eccleſiaſtici omnia beneficia eccleſiaſtica, quae habent, ipſo iure amittant vi *art. V.* §. 15. *J. P. O.* a iure tamen ſuccedendi ab inteſtato, quod iisdem beneficio legum ciuilium competit, eos pax Weſtphalica excluſiſſe non videtur, *cit. art.* §. 35.

§. CCCCXXX.

Aliud tamen de religioſis apoſtatis ſentiendum.

Quid vero, ſi religioſus ab aris catholicorum auffugerit? Niſi me omnia fallant, eos recte ſentire cenſeo, qui *religioſum fidei catholicae*, et *ordinis religioſi deſertorem omni iure ſuccedendi* vi profeſſionis ſolennis votum, et pactum inuoluentis ab vtraque republica adprobatae, et acceptatae *excidiſſe* pronunciant. Quo enim titulo, vel praetextu religioſus profeſſus, qui voto paupertatis ſponte, et libere edito, omni iure ſuccedendi ſe ipſum abdicauit,

[redacted]

nit, illudque in monaſterium bonorum temporalium capax, vel in ſuos conſanguineos, ſi religio horum bonorum ſit incapax, ſine vlla reſeruatione transtulit, ad iura ſponte et libere abdicata, et in alios legitime translata, et acceptata ius redeundi retinere, vel de nouo adquirere potuit? Omnia iura clamant ad iura legitime renunciata regreſſum non dari, cui principio tamdiu inuiolabiliter erit inhaerendum, quamdiu exceptio in legibus noſtris eccleſiaſticis et ciuilibus priuatis vel publicis et fundamentalibus fundata luculenter probari nequit.

§. CCCCXXXI.

Quibus pax Veſtphalica non fauet.

Norunt omnes, canones, et leges ciuiles ante pacem religioſam et Weſtphalicam latas religioſo apoſtatae hac in re minime fauere, ſed nec in dictis pacificationibus vllum praeſidium pro iis inuenio. licet enim §. 35. *art. V.* auguſtanae confeſſionis ſubditos *ab haereditatibus* arcendos eſſe prohibeat, hoc tamen ad religioſum transfugam extendi non poteſt, qui vi voti, et pacti renunciatiui ab vtraque republica acceptati ſe ipſum ſucceſſionis haereditariae incapacem reddidit. Nec malae cauſae illa clauſula *rebus ſic ſtantibus* patrocinabitur, quae profeſſioni religioſae nec ex natura rei, nec ex diſpoſitione legis in praeiudicium aliorum, quibus plenum, perfectum, et irreuocabile ius inde quaeſitum eſt. Nec nouum eſſe dicit.

cit Ic. PAVLVS *l.* 85. *D. de reg. I. vt quae ſemel vtiliter conſtituta ſunt, durent, licet ille caſus exſtiterit, a quo initium capere non potuerunt.* Minime vero omnium praedicta clauſula locum habet, ſi mutatio rerum et ſtatus ab alterius ex contrahentibus *arbitrio pendet,* atque inducitur.

§. CCCCXXXII.

Filio profeſſo ante patrem ſuum decedente monaſterium ad ſucceſſionem non vocatur.

Quod ſi *filius religionem profeſſus ante ſuum patrem* deceſſerit, in propatulo eſt, *monaſterium nullo modo ad haereditatem* venire poſſe, cuius ius ſuccedendi in perſona filii profeſſi radicatum cenſetur eſſe conditionatum, ſi ſcilicet filius praemortuo patre ſuperſit, vt adeo filius praedefunctus aliquod ius repraeſentationis in monaſterium ſine fictione iuris, quae in nulla lege vel canone fundatur, transferre non potuerit.

[redacted]

TITVLVS XXVIII.

DE SEPVLTVRIS.

§. CCCCXXXIII.

Origo ſepulturae.

Nulla fere gens tam barbara, et ab ipſo humanitatis ſenſu fuit aliena, quae placi-
te ſtatione humana decedentibus, debita, ac
ſta non perſoluiſſet. Quantam *romani* pro
ortuis curam habuerint, ex iure illorum,
iod nobis ſupereſt, abunde adparet. Eadem
nerum curam *iudaei* quoque cum *patriar-
is* eximiam geſſerunt. Et ab ipſo *eccleſiae
ordio maiores* noſtri certis, et ſtatis ritibus
rpora chriſtianorum, vt animarum domici-
et templa Spiritvs Sancti, ſepelire do-
ierunt, eorumque ſepulturam congruis ho-
oribus ornarunt.

ld. *tit.* Dig. *de relig. et ſumpt. fun. de mort. infer. de ſepulchr. viol.* Genes *XXV.* 9. 10. *L.* 13. Devt. *XXXIV.* 6. Syrac. *XXXVIII.* 16. *iunct. VII.* 36. Tob. *I.* 20. 21. *II.* 7. Origen. *lib. VIII. contra Celſum*, S. Hieron. *lib. I. epiſt.* 25. 8. S. Avgvst. *lib. I. de ciuit. Dei cap.* 13. *et lib. de cur. pro mort.* — *de iure ſepult. peculiari cap.* 19. *lib. II. de I. B. ac P. agit* Grotivs illudque ad ius gentium voluntarium refert. Pvffendorff. autem I. N. et G. *lib. II. cap.* 3. illud ad officia humanitatis pertinere ait.

§. CCCCXXXIV.

§. CCCCXXXIV.

Sepulturae eccleſiaſticae k) *ritus.*

Inde deſcendit *ſepultura eccleſiaſtica*, quam modo pro *iure ſepeliendi*, modo pro *ritibus et cerimoniis*, quae adhibentur, modo pro *loco ſepulturae* accipi vides. *Ritus*, plurimi, quibus hodie circa mortuos, eorumque ſepulturam vtimur, non tantum iudaeis, ſed et gentilibus fuere communes, atque tam ab his, quam illis ad chriſtianos peruenerunt. Impoxia certe imitatio, *ſi velimus accepta ab illis eſſe, quid abſurdum, ſi eadem in veri Dei cultum conuerſa fuerint, vt alia multa?* BARON. *annal. ad an. 58. Nos non propter ſuperſtitionem profanorum debemus muſicam fugere, ſi quid inde vtile ad intelligendas ſcripturas rapere potuerimus.* S. AVGVSTIN. *lib. II. de doctr. chriſt.*

k) VAN ESPEN. *I. E. V. P. II. ſect. IV. tit. VII. cap.* 1. ſingularem libellum de rit. ſepel. mort. ap. vet. chriſt. conſcripſit ONVPH. PANVIN. qui etiam in LX. antiqq. rom. libb. ſingularum gentium cerimonias ritusque circa hanc rem expoſuit. Hodie ſepulturam eccleſ. eam dicimus, quae fit in benedicto coemeterio cum lumine, pſalmis, et ſacris orationibus *can.* 28. *XIII. q. II.* nec non oblatione *can.* 12. *XXIII. q. V.* thurificatione, aquae benedictae adſperſione, conuocatione cleri, et populi.

§. CCCCXXXV.

[redacted]

§. CCCCXXXV.

Sepultura in vrbe olim prohibita.

Apud *romanos* ſepultura in vrbe iam inde *a XII. tab.* tempore erat prohibita, *hominem mortuum in vrbe ne ſepelito, neue vrito. L.* 3. §. 5. *Dig. de ſepulchr. viol. L.* 12. *cod. de relig. et ſumpt. fun.* Eundem morem ſeruarunt *chriſtiani* longo tempore, tum Romae, tum *alibi*, chriſtiana tamen religione inualeſcente, *ſedes*, ſiue ſepulchra *apoſtolorum, et martyrum intra vrbes* permiſſa fuere. Ambiebant fideles iuxta eadem ſepeliri, ergo translatis, vt dixi, in vrbes ſacris corporibus, et aedificatis ibidem baſilicis martyrum, ſepulturam ſibi in iisdem deſiderabant. *L.* 6. *cod. theodoſ. de ſepulchr. viol.*

Van Espen *L. c. cod. II.*

§. CCCCXXXVI.

Tandem vero permiſſa fuit.

Hoc populi deſiderio partim pietate, partim aemulatione ſubnixo, et ambitione, ſenſim ſepulchra vrbana inualuere, confirmata per Leonis *conſtit.* in *nouell.* 53. Quo priorum chriſtianorum exemplo factum, vt ſepulturis non quidem ipſae eccleſiae, ſed loca prope eccleſias deſignata et conceſſa fuerint, idque tam intra, quam extra vrbes, vbicunque eccleſiae parochiales ſiue publicae eſſent

ex-

extructae. Haec loca varia quidem nomina ſortita ſunt, vſitatius autem et olim, et hodie dicuntur *coemeteria.*

Deſumta eſt haec vox a graeco verbo κοιμάω, quod dormire ſignificat, recte enim dormientes dicimus, quos certum eſt reſurrecturos. S. HIERON. *aduerſus Vigilant.*

§. CCCCXXXVII.

Et quidem praecipue in coemeteriis.

Eſt autem coemeterium locus publicus ad ſepulturam vnice, auctoritate ſacra ſolemniter deſtinatus. Hinc non poteſt locus aliquis pro fidelium ſepultura deputari, niſi auctoritate epiſcopi, a quo etiam benedicendus eſt. *cap.* 4. *de relig. dom.* quia pro parte, aut verius pro porticu, et area ipſius eccleſiae habetur *cap.* 10. *de immunit. eccleſ. c. vn. ibid. in* 6. *cap.* 7. *de conſ. eccleſ.* ita tamen, vt etiam ſimplex ſacerdos ex delegatione epiſcopi coemeteriis benedicere poſſit. Ex ipſius dein coemeterii benedictionis formula, quae hodie in pontificali legitur, ſat conſtat, coemeterium varie benedici ad inhumationem corporum humanorum.

Quandonam ritus benedicendi coemeteria initium ſumpſerit, incertum eſt. Eius ſane meminit S. GREGOR. TVRONENS. *de glor. confeſſ. cap.* 106. VAN ESPEN. *cit. loc. c. II. §.* 19. *ſeqq.*

§. CCCCXXXVIII.

[redacted]

§. CCCCXXXVIII.

Poſtea vero in ipſa quoque eccleſia.

Ergo prohibitum erat in *eccleſia ſepeliri*, ed *in atrio*, aut *in porticu*, aut *in exedris* ec:leſiae permiſſum. *can.* 15. *XIII. q. II.*; ve'um eodem tempore, quo pluribus in ſynodis ıaec prohibitio fuit repetita, coepit non tan.um epiſcopis, et presbyteris, ſed et quibuſlam laicis honoris, et meritorum cauſa ſepul:ura in ipſis eccleſiis concedi. Erant quidem ıaec *merita* indeterminata adhuc, ſed ea lai:orum ambitione, et clericorum facilitate mox ta determinata ſunt, vt eccleſiae factae iam int diuitum quorumcunque ſepulchra, relic.is in ſepulturam pauperum coemeteriis.

Van Espen *L. c.* §. 34. cuius *criſin* acerbam dicit P. Zech. *de iur. rer. p. I. ſect. II. tit.* 23. §. 507. ſed acerba non eſt, quam experientia comprobat.

§. CCCCXXXIX.

In regula quilibet ſepeliendus, in propria parochia.

Sicut parochus viuorum curam ſpiritua:em ſuſtinet, ita et, vt defunctos non deſerat, ed ipſis quoque iuſta perſoluat. Hinc pla:ıum eſt, eccleſiam parochialem eiusque coeneterium eſſe proprium, et aliis praeferenlum ſepulturae parochianorum locum, et pa'ochum ordinarium exequiarum aliorumque ıfficiorum defunctis perſoluendorum mini-

[redacted]

ſtrum, niſi ex aliquo titulo ſpeciali exceptio oſtendatur *cap.* 3. *de ſepult. cap.* 2. *eod. in* 6. *clement.* 2. *eod. Ius enim funerandi, et exequiarum eſt de iure parochiali, quemadmodum et ſacramentorum exhibitio.* Parochiani autem, quantum ad ſepulturam, hi dicuntur, qui intra limites parochiae ita morantur, vt ſacramenta viui in ipſa percipere, et parochi ipſis adminiſtrare teneantur.

Eſt haec regula omnium poſt ABBAT. *ad cap.* 9. *de ſepult. num.* 8. interpretum communis.

§. CCCCXL.

Et religioſi intra ambitum monaſterii.

Religioſis praelatus pro parocho eſt, ipſumque monaſterium quodammodo pro parochia. Ergo et per ipſum ſuperiorem exequiae pro illis celebrari, et in monaſterii ambitu, quod vice coemeterii eſt, vel in eccleſia ſepeliri debent *cap. fin. de ſepult. in* 6. nec alibi ſepulturam eligere queunt. Canonici et clerici eccleſiae cathedralis ſepeliendi ſunt in eccleſia cathedrali, tametſi forſan in alia parochia habitent.

CARD. TVSCVS *pract. concluſ. lit. P. conclus.* 99. *n.* 5.

§. CCCCXLI.

[redacted]

§. CCCCXLI.

Excipitur, niſi quis habeat ſepulchrum maiorum aut alibi elegerit ſepulturam.

Quamuis autem parochialis eccleſia de iure communi fundata ſit, quoad ſepulturam parochianorum omnium, ita tamen hoc intelligendum eſt, niſi defunctus habeat ſepulchrum *maiorum*, in quo potius, quam in parochia ſepeliendum eſſe ex *cap.* 1. *et* 3. *h. t.* deſumunt. Vtrique tamen ſepulturae, nempe parochiali, et maiorum praefertur a defuncto *electa cap.* 1. 2. §. 1. *h. t. in* 6. Et licet electio in loco *minus religioſo* impugnanda non ſit *cap.* 3. *h. t.* vnanimi tamen conſenſu canoniſtae concludunt electionem factam de *loco profano* tanquam irrationabilem eſſe reſpuendam.

Per *noua, et minus religioſa loca cap.* 3. *h. t.* in quibus non poteſt ſepultura eligi, intelliguntur loca profana, ſed quando in *cap.* 2. §. 1. *eod. in* 6. permittitur ſepultura in loco *minus religioſo*, intelligitur oratorium vel ſacellum, in quo non eſt religioſorum fratrum conuentus, nec frequenter miſſarum ſolennia celebrantur vid. van Espen *L. c. c. III.*

§. CCCCXLII.

Haec electio liberrima eſt.

Igitur vnicuique libera eſt electio ſepulturae, ita vt nec poteſtas mariti in vxorem, quae alias tumulanda eſſet in ſepulchro mari-

ti, et quidem vltimi, ſi plures habuerit. *cap.* 3. §. 1. *de ſepult. in* 6. *can.* 2. 3. *XIII. q. II.* nec patria poteſtas impedimento ſit vxori, vel filiof. puberi, quo minus ſibi eligat etiamſine conſenſu mariti, vel patris ſepulturam. *cap.* 7. *h. t. cap.* 4. *eod. in* 6. Pro impuberibus autem electionem habet pater *cap.* 7. §. *vtrum. h. t.* quamuis electio ſepulturae fieri ſoleat in teſtamento, non eſt tamen actus ſolennitatibus vltimarum voluntatum ſubiectus, ſed eſt ſpecies mandati poſt mortem exequendi.

VAN ESPEN *l. c.* §. 26. *ſeqq.* de priuilegio eccleſiis fratrum praedicatorum, et minorum S. Franciſci conceſſo. *vid. Clement.* dudum 2. §. huiusmodi extrauag. comm. h. t. de refroenata illorum cupiditate *vid. cap.* 1. *h. t. in* 6. *Clement.* 3. *ne poen.*

§. CCCCXLIII.

Oblationes funerariae parocho competunt.

Plurima ſunt ſynodorum, et S. pontificum decreta, quae vno conſenſu exactiones omnes pro ſepultura, et exequiis non tantum prohibuerunt, ſed vt ſimoniacas reprobarunt *can.* 12. 14. 15. *XIII. q. II.* nec ſub obtentu cuiusquam conſuetudinis adprobarunt. *can.* 8. *et* 9. *de ſimon. cap.* 13. *h. t.* Sicuti autem clericis vetitae exactiones, itaet laicis vetatur laudabiles, offerendi conſuetudines infringere *cap.* 42. *de ſimon.* Hinc ne circa iſtas laudabiles conſuetudines per exceſſum aut defectum aberretur, epiſcoporum et magiſtratuum auctoritate opus erit, vt modus, et menſura hiſce oblationibus ponatur,

[redacted]

natur, in quarum ſicut omnium aliarum, percept one fundatam in iure parochus intentionem habet.

§. CCCCXLIV.

Et ſi alibi ſepultura fiat, ius exequiarum.

Dixi ſoli eccleſiae parochiali ius ſepulturae competere. Nihilominus ſucceſſu temporis illud aliis paſſim locis religioſis ex priuilegio communicatum eſſe conſtat. Diſparata autem ſunt defunctorum ſepultura ſeu inhumatio, et exequiae pro defuncto perſoluendae: ergo vno indulto nequaquam cenſetur alterum conceſſum. Hinc ipſi ſummi pontifices priuilegiis illis, quibus ius ſepulturae concedere ſolent, clauſulam inſerunt, ſalua iuſtitia eccleſiarum, a quibus mortuorum *corpora adſumuntur cap.* 9. *h. t.* Vnde licet corpora mox ad electae ſepulturae locum deferantur, exequiae tamen de iure celebrandae ſunt in eccleſia parochiali, et ea ſolennitate, ad quam haeredes compelli poſſent, ſi ſepultura alia non eſſet electa.

§. CCCCXLV.

Et quarta funeralis.

Inſuper dum ad aliam eccleſiam ſepultura cum oblationibus ibi faciendis transferri permittitur, iuſtum quoque viſum fuit, vt eccleſia parochialis non in totum ab illis oblatio-

nibus excluderetur, ſed et ipſi pars aliqua cedere deberet. Qualiscunque autem haec ſit pars, *quarta funeralis*, ſeu *portio canonica* vocari ſolet. *cap. 2. h. t. in 6. In Clement. 2. h. t.* pro ſubmouenda diſcordia parochorum et praedicatorum, fratrumque minorum ad quartam partem omnium obuentionum fuit limitata, et in TRID. SYNOD. *ſeſſ.* 25. *cap.* 13. *de reform.* confirmata pro illis locis, in quibus iam ante annos 40. cathedrali aut parochiali eccleſiae ea ſolita eſſet perſolui, ac poſtea fuerit ex quocunque priuilegio aliis piis locis conceſſa.

Tertia pars parochiali eccleſiae adiudicatur in *cap.* 1. *h. t. media* pars in *cap.* 2. *eod. quarta* in *cap.* 8. *eod.* Demum CLEMENS III. *cap.* 9. *eod.* decidit attendendum eſſe ad conſuetudines locorum. Et reuera cum vſus huius portionis longiſſimi temporis conſuetudine tolli poſſit. *Trid. l. c.* de facto in plurimis locis Germaniae ſublata videtur. Vid. de his omnibus adcurate agentem VAN. ESPEN *l. c. cap. IV. V.*

§. CCCCXLVI.

Priuantur parricidae ſepultura eccleſiaſtica.

Grauiſſimam apud gentiles poenam fuiſſe, carere ſepultura, notiſſimum eſt. Vnde de *parricidis* tanquam ſceleſtiſſimis, decretum fuit, vt cadauera eorum aut in mare proiicerentur, aut beſtiis obiicerentur deuoranda *L.* 11. §. 3. *D. de his, qui not. infam.* et *L.* 35. *D. de relig. et ſumpt. fun.* Eccleſia nullo quidem cano-

[redacted]

canone prohibet omnem ſepulturam vel inhumationem, quorundam tamen corpora *loco religioſo aut ritu eccleſ.* ſepeliri vetat. Sacris quippe *canonibus eſt inſtitutum, vt quibus non communicamus viuis, non communicemus defunctis cap.* 12. *h. t.*

§. CCCCXLVII.

Aliique.

Sepultura ergo eccleſiaſtica denegatur 1.) omnibus *non baptizatis. cap.* 27. 28. *diſt. I. de conſec.* 2.) *Haereticis*, eorumque *receptoribus, fautoribus. cap* 8. 13. *de haeret. cap.* 2. *eod. in* 6. 3.) qui *non communicarunt in paſchate* ad praeſcriptum canonis *omnis vtriusqueſexus cap.* 12. *de poenit. et remiſſ.* 4.) *mortuis in torneamentis. cap.* 1. *de torneam.* 5.) *mortuis in duello*, etſi poenitentes moriantur Trid. *ſeſſ.* 25. *cap.* 19. *de reform.* 6.) *Vſurariis manifeſtis*, donec pro vſuris ſatisfecerint. *cap.* 3. *de vſur. cap.* 2. *eod. in.* 6.

De religionibus in Germania ſtatuitur in *inſt. Pac. Veſt. art. V. §.* 35. *ne quis intuitu religionis a publicis coemeteriis, honoreue ſepulturae arceatur.* Intelligi hoc non poteſt de locis, vbi publicum acatholicae religionis exercitium non toleratur. Ex eo quoque, quod catholici a ſacris ſuis coemeteriis profanas inhumationes arceant, minime ſequitur proteſtantes catholicis inter ſe habitantibus ſepulturam in ſuo coemeterio denegare poſſe, vti tamen putat Boehmervs *in exercit. ad pandect. tom. II. exercit.* 42. *de iur deneg. commun. coemeter.*

[redacted]

§. CCCCXLVIII.

Idem.

Inſuper a ſepultura eccleſiaſtica excludimus 7.) *religioſos proprietarios cap.* 2. 4. *de ſtat. monach.* 8.) qui *decimas ad eccleſiam pertinentes* non reſtituunt. *cap.* 19. *de decim.* 9.) *notorie excommunicatos can.* 1. *XXIV. q. II. cap.* 12. *h. t.* niſi ante mortem vel abſoluti fuerint, *cap. fin. h. t.* vel ſaltim ſigna poenitentiae dederint, et abſolutionem poſt mortem ritu eccleſiaſtico obtinuerint *cap.* 28. *de ſent. excommun.* 10.) *nominatim interdictos clement.* 1. *de ſepult.* niſi poenituerint, *cap.* 20. *de ſent. excomm. in* 6. 11.) qui *ſibi ipſis libere mortem inferunt. can.* 12. *XXIII. q. V.* 12.) denique rituale romanum negandam dicit eccleſiaſticam ſepulturam *manifeſtis et publicis peccatoribus, qui ſine poenitentia perierunt.*

Vid. ESPEN *l. c. cap. VI.*

[redacted]

TITVLVS XXIX.

DE

PAROCHIIS ET ALIENIS PAROCHIANIS.

§. CCCCXLIX.

Parochiarum inſtitutio eſt antiqua.

Quin antiqua ſit parochiarum inſtitutio, et diuiſio, haud dubitari poteſt. Etenim, licet *tribus prioribus ſeculis* nullae ruri, ac ne in vrbibus quidem praeter cathedralem, erant eccleſiae, creſcente tamen fidelium numero, quod ſeculo IV. praecipue contigiſſe nouimus, et vrbium ampliſſimarum regiones, et ſinguli pagi ſuos presbyteros habere coeperunt.

THOMASIN. *in V. et N. E. D. P. I. lib. II. cap.* 21. 22. Qui parochiarum inſtitutionem DIONYSIO *papae* ex *can. I. XIII. q. I.* tribuunt, ſpuriis ISIDORI mercibus falluntur. *Parochiae* autem vox barbara eſt, vt obſeruauit DV FRESNE *in Gloſſar.* voc. *parochia.* Dicitur enim a graeco Παροικία, ergo deberet dici *paroecia*, *paroecus*, *paroeciani* VOSS. *de vit. ſerm. lib. I. cap.* 2. In prima quidem origine *paroecia*, *et dioeceſis* eiusdem erant ſignificatus. Poſtea cum plures eccleſiae vni epiſcopo ſubiicerentur, aliquando *paroecia* deſignabat idem, quod hodie *dioeceſis can.* 5. 6. *diſt.* 92. et viciſſim *dioeceſis* nomen vſurpatum videbimus pro ruralibus eccleſiis SINOD. APOLLIN. *lib. IX. epiſt.* 16.

§. CCCCL.

Primitus in ciuitatibus plures exſtructae ſunt certis adſignatis coetibus.

Pace enim eccleſiae reddita vel noua omnibus in locis exſtruebantur templa, vel iam exſtructa, et paganis adempta in vſus chriſtianorum conuertebantur. In maioribus ciuitatibus vnum templum fidelibus non ſufficiebat, hinc plura in vno loco erecta fuere. Inde plures in vna ciuitate coetus formabantur, et ſingulis templis portio gregis adſignabatur. Omnes vero manebant ſub cura epiſcopi, ita tamen, vt ille maiori praeeſſet: reliquis minoribus vero quosdam ex presbyteris, et diaconis praeficeret.

§. CCCCLI.

Hinc diſtinctio inter eccleſias cathedrales, et parochiales, easque vel rurales, vel ciuitatenſes eſt orta.

Porro ex quo cauebatur, ne amplius in agris eſſent epiſcopi, ſed ſaltim presbyteri, illis in locis extra vrbes, vbi nouae eccleſiae colligebantur, presbyteri fuere conſtituti ſub cura, et inſpectione epiſcopi. Inde orta eſt diſtinctio inter eccleſias *cathedrales, et parochiales*, easque vel *rurales*, vel *ciuitatenſes*.

NOVELL. III. *cap.* 1. EPIPHAN. *haereſ.* 69. ATHANAS. *apolog.*

§. CCCCLII.

§. CCCCLII.

Parochorum inſtitutio eſt diuina.

Eſt ergo *Parochia coetus fidelium, cui* *eſt presbyter ad curam animarum, intra* *os limites ex officio exercendam, ſuperio-* *auctoritate conſtitutus.* Hic presbyter vo- *r parochus*, ſeu *rector eccleſiae cap.* 3. *de aegrot.* cui totius parochiae cura incum- Diuinam eſſe parochorum inſtitutionem, :o liquet, quod ſicut epiſcopi apoſtolorum, parochi LXX. diſcipulorum ſucceſſores *diſt. XXI. pr.* de quibus pariter verum quod poſiti ſint a SPIRITV S. regere ec- am Dei. ACT. XX. 28. Salua tamen maio- :e epiſcoporum.

.EN. L. III. *contr. haeres. cap.* 14. *num.* 2. S. HIE- RON. *in epiſt. ad Tit. c.* 1. *v.* 7. ISIDOR. HISPAL. *de offic. eccleſ. L. II. cap.* 7. variis adhuc nominibus deſignatur parochus, ſic *cap.* 4. *de cler. aegrot.* di- citur SACERDOS, *qui in parochiali eccleſia praelatio- nis officio fungitur. In cap.* 3. *de off. iud. ord. et cap.* 5. *de ſtat. monach.* PLEBANVS. *In clement.* 2. *de ſe- pult.* PAROCHIALIS ECCLESIAE CVRATVS. *In can.* 1. 2. *ſeq. XXVI. q. VI. can* 106. *Diſt.* 4. *de conſerc. cap.* 21 *h. t.* PRESBYTER ſimpliciter adpellatur.

§. CCCCLIII.

nouas erigendi parochias epiſcopo competit.

Ius nouas erigendi parochias epiſcopo com- t ſine conſenſu pontificis. Si autem forte ocorum diſtantiam parochiani ſine magno in-

incommodo ad ſacramenta percipienda, et diuina officia frequentanda accedere non poſſent, epiſcopi erit, nouas parochias etiam inuitis rectoribus conſtituere, et ſacerdotibus praeficiendis portionem ſuo arbitrio ex fructibus ad eccleſiam matricem quomodocunque pertinentibus adſignare.

SYNOD. TRID. *ſeſſ.* 21. *cap.* 4. 5. *ſeſſ.* 24. *cap.* 13. *de reform.*

§. CCCCLIV.

Parochorum vero officium in cura animarum conſiſtit.

Parochorum officium generatim in *cura animarum* conſiſtit. Hinc tenentur oues ſuas agnoſcere, ſacramenta illis adminiſtrare, miſſas frequenter celebrare, iis verbo, et exemplo, et labore non interrupto viam chriſtianae iuſtitiae monſtrare, aliaque plura, quae fini parochorum conformia ſunt, peragere. Quibus obligationibus vt ſatisfaciant, neceſſe eſt, vt *reſideant*, ſuas functiones paſtorales, quantum fieri poteſt, ipſi *per ſe ipſos* perſoluant.

Clement. 2. *de ſepult.* TRID. SYNOD. *ſeſſ. XXIII. c.* 1. 14. *ſeſſ. XXIV. c.* 1. 2. 7. *de reform. matrim.* In contin. *ſeſſ.* 25. *decret. de delect. cibor.*

§. CCCCLV.

§. CCCCLV.

iam alios ſibi in ſubſidium ſubſtituere poſſunt.

enim populus ita numeroſus ſit, vt ector non poſſit ſufficere eccleſiaſticis ntis miniſtrandis, et cultui diuino per-, *cogantur rectores ſibi tot ſacerdotes* munus adiungere, *quot ſufficiant ad nta adminiſtranda et cultum diuinum ndum.*

YNOD. *ſeſſ.* 21 *cap.* 4. *de ref.* VAN ESPEN. *P. t. III. cap.* 1. *ſeqq.*

§. CCCCLVI.

Illorumque varia ſunt iura.

l etiam iura parocho competunt, quae *arochialia* vocantur. Vnde habet 1.) *tis baptismalis* 2.) *Eius eſt forum poe-ile*, ita, vt parochiani teneantur ſaltim in anno proprio ſacerdoti confiteri, et iter de iure communi, non alteri ſine parochi conſenſu. 3.) *Ius diſpenſandi ntum euchariſtiae in paſchate*, quo e parochiani ſine licentia parochi non cclesia parochiali poſſunt ſacram ſyna-cipere. 4.) *Ius adminiſtrandi moribun-rum viaticum, et extremam vnctionem. ſiſtendi* tanquam *teſtis ſolennis nuptiis, benedicendi.*

§. CCCCLVII.

[redacted]

§. CCCCLVII.

Idem.

Porro 6.) *parochi* eſt, *denunciare populo matrimonia contrahenda, dies feſtos, ieiunia, indulgentias.* 7.) *benedictio cinerum, fontis baptiſmalis, carnium, herbarum, etc.* 8.) *concedere ſepulturam et exigere portionem canonicam*, vbi in vſu eſt- 9.) *ius decimarum, primitiarum, oblationum.* 10.) Tandem *habet limites parochiae ſuae ita firmos*, vt neque alius hunc ſuum diſtrictum inuolare, et ibi ſacra adminiſtrare, neque quando certo de iis conſtat, praeſcriptione mutari poſſint.

Cap. 18. *de praeſcript. cap.* 12. *de poenit. et remiſſ. Clement.* 1. *de priuil. cap.* 2. *h. t.* BARBOSA *de offic. et poteſt. paroch.* P. WIESTNER *ad h. t. art.* 2.

§. CCCCLVIII.

Quo etiam referuntur iura ſtolae.

Iura ſtolae, quae parochi exigunt, quod adtinet, ſunt ea honoraria, et ſportulae, quae ratione ſtolae, ſeu officii ſacri praeſtantur. Originem trahunt a ſpontanea oblatione, quae ſemper permiſſa fuit: haec in neceſſitatem variis artibus tracta, et conſuetudinis nomine defenſa fuit. Nihil quidem in his iuribus reperitur, quod iuſtitiae repugnet. Sed ſi quid vitii in illis reſidet, in eo hoc conſiſtit, vbi *ſeuere* nimis, et *amare*, et intempeſtiue exiguntur, maxime ſi alios reditus ſufficientes

ha-

ſi noua accidentia introducuntur, ſi
a extendantur. Strictam enim inter-
em intuitu horum accidentium obti-
ſuaſiſſimum habeo.

§. CCCCLIX.

erminatur parochorum obligatio.

: parochi *eſt oues proprias noſcere, eas t adpaſcua educere, ita ouium eſt, vocem vocantem ſequi.* Ioan. X. Hanc paro-m obligationem ſupponens Trid. Sy-copis mandat, *vt moneant populum, vt r ad ſuas parochias ſaltem diebus do-t maioribus feſtis accedant. ſeſſ. XXII. de obſeru. et euit. in celebr. miſſ. ſſ. XXII. c.* 4. Tanta quippe ex fre-ne parochiae commoda, et e contra neglectu incommoda proueniunt, vt commendari nequeat.

. *cap.* 2. vbi etiam non ſolum contra orato-u capellas, et alias parochiales eccleſias, ntra religioſorum quoque ordines eccleſiae hialis ius firmatum fuit. Espen *l. c. C. X.* i meretur *Extrauag.* 2. *int. comm. de treug.* . in qua exhibetur compoſitio grauis diſcor-n partibus Germaniae inter religioſos mendi-, et parochos agitatae a Sixto IV. P. an. confirmata.

T I-

[redacted]

VLVS XXX.

DE

DECIMIS, PRIMITIIS ET OBLATIONIBVS.

§. CCCCLX.

Decimarum vſus eſt antiquiſſimus.

Iam dudum ante legem Moyſis decimarum vſus inualuerat. Etenim ABRAHAMVS *Melchiſedecho* regi pariter et ſupremi numinis ſacerdoti *decimas ſpoliorum* obtulit. GENES. *XIV*. 8. IACOBVS *ſui pecoris decimas* non minus ſancte *promiſit*, quam mactando etiam decimum quodque religioſe *exſoluit*, GENES. *XXVIII*. 22. Ipſi quoque ETHNICI pietatem hanc imitabantur; nam *decima quaeque veteres diis ſuis offerebant*. FESTVS *de V. S voc. decimae*. Regibus porro, vt ex oratione *Samuelis* adparet *I. reg. VIII*. 15. 17. et frugum et animalium decima pars inſtar tributi olim pendebatur.

§. CCCCLXI.

Per legem moſaicam poſtea praeceptus.

Adhuc nulla lege diuinitus ſancitum eſſe oſtendes, vt decima pars fructuum ſummo rerum omnium conditori deuoueatur, donec

DEVS

DEVS MOYSE *internuncio* alias inter leges hanc etiam HEBRAEIS proſcribebat, vt ſacerdotibus et leuitis, eoquod ipſis in diſtributione chanaam praeter vrbes quadraginta octo, quas ſparſas per tribus omnes obtinuerant Ios. *XXI.* 39. continua terrae portio nulla obtigit, *fructuum ſuorum partem decimam* impertirent. NVM. *XVIII.* 23. 26. EXOD. *XXII.* 29. *cap.* 1. *h. t.*

SPENCER *de leg. Ebr. ritual. lib. III. Diſſert. I. cap.* X. HOTTINGER. *de decim. Iudaeor.* Quibus add. eruditiſſimi SELDEN. *hiſtor. decimar.* quam in linguam latinam transtulit, IOAN. CLERICVS, et *comment. ad Pentateuch.* adiecit.

§. CCCCLXII.

Dein ad eccleſiam chriſtianam.

Ab *origine eccleſiae chriſtianae* fideles, Apoſtolorum, et SS. patrum hortationibus obtemperantes, largiſſime *poſſeſſiones ſuas*, eleemoſynae impendendas in *eccleſiam* contulerunt. Mox argumento ex lege moſaica deducto ad decimas clero praeſtandas excitari coeperunt. Verum tantum abeſt, vt per *tria haec priora ſecula* vlla lege ad decimas rotunde exſoluendas fuerint adſtricti, vt potius contrarium ex illorum temporum hiſtoria adpareat.

§. CCCCLXIII.

Sanctorum patrum cohortationibus traductus eſt.

Poſtquam *ineunte ſeculo IV.* eccleſiae pax, et tranquillitas reddita fuit, frequentiores fuiſſe patrum adhortationes comperimus, vt *rerum diuinarum miniſtris decimae* perſoluerentur. Et licet ex ipſo adhortandi modo euidenter conſtet, neque tunc vllum eccleſiae praeceptum ad illas, ſicut neque ad illas eleemoſinas, et oblationes largiendas adfuiſſe, nihilominus crebris hiſce patrum, et paſtorum monitionibus ſideles ad decimarum oblationem multum permoti fuere, atque in plurimis locis ſenſim populus decimarum conſuetudinem admittere didicit.

§. HIERON. *in cap.* 3. *Malach.* S. CHRYSOST. *homil. V. in epiſt. ad Epheſ.* S. AVGVSTIN. *in enarrat. ad Pſalm.* 146. *add. can.* 65. *XVI. q. I. can.* 4. *XVI. q. VII.* CHRIST. LVPVS. *tom. IV. ſchol. in canon. pag.* 195. Saue in conciliis ſeculi IV. nulla de decimis fit mentio. Illa, quae de decimis in concilio romano ſub Damaſo anno 382. ſtatutis producuntur ſubleſtae ſunt fidei. Spuriae quoque ſunt conſtitutiones Apoſtol *lib. IV. cap.* 25. 27. 29. *et* 35. *lib. VIII. cap.* 30. fateor tamen illas haud parum ad decimarum introductionem contuliſſe.

§. CCCCLXIV.

[redacted]

§. CCCCLXIV.

nde conſuetudo decimas praeſtandi inualuit.

Hinc factum eſt, vt *conſuetudine* inualeſ-
nte, quae *vim legis* habet, id quod hactenus
ät *voluntatis*, poſtea effectum *neceſſitatis* ha-
erit, ipſique epiſcopi refractarios ad ſolu-
nem decimarum adigere coeperint. Miti-
runt hunc rigorem, quod ad eccleſiam ori-
ıtalem adtinet, imperatoriae ſanctiones, ita,
: quamuis non conſtet, vetitam iis vnquam
iſſe decimarum petitionem, hoc tamen cer-
m ſit, a multis ſeculis decimarum penſatio-
m apud orientales fuiſſe ignotam, aliosque
o cleri ſuſtentatione reditus iam a Iuſtinia-
fuiſſe ſubſtitutos.

§. CCCCLXV.

andem ſeculo VI. lege I.) *eccleſiaſtica expreſ-
ſa praeceptae ſunt.*

At in quibusdam eccleſiis latinis decima-
m ſolutionem tanquam neceſſariam, et iam
culo V. lege expreſſa praeceptam fuiſſe, ex
rmone, qui ſub nomine S. Avgvstini in
n. 66. *XV. q. I.* refertur, et reuera Caesa-
ivm Arelatens. auctorem habet, quidam
lligunt. Hanc obligationem clarius, et cer-
us *ſeculo VI.* expreſſit Synod. Matisco-
ens. *can.* 5. cuius patres *ſtatuunt, ac decer-
unt, vt mos antiquus a fidelibus reparetur,
decimas eccleſiaſticas famulantibus cerimo-*

niis populus omnis inferat . . . ſi quis autem contumax noſtris ſtatutis ſaluberrimis fuerit, a membris eccleſiae omni tempore ſeparetur.

Ergo ante CONCIL. MATISCONENS. II. eiusque can. 5. *an.* 585. habitum nulla lege noua, quam quae conſuetudine naſcitur, iniuncta fuit decimas clericis ſoluendi neceſſitas. Itaque ante hoc decretum illarum exſolutio vel traditione ſolum eccleſiaſtica, vel conſuetudine iuxta vſque fidelium inculcabatur.

§. CCCCLXVI.

Seculo VIII. autem CAROLVS MAGNVS *lege* II.) *ciuili earum praeſtationem ſubditis impoſuit.*

Sancitis, et ſtatutis canonum obligationem praeſtandarum decimarum fidelibus iniungentium iam inde *a ſeculo VIII.* inter IMPERATORES, et REGES *francorum* primus vim et auctoritatem legis ciuilis impertitus eſt CAROLVS M. in *capitulari* an. 779. condito praecipiens c. *VII. vt vnus quisque ſuam decimam daret*, et c. *XIII. de rebus eccleſiarum, vnde nunc cenſus exeunt, decima, et nona cum cenſu ſoluatur.* Cum vero huic conſtitutioni Franci morem non gererent, eandem Carolus in *capitulari francofurtenſi an.* 794. noua hac lege c. XXIII. confirmauit, iuſſitque, vt *decimas, et nonas ſiue cenſus omnes generaliter donent, qui debitores ſunt ex beneficiis, et rebus eccleſiarum ſecundum priorem capitularem domni Regis. Et omnis homo ex ſua proprietate*

timam decimam ad eccleſiam conferat. gem deinde etiam a Carolo ſaxonibus domitis fuiſſe impoſitam, *capitulatio us Saxoniae c. XVI. et XVII.* nos non ſinit.

s vide ſis apud BALVZ. de *capitularibus Reg. or. tom.* I. *col.* 197. 254. 267. Addi meretur *n. dominicum an.* 800. a Carolo editum, *de ho- et adiutorio epiſcopis praeſtando a comitibus, et iudicibus* apud eundem cit. tom. *col.* 330. *et lare epiſcoporum col.* 357. vbi c. V. ſtatuitur, *is quisque ſacerdos cunctos ſibi pertinentes eru- nt ſciant, qualiter decimas totius facultatis ec- diuinis debite offerant.* Ex quo facile intelli- teſt decimarum praeſtationem Francis fuiſſe ouam.

§. CCCCLXVII.

ntum iuri diuino eas adſcribere.

o autem primum tempore ſumma de- vſus ſumſit incrementa, ex quo illa- eſtatio *diuino iure* praecepta eſſe cre- cui doctrinae pius SS. PP. zelus et quorumdam conciliorum phraſes oc- et auctoritatem dediſſe videntur.

§. CCCCLXVIII.

eoque foro eccleſiaſtico ſubiicere.

bant ergo quaeſtiones ſuper ſolutione m ortas *auctoritate eccleſiaſtica*, in- ero *romani pontificis* eſſe decidendas,

 ipſas.

ipſasque decimarum cauſas ad *forum eccleſiaſticum* pertinere, et earum materiam omnem ſecundum *iurisdictionis eccleſiaſticae ordinationem* eſſe regulandam. Ex hoc fonte tot reſcripta pontificum in cauſis decimarum profluxerunt, quae, poſtquam in *collectionem decretalium* GREGORII IX. relata ſunt, pro iure communi in hac materia recipi, et admitti coeperunt, et canonibus a Gratiano decreto ſuo antea inſertis pleniſſimam confirmationem addixerunt.

Cauſ. XVI. q. I. et II. cap. 4. et ſeqq. h. t. quantam auctoritatem ſtabiliendae opinioni decimas de iure communi vbique eſſe praeſtandas contulerit S. Raymundus a Pennaforti decreta, et reſcripta Pontificum mutilando Vid. VAN ESPEN *l. c. §. 26. ſeq.*

§. CCCCLXIX.

Et realibus perſonales etiam addere placuit.

Decimarum vſu, et iure ſemel recepto, vltra limites in legislatione moſaica poſitos, quae decimas tantum ex *omnis generis fructibus* terrae et animalibus praeſtandas eſſe praecepit, nouum genus decimarum inualuit, quod ſub nomine *perſonalium* comparuit, atque de negotiatione, de ipſa etiam militia, de venatione, et de omnibus bonis eccleſiae miniſtris iuxta *traditionem SS. patrum* tribuenda eſſe COELESTINVS III. ſpurio innixus fundamento reſcripſit.

§. CCCCLXX.

[redacted]

§. CCCCLXX.

Dantur etiam decimae originetenus ſeculares et laicae.

Sed inſigne hic adtendendum eſt decimarum in Germania diſcrimen. Occurrunt enim decimae *origine tenus eccleſiaſticae* miniſtris eccleſiae ad promouendam religionem chriſtianam perſoluendae. Aliae *originetenus laicae* ad iura et praeſtationes dominicas relatae, quae ex fundis dominicis, et fiſcis regiis a decima eccleſiaſtica prorſus immunibus, regibus Germaniae vel aliis ex eorum conceſſione poſſeſſoribus ſoluebantur. Ab illis poſtea in epiſcopos, eccleſias, et monaſteria translatae, alios atque iterum alios poſſeſſores nactae ſunt.

Decimae eiusmodi dicebantur *regales, dominicales, indominicatae, ſalicae*, in quas clericis nullum ius competebat. Putant quidam decimas in Germania omnes ex origine ſua eſſe eccleſiaſticas: Hos perſtrinxit Georg. Ludov. Boehmer. *de orig. et rat. decim. in Germ.* vbi oſtendit frequentiſſimas in Germania decimas neutiquam ex originibus ſuis pro eccleſiaſticis, ſed ſecularibus potius eſſe habendas, easque a ſecularibus ad eccleſiaſticos per dotationes, donationes aut feudi conceſſiones perueniſſe. Harum decimarum adhuc hodiedum plura ſupereſſe veſtigia, et a laicis poſſideri demonſtrat Rud. Will. *de differ. decim. eccleſ. et ſecul.* et confirmat lex a legislatore auſtriaco lata de decimis §. I. ſequentis tenoris. In dieſem Erzherzogthum Oeſterreich ſeynd von Alters her ſowohl die weltlich, als geiſtliche Perſonen der Zehenden fähig, vid. Corp. Nost. Iuris Eccles. Avstriaci voc. Zehend.

§. CCCCLXXI.

Decimae eccleſiaſticae in laicos ſunt translatae tum a regibus et pontificibus.

Decimarum eccleſiaſticarum, ſiue ab origine tales fuerint, ſiue ex fundatione, dotatione, aut oblatione decimatoris laici in eccleſiaſticas conuerſae ſint, pars magna variis occaſionibus, et iisdem fere, quibus alia bona eccleſiaſtica in manus laicorum peruenerunt. *Reges* et *Duces Francorum*, inprimis CAROLVS MARTELLVS, et CAROLVS M. ob neceſſitates publicas *iure regio* praedia eccleſiaſtica pariter et decimas tanquam *beneficia* militibus ſaepe diſtribuerunt, quod et pro defenſione eccleſiarum ſimul hoſti arma inferrent. Illud quoque certum eſt, ipſos *pontifices* regibus conceſſiſſe decimas, eo quod bellis cum infidelibus geſtis de eccleſia quam optime ſint meriti.

Vid. PETR. DE MARCA *in not. ad concil. claromontan. ad can. VII.* de CAROLO MARTELLO lepida eſt fabula, quam correctores romani *can.* 59. *XVI. q.* 1. de huius Caroli damnatione adiecerunt. De pontificum liberalitate vid. EMM. GONZALEZ ad c. 19. *h. t.*

§. CCCCLXXII.

Tum ab epiſcopis: imo ab ipſis etiam laicis ſunt vindicatae.

Epiſcopi quoque, modo vt potentiores arctiori vaſallorum vinculo obſtringerent, mo-

do

[redacted]

do vt bellis laceſſiti pacem redimerent, modo ambitionis, aut nimiae in conſanguineos affectionis gratia decimas iure feudi in laicos contulerunt. *can.* 3. *XVI. q. VII. Potentiores* in villis ſuis, capellas et oratoria pro ſe, et ſuis ſubditis exſtruebant, quae inſtar eccleſiarum parochialium eſſet, ex quibus decimas ſibi retinebant, *iure cenſus* eccleſiae a ſe fundatae impoſiti. *concil. meldens. cap.* 75. *confluent. cap.* 5. *ap.* Hardvin. *tom. IV. col.* 1499. *tom. VI. p. I. col.* 561. Acceſſit tandem *Nobilium rapacitas*, qui variis artibus bonis eccleſiae, eiusque iuribus inſidiabantur. Ablata, cum reparari non poſſent, tranſigendum ſaepe fuit de praeda, et quaedam iis dimittenda, vt quantum fieri poſſet, relictis decimis ſaluaretur. *concil. troſleian. cap.* 6. *ap.* Hardvin. *ibid. col.* 519.

§. CCCCLXXIII.

Tum de iis reuocandis et ſoli clero adſerendis actum eſt.

Mox de hiſce *rebus ad clericos reuocandis* plura in conciliis conſtituta ſunt, ac praeſertim in *Lateranenſi* III. ſub Alexandro III. et Frid. I. anno 1179. *can.* 14. editum eſt hoc decretum relatum in *cap.* 19. *h. t. prohibemus, ne laici decimam cum animarum periculo detinentes in alios laicos poſſint aliquomodo transferre. Si quis vero receperit, et non reddiderit, chriſtiana ſepultura priuetur.* Ex quo enim vana perſuaſio omnes corripuit, omnes

ſine diſcrimine decimas de iure diuino clericis deberi, earumque laicos homines incapaces eſſe, creditum eſt, eas omnes, quas laici poſſidebant, vſurpari.

Concilium non *expreſſe* iniunxerat reſtitutiones decimarum, quas hactenus laici legitimo praeſcriptionis titulo, et apoſtolico priuilegio ſecuri poſſidebant. Inde opinio inualuit, a *concilio lateranenſi* toleratas ſaltem fuiſſe decimas, quas laici obtinuiſſent hactenus, vt iam de iis controuerſia illis fieri non poſſet, dum ne nouas vllas aut inuaderent ipſi, aut ab epiſcopis acciperent. Ergo legitime eas poſſideri, ſi ante concilium hoc poſſidere coepiſſent, nequaquam vero, ſi poſterius. *cap. 25. X. t. cap. 2. eod. in VI. I. feud. 6. pr.*

§. CCCCLXXIV.

Sed hac ratione pleraeque ad canonicorum et monachorum collegia peruenere.

Quae opinio, dici non poteſt, quantum canonicorum monachorumque collegia locupletauerit. Ignari ſcilicet laici, vnde ius iſtud decimandi maiores ſui adquiſiuiſſent, et fulminibus pontificiis iam obruti, nouiſſime concilii lateranenſis auctoritate perterriti, ſicut alia bona, ita et decimas ſuas, ſiue iure ſiue iniuria adquiſitas, operibus piis, fundandis praeſertim et dotandis monaſteriis et canonicorum eccleſiis, impendere coeperunt. Inde enim et aeternam nominis ſui memoriam, et peccatorum omnium remiſſionem obtinuiſſe, adeoque non ſine commodo maiori decimas reſtituiſſe ſibi videbantur.

Ce-

[redacted]

Ceterum negari non poteſt, et pontificum et epiſcoporum auctoritate plurimarum eccleſiarum decimas ad monaſteria et capitula tranſiiſſe, vt ergo *pleraſque* laicorum liberalitati debeant.

§. CCCCLXXV.

Cui deuolutioni mox limites poſiti ſunt.

Verum hac ratione non eccleſiis parochialibus, et ſacerdotibus ſpiritualia miniſtrantibus reſtitutae ſunt. Ergo reſtricta aliquo vsque fuit haec decimarum ad monaſteria, et capitula deuolutio, et pluribus in ſynodis decretum eſt, *monaſteria ſine conſenſu epiſcopi* decimas accipere non poſſe. Exiguum tamen effectum habuere canones, quos ipſi *epiſcopi*, et *romani pontifices* ſua facilitate neglexerunt.

Cap. 3. de priuil. concil. lateranenſ. ſub Innocent. III. can. 61. cap. 7. de his, quae ſiunt a prael.

§. CCCCLXXVI.

Decimarum definitio.

Haec de origine, et fatis decimarum ſufficiant. Earum *naturam* ſi conſideremus, virtute quidem nominis decimam partem fructuum alicui praeſtandorum ſignificant; verum cum praeſtatio haec admodum variare ſoleat, et modo nona, modo decima, modo duodecima, modo etiam vigeſima pars pendenda veniat, deinde varii earundem vſus, varii iuxta poſſeſſores, variae etiam in vniuerſa eccleſia, diuer-

[illegible]que rebus publicis ſint decimandi ra-
tiones [illegible] definiri poſſunt, *quod ſint por-*
tiones [illegible] *lege vel conſuetudine determi-*
natae [illegible] *prouentuum illis praeſtanda,*
[illegible] *exigendi.*

§. CCCCLXXVII.

[illegible] in eccleſiaſticas et ſeculares.

[illegible] quod adtinet, earum [illegible] *eccleſiaſticae, ſeculares* [illegible] Vtraeque vel ab *origi-* [illegible], dum nempe et [illegible] decimas, modis, [illegible] adquiſiuerunt. [illegible] exigendi ius compe- [illegible] miniſterium ſpirituale: *ſe-* [illegible] res et iura alia, cuius- [illegible] et iure proprietatis [illegible] eſt; illae ſicut [illegible], canonicis fini- [illegible] qualitate adfectae [illegible] conſidentur: illae ſo- [illegible] et clericis etiam [illegible]

[illegible] temporales, et ius deci- [illegible] Ponas vero illud [illegible] rationem eius, qui eſt [illegible] eſſe, tum verum [illegible] temporale iuri ſpi- [illegible] res eccleſiaſtica incor- [illegible] res eccleſiaſticae eo momen- [illegible] alienatae, qualitatem ſuam amit-

[redacted]

amittunt, et patrimonium eius, in quem tranſlatae ſunt, ſequuntur; ita etiam de iure decimandi eccleſiaſtico pure et ſimpliciter alienato erit ſtatuendum.

§. CCCCLXXVIII.

2.) *In reales et perſonales: maiores item et minores.*

Porro decimae tam eccleſiaſticae quam ſeculares ſunt vel *reales* ſeu *praediales* vel *perſonales* (addunt nonnulli, ſed ſine ratione *mixtas*.) *Reales* ſunt, quae ex fructibus rerum, et praeſertim praediorum colliguntur *cap.* 20. *h. t.* maxime ruſticorum, non tamen penitus excluſis vrbanis *arg. cap. pen. de pact. cap.* 23. *h. t.* *Perſonales* dicuntur, quae detrahuntur a lucro, quod ex propria cuiusque ſolertia ac opera *immediate* comparatur. Praediales quod adtinet ad fructuum, quo fiunt genus, vel *maiores ſunt*, vel *minores*, *cap.* 30. *h. t.* Atque haec diuiſio plurimarum litium parens fertiliſſima, et ſemper fuit, et nunquam eſſe deſinet, praeſertim quando id agitur, quaenam fruges ad vnam alteramue ſpeciem ſint referendae.

Decimae *perſonales* in Germania ſunt inſolitae, id quod omnes iuris canonici doctores communiter fatentur. Sed quare adhortari deceat chriſtianos, vt etiam illas clero conferant, non video, Zech. *ſect. III. tit. II. de iur. rer. §.* 36. quoad decimas minores varia eſt locorum conſuetudo, quae potiſſimum hic adtendenda, et pro lege ſeruanda eſt. In Auſtria noſtra habemus hac de re legem cla-

claram, quae ita loquitur §. 2. in Tr. von Zehend: der Zehend insgemein ſind zweyerley, als der große, und kleine zu Feld, und Dorf. Der große zu Feld iſt der Trayd und Weinzehend; unter dem Trayd aber Weitz, Gerſten, Korn, Haber, Arbes, Linſen, Bohnen, Heiden, Brein, und dergleichen zu verſtehen. Der kleine zu Feld beſtehet in Safran, Kraut, Ruben, Haar und dergleichen; zu Dorf aber in großen, und kleinen Vieh, Ayren, Käſen, und anderley Sorten.

§. CCCCLXXIX.

3.) *In veteres et nouales.*

Dein ratione praediorum, ex quibus decimae proueniunt, ſunt aliae *veteres*, quae ex fundis ſemper cultis: aliae *nouales*, quae ex agris noualibus exiguntur. Eſt autem multiplex *agri noualis* acceptio: 1.) *latiſſima* vt cum *noualis* dicitur *terra proſciſſa*, *quae anno ceſſauit* virium nouandarum cauſa *L.* 30. §. 2. *de V. S.* 2.) *lata*, cum fundum, cuius cultura mutatur, ſignificat, vt ſi prius frumentum tulit, nunc in pratum vel vineam ſit commutatus. 3.) *ſtricta*, cum agrum, qui quidem longa annorum ſerie cultura carebat, nunc autem de nouo ad eandem redigitur, denotat 4.) *ſtrictiſſima*, qua intelligimus *agrum de nouo ad culturam redactum*, *de quo non extat memoria*, *quod aliquando cultus fuiſſet. cap.* 21. *de V. S.* quodſi interpretatio noualium facienda ſit in materia iuri communi contraria, *ſtrictiſſima*: cum vero per latiorem interpretationem propius ad ius commune accedi-

[redacted]

ceditur, *latam* et *ſtrictam* ſignificare praeferre oportet.

§. CCCCLXXX.

Decimae eccleſiaſticae competunt 1.) *beneficiatis.*

Illis competunt decimae, quibus eſt legitimum decimandi ius. Id de clericis valet, ſi decimae ſint eccleſiaſticae, et de laicis, ſi laicales, ſeu profanae ſint. Eccleſiaſticae, vbi epiſcopi adhuc erant rerum omnium eccleſiaſticarum adminiſtratores, epiſcopo ſoluebantur, a quo inter clericos pro cuiusque meritis, labore, et neceſſitate iuſta diſtributio fieret. Poſtea vero erectis beneficiorum titulis ſicut aliorum prouentuum, ita etiam decimarum certa portio ſingulis clericis eſt adſignata. Hinc illi *debentur decimae*, ſiue *parochus* ſiue *beneficiatus*, *isque curatus*, vel *non curatus* ſit, quem eas pro ſuis alimentis adſignatas habere conſtat.

§. CCCCLXXXI.

2.) *Parochis.*

Regulariter vero *decimae ad parochos ſpectant*, qui ad eas, quae intra limites ſuae cuiusque parochiae excreſcunt, percipiendas fundatam in iure intentionem habere dicuntur, quamdiu alterius has eſſe *aperte* non oſtenditur. Si enim iuſtum ſuperſit dubium parocho, cui

cui ius commune, et a nobis receptum fauet, excluſo quoque hodie epiſcopo, niſi ex particulari conuentione, vel titulo portio aliqua ipſi eſſet reſeruata. *cap.* 13. *h. t.* adiudicandae, ſiue potius non auferendae erunt decimae. Hanc regulam, et intentio populi decimas offerentis et antiqui canones, et innumera pontificum reſcripta, vt certiſſimam, et praeiudicatam habent.

Can. 42. *ſeq. XVI. q. I. cap.* 29. *et* 30. *h. t. cap.* 2. *de reſtit. ſpol. in* 6.

§. CCCCLXXXII.

Seruato diſcrimine perſonales inter decimas, et praediales, atque animalium.

Dubitatum olim fuit, an in parochia, vbi quis ſacramenta recipit, an vbi terrae ſunt ſitae, decimas exſoluere ius poſtulet. *cap.* 18. *h. t.* Sed hunc difficultatis nodum expediuit GLOSSOGRAPHVS *in cap.* 18. *cit.* nempe *decimas perſonales*, (vbi hae in vſu ſunt) *reddendas eſſe parochiae*, a qua eccleſiaſtica ſacramenta, ceteraque ſpiritualia ex obligatione miniſtrantur, et percipienda ſunt: *Praediales* vero, *in cuius parochia ſita eſſent praedia, ex quibus deberentur.* Quae diſtinctio communiter recepta iure, ac conſuetudine probata *in cap.* 2. *de reſtit. ſpol. in* 6. *Decimae animalium* ſibi *ſolui debent, vbi paſcuntur continuo*, ſi vero in duobus parochiis paſcantur, aequum eſt, vt diuidan-

dan-

ıntur. *Gloſſ. ad cap.* 20. *h. t.* ſed hic quoque onſuetudini plurimum tribuendum eſt.

n. 56. *XVI. q. I. cap.* 10. 13. 20. 29. *h. t. cap. vlt. in ſit. de Paroch.* Sed quid an decimae tam reales, quam perſonales eccleſiae parochiali etiam debentur, quando haec diſtincta a baptismali? Vid. Wiestner *ad h. t.* art. 5. num. 68.

§. CCCCLXXXIII.

ter nouales item ſtrictiſſime et late ſic dictas.

Porro decimae noualium ſtrictiſſime ſic ctorum, licet alius habeat ius colligendi denas antiquas, de iure communi ad paroiam pertinent, in qua oriuntur noualia, p. 29. *h. t.* (ſup. § 478.) niſi alter hic ratiobilem cauſam oſtendat colligendi etiam denas noualium *cap. 2. ſ fin. h. t. in 6. cap.* *h. t.* quoad *noualia late ſic* dicta adtendenm eſt, an praeter parochum cuidam debeanr decimae ex certo genere fructuum, an ex rtis fundis? in priori caſu mutatio culturae ıtat etiam decimatorem, ſecus in poſterio- Si tamen per mutationem culturae nimis ıuaretur parochus, compenſatio ipſi facieneſſet ab eo, qui decimas ex fundo aliter to colligit. *Cap. 9. h. t. cap. 2. ſ. 2. eod. VI.*

priuilegium, praeſcriptio, aut conſuetudo inter illas rationabiles cauſas, quarum mentio fit *cap.* 29. *h. t.* referri debeant, videbimus infra: Quaeuam iure noſtro auſtriaco ſit differentia inter no-

[redacted]

uales proprie, et improprie tales, et cuinam hae et illae, et a quo tempore debeantur, ex ipſo legis noſtrae tenore adparebit, quem integrum adſcribo: Die Neubrüch, und Neugereith werden genennet diejenige Gründe, allda zuvor weder Furch, Strang, noch Kräften geſehen, auch nie was angebauet worden. Die Aufbrüch aber jene Gründe, welche vorhero zwar angebauet geweſen, aber kurz oder lang hernach in einen andern Bau verkehret worden. Was nun die erſten, nemlich die Neubrüch, und Neugereith anbelanget, ſollen dieſelben denen geiſt- oder weltlichen Zehendherrn, welche auf dieſem Grund die Zehendgerechtigkeit haben, wenn ſolche zu Acker gebauet worden, die erſten fünf Jahr, da ſie aber zu Weingärten ausgeſetzt würden, die erſten acht Jahr keinen Zehend, ſondern erſt nach Verfließung deren, denſelben zu reichen ſchuldig ſeyn, die andern, als nemlich die Aufbrüch, wann ſie über 10. Jahr öd gelegen, ſollen die Aecker 3. die Weingärten 6. frey-Jahr haben. Da aber auf einem ganz freyen ein Neugereith gemacht wurde, iſt man davon keinen Zehend zu geben ſchuldig. Ita ſonat §. 5. ſub rubr. Zehend in C. I. E. Avst.

§. CCCCLXXXIV.

3.) *Epiſcopis.*

Sed et hodie diuiſis licet parochiis, ſaepius fit, vt *decimae ad epiſcopum perueniant*. 1.) Vtique eccleſiae cathedralis parochus eſt, ergo in decimarum perceptione ad hanc quidem parochiam adtinentium, ipſe non minus quam ceteri parochi inferiores fundatam intentionem habet. Dein 2.) ius commune ſi ſpectes, decimarum ex dioeceſi omnium quarta pars: illorum vero locorum, quae non in certa quadam parochia, dioeceſis tamen limitibus compre-

[redacted]

prehenduntur, omnes prorſus ipſi ceduntur. Praeterea 3.) iure quodam eminenti gaudet, quod, quia bonis in ſua dioeceſi eccleſiaſticis ipſe praeſidet, ad decimas quoque ſe extendit.

Cap. 10. de off. iud. ord. cap. 3. de praeſcript. cap. 13. 29. et 31. h. t. GONZALEZ ad cap. 13. h. t. num. 3. Quarta illa epiſcopalis vel conſuetudine, vel praeſcriptione, vel vltronea epiſcoporum ceſſione in plerisque dioeceſibus quidem, non tamen vbique ſublata eſt; Epiſcopus quippe conſtantienſis in quibusdam ſuis eccleſiis adhucdum illa gaudet. FRIDERICH in quaeſt. ean. de decim. p. 150. num. 339.

§. CCCCLXXXV.

Idque non iure diuino aut eccleſiaſtico.

Quonam autem iure diſpenſatores myſteriorum religionis noſtrae a populo fideli decimas exigant, quaeſtio olim erat inter theologos, et canoniſtas, acerrime agitata, quae tamen hodie reſponſione vix digna videtur. Nihil enim magis certum, et ex omnibus iuris canonici fontibus euidens magis nihil, quam neceſſitatem decimas ad alendos eccleſiae miniſtros praeſtandi *non auctoritati canonum propriae, multo minus legi diuinae, naturali aut poſitiuae* ſed *voluntariis fidelium oblationibus*, et *chriſtianorum principum ſanctionibus eſſe* adſcribendam.

Canoniſtae, ſaltim *antiquiores*, decimas etiam *formaliter* (vt loquuntur) acceptas iuris diuini eſſe ſtatuebant, *recentiores* autem plerique ſubſcribunt theo-

[redacted]

logorum ſententiae, quae in eo conſiſtit, quod decimae *materialiter*, et quoad *ſubſtantiam* ſint iuris diuini, imo naturalis plane, *formaliter* vero ſumptae, ſeu quoad quotam, iuris humani, quo nimirum hoc innuere volunt, iuris diuini, et naturalis eſſe, ut eccleſiae miniſtris a laicis tantum tribuatur, quantum ad ſuſtentationem et alimoniam ipſorum requiritur, vt vero praeciſe decima, et non alia fructuum pars praeſtetur iure duntaxat humano, et quidem *eccleſiaſtico* definitum eſſe. Eodem, quo clericis, iure congruam ſuſtentationem exigunt ii, qui munera publica ciuilia gerunt. Ergo ipſis decimae non quidem formaliter ſed. materialiter ſpectatae competunt. Abſurda ſane concluſio et inutilis diſtinctio. REIFFENSTVL *ad h. t. num.* 15.

§. CCCCLXXXVI.

Sed ciuili.

Scilicet, quoniam illi, qui ſacerdotio deſtinantur, et illud obeunt, magnos labores ſubeunt omnium illorum cauſa, quos inſtruunt doctrina coeleſti, imo etiam, dum his rebus diſtringuntur, aliis vacare nequeant, vnde illa conquirant, recta ratio docet, omnino aequum eſſe non tantum. ſed etiam neceſſarium, vt labores illorum praeſtatione neceſſariorum penſentur, cum alioquin vnum horum futurum ſit, vt dum aliunde ſibi proſpiciunt, vel deſerant, vel negligenter ſaltim faciant officium, vel fame pereant.

Huc pertinet dictum Chriſti MATTH. *X.* 10. *et* S. PAVL. *I. Cor. IX.* 7. *ſeq. I. Tim. V.* 18. Et ad hunc ſenſum adtemperanda ſunt conciliorum decreta, et pontificum reſcripta, quae diuinam quamdam decima-

[redacted]

marum inſtitutionem adſerere videntur. Conf. *cap.* 14. *et* 26. *h. t.* Concil. Trid. *ſeſſ. XXV. cap.* 12. *de reform.*

§. CCCCLXXXVII.

Hactenus retento.

Contigit iam, vt continuis admonitionibus paſtorum ſuorum eccleſiae particulares permotae voluntariam decimarum praeſtationem, qua obligationi ſuae erga ſpirituales operarios ſatisfaciant, vt plurimum in ſe ſuſciperent. (ſup. §. 462. ſeq.) Acceſſit principum conſenſus et adprobatio, atque hac ratione ius ab eccleſia adquiſitum huiusque auctoritate tum ciuili tum eccleſiaſtica confirmata eſt. Cum vero eccleſia in republica exiſtat, et ab eius, qui quantitatis indefinitae debitor eſt, arbitrio dependeat, illius genus, numerum, et ſpeciem determinare, non obſcurum eſt canonum auctoritatem hac in re *pia principum voluntate* ſuſtentari, quorum tanta eſt auctoritas, vt, ſi id *reipublicae ſalus* exigeret, decimarum vſum omnino tollere, atque in eius locum alium modum, quo congrua ſuſtentatio clericis ſuppeditaretur, ſubſtituere poſſent.

Diximus equidem (ſup. §. 460.) in lege veteris teſtamenti ab ipſo Deo ſolutionem decimarum praeceptam fuiſſe, verum particularis haec lex erat, et ſoli genti iudaicae propria, quae ergo republica ipſius extincta et ratione ſpeciali ceſſante, pariter ſepulta eſt.

 §. CCCCLXXXVIII.

[redacted]

§. CCCCLXXXVIII.

Decimae eccleſiae aliis quoque competere poſſunt I.) ex priuilegio.

Hactenus de iis quibus decimae eccleſiaſticae iure ordinario et pro communi a nobis recepto competunt. Modi, quibus eae ad alias perſonas et communitates ſiue eccleſiaſticas ſiue ſeculares transferri poſſunt, ſequentes referuntur. I.) *Priuilegium pontificium*, vi cuius ius decimandi non ſolum eccleſiis non curatis, monaſteriis, aliisque locis, et perſonis eccleſiaſticis, ſed laicis quoque competere poſſe dicunt. *cap. 39. ſeq. h. t.* Illos, quod attinet, paucis rem expediunt, neque enim inhabiles eos ad iura ſpiritualia eſſe, neque de poteſtate papae, cum omnes eccleſiae, omniaque iura eccleſiaſtica in eius abſoluta diſpoſitione conſiſtant, *cap. 2. de praeb. in 6. cap. 22. de priuileg.* dubitari poſſe aiunt.

§. CCCCLXXXIX.

Et quidem laicis etiam.

Si vero *laicis priuilegium conceda tur*, non vna diſtinctione periclitantem decimarum ſpiritualitatem ſuſtentare adlaborant. Dum enim ſtatuunt laicos eſſe incapaces iuris decimandi *directi* adeo, vt nequidem per papalem conceſſionem hoc ius iis competere poſſit, porro ſtatuant neceſſe eſt, iis concedi duntaxat vel

ius

[redacted]

ius decimarum *ſecundarium*, *vtile*, *et procuratorium*, quo quis exigit nomine alterius, ſed tamen in propriam vtilitatem ita, vt ius *directum*, et *radicale* maneat penes eccleſiam: vel penitus ſeparari eas a titulo ſpirituali, vt fiant mere *laicales* et omnis ſpiritualitas exſtinguatur. Horum ratio in promtu eſt iis, qui decimas *iuris diuini* eſſe cenſent, et rebus *ſpiritualibus* adnumerant.

§. CCCCXC.

Abſque ſcrupuloſa titulo ſpiritualis ſeparatione.

Sed concedamus, quod cum decimae eccleſiaſticae iuxta primariam ſuam inſtitutionem eccleſiae miniſtris tanquam operariis ſpiritualia ſeminantibus ſint adſignatae, ius decimandi eatenus, quatenus obligationi illi paſtorali correſpondent, *ſpirituale quid per deputationem* et connexionem adpellari poſſit. (ſup. §. 475 ſchol.) Ergo deputatione decimarum per ipſam translationem in alios mutata, earum ſpiritualitas, quin ſcrupuloſa a titulo ſpirituali ſeparatio adhiberi debeat, deſinat neceſſe eſt. Cui vnquam in mentem venit adſerere, eum directi, et pleni dominii alicuius rei incapacem eſſe, quam non eodem titulo poſſidere poteſt, quo ab auctore ſuo poſſeſſa eſt. Si itaque *can.* 1. *XVI. q. VII. cap.* 7. *de praeſcript. cap.* 17. *h. t.* ſententias adhuc hodie in foro regnare videas, id non naturae

[redacted]

iuris decimandi, ſed receptioni, et praeiudicatae opinioni inde natae adſcribendum eſt.

§. CCCCXCI.

Quod ſi ſit generale priuilegium ad noualia non extenditur.

Quodſi ergo alicui indultum ſit priuilegium percipiendi decimas intra limites alicuius parochiae, *non facta mentione noualium*, tum nouales non ſolum ſtrictiſſime, ſed etiam late et ſtricte ſic dictae ad parochiam pertinent. *Cap.* 21. *de V. S.* (ſup. §. 478. §. 482.) Quod et omnes facilius concedunt, ſi de *laico* ius decimandi ex priuilegio habente *cap.* 25. *in fin. h. t.* vel de *eccleſia* quoque, quae idem ius de manibus laicorum, cum, quod non habent, in alios transferre non poſſint, conſecuta eſt, *cap.* 7. *de his, quae fiu. a prael. cap.* 2. *in fin. h. t. in* 6. ſermo ſit. Cur non idem dicamus de perſona vel communitate eccleſiaſtica a quocumque demum ius ſuum obtinuerit? Etenim noualium perceptio indulgentiam ſpecialem requirit, quae ipſa cum aliquando effectu deſtituatur *cap.* 2. *h. t. in VI.* quid de ſimplici priuilegio, in quo nulla mentio novalium facta ſtatuamus?

Rationabilem cauſam, de qua loquitur pontifex *cap.* 2. *§. fin. h. t.* in 6. et cuius etiam meminit Innocent. III. *cap.* 29. *h. t.* reſtringit gloſſa ad priuilegium, quo cuidam *ſpecialiter* perceptio noualium eſt indulta. Ceterum priuilegia haec percipiendi deci-

[redacted]

cimas intra limites parochiae ad excluſionem eccleſiae parochialis conceſſa, legibus, et canonibus, eſſe contraria, adeoque ſtrictiſſime interpretanda, clarum eſt. Saluberrimum malorum eiusmodi remedium erit auctoritas epiſcopi, et ſi iſta deſit, *recurſus ad principem*, qui parocho indultu papali grauato denegari non poterit.

§. CCCCXCII.

II.) Praeſcriptione et conſuetudine.

Modus alius II.) quo ius decimandi adquiritur, eſt *praeſcriptio* et *conſuetudo*, quae tamen ad varietatem eorum, qui, et contra quos praeſcribunt, varia eſt. Eccleſiae perſonaeque eccleſiaſticae ius decimandi, ſicut alias res immobiles *contra priuatum quemcunque* praeſentem X. abſentem XX. cum titulo *l. 4. et l. fin. cod. de long. temp. praeſcript.* ſine iſto XXX. annorum ſpatio praeſcribunt. *arg. l. 3. cod. de praeſcript. 30. 4. ann.* ſed ſi *contra eccleſiam* haec praeſcriptio ſit, multum intereſt, an iſta parochialis, et praedia, ex quibus decimae proueniunt, intra ipſius fines exiſtant, necne. *Contra parochialem* non niſi quadragenariae titulo munitae, vel immemorialis temporis praeſcriptioni eſt locus *cap. 1. de praeſcript. in 6.* quamuis *aduerſus aliam quamcumque*, romana inferiorem et ſpecialiter non priuilegiatam eccleſiam XL. annorum poſſeſſio etiam ſine titulo ſufficiat. *Auth. quas actiones cod. de SS. eccleſ. cap. 4. 6. et 8. pr. de praeſcript.*

Iure noſtro auſtriaco ius percipiendi decimas tam a perſonis eccleſiaſticis, quam ſecularibus praeſcriptione triginta duorum annorum adquiri poſſe deciſum eſt §. 1. et 3. Von Zehend. *C. I. E. A.*

§. CCCCXCIII.

Laicis autem praeſcriptio nulla.

Alia eſt laicorum ratio, etenim hi *decimas detinere non poſſunt*, *et ſic nulla valent eas praeſcribere ratione. Can.* 1. *XVI. q. VII. cap.* 7. *in fin. de praeſcript.* cum enim *decimae non ab hominibus, ſed ab ipſo Domino ſint inſtitutae cap.* 14. *h. t.* ius quoque *decimandi ſpirituale* prorſus ſit, nulla praeſcriptione a clericis in laicos transferri poſſe patet. Sed magis eſt, vt dicamus, praeſcriptioni per ſeſe locum non eſſe in rebus, quas leges et canones eidem obnoxias eſſe nolunt. Vbi enim lex inhibet vſucapionem, bona fides poſſidentis nihil prodeſt. *L.* 24. *D. de vſucap.*

Non ſolum autem decimandi ius *directum*, ſed etiam *vtile* poſt concilium lateranenſe a laicis praeſcriptione hoc modo adquiri non poſſe, communis eſt canoniſtarum ſententia. vid. Wiestner *ad h. t. art. VI. num.* 95.

§. CCCCXCIV.

[redacted]

§. CCCCXCIV.

Si ſaltem immemorialis ſit.

Nihilominus *praeſcriptionem immemorialem* pleniſſimam laicis ſecuritatem praeſtare cenſeo. Illa quippe vim ſuam exerit etiam in iis caſibus, vbi ius commune alias reſiſtit, et in quibus aliquis eſt incapax poſſeſſionis *cap.* 26. *de V. S.* Quid? quod ipſum ius canonicum eiusmodi praeſcriptioni adeo infenſum, immemorialem tamen haud excludat. *cap.* 1. *in fin. de praeſcript in 6.* Inſuper dubium omne, ſi quod adeſſet iuris ciuilis auctoritate tollitur. Ibi enim non de bona fide, non de titulo nec de poſſeſſione quaeritur, quia ad praeſcriptionem immemorialem nuda detentio ſufficit. *Vetuſtatem enim litium minuendarum cauſa ſemper pro lege habendam eſſe ſtatuitur in l. 2. §. 1. D. de aq. et aq. pluu. arcend.* cui conſonat *L. 1. §. fin. et l. vlt. eod. item l. 3. §. 4. D. de aqua quotid.*

Vasqvez *illuſt. controuerſ. P. I. Lib. II.* tempus illud immemoriale communiter a DD. C. annorum ſpatio concluditur, et quia rariſſime reperiuntur, qui de vſu tanti temporis teſtari poſſunt, formam probationis hac in re vid. ap. van Espen *tract. cit. cap. I. §. 6.* Vulgaris alias opinio eſt, quodſi vltra memoriam hominum laici decimas iam perceperint, et non conſtet de malo initio, ſaltim ob praeſumtionem, quod hoc ius nacti fuerint legitimo priuilegio, vel ex infeudatione ante concilium lateranenſe eousque pro illis ſit pronuntiandum, donec ex adverſo non probetur contrarium. Boecker *ad h. t. num.* 28. ſed quid inter nu-

[redacted]

nudam hanc praeſumtionem & immemorialem praeſcriptionem interſit, nemo non videt. Ea, quae de priuilegio ad noualia non extendenda diximus, ad praeſcriptionem adplicare, multo magis oportet. Iure noſtro auſtriaco res, et iura ad eccleſiam pertinentia adquiri, vel exſtingui poſſe *praeſcriptione centenaria* certum eſſe patet ex conſtitutione a Leopoldo an. 1704. condita, quae exſtat IN CORP. I. E. A. voc. Von der praeſcription der geiſtlichen Güter.

§. CCCCXCV.

III.) *Conuentione.*

Denique III.) ex quauis *Conuentione* ad dominium transferendum habili, decimae adquiri poſſunt. Monent plerumque auctores, curandum eſſe, ne pretium temporale cum ipſo iure decimarum collidatur, vt omnis ſimonia euitetur. Sed eadem ratio eſt decimarum, et aliorum bonorum eccleſiaſticorum. (ſup. §. 475. ſchol.) Praemiſſa enim cura, ne congrua miniſtrorum eccleſiae ſuſtentatio nimium diminuatur, caueri debet, vt in alienatione decimarum interueniat iuſta cauſa, auctoritas eorum, quorum conſenſus ex lege eccleſiaſtica requiritur cum aliis ſolennitatibus.

§. CCCCXCVI

[redacted]

§. CCCCXCVI.

Decimae praeſtantur ex fructibus et adquaeſtu.

De iure communi non tantum de *fructibus terrae*, ſed et de *pecoribus*, quin et de *negotiatione*, de *militia*, de *lucro quouis honeſto* decimas ſoluendas eſſe vnanimi conſenſu tradunt canonum doctores. *Reales* quidem ex fructibus ſeu prouentibus rerum, etiam iniuſte adquiſitarum tam immobilium, quam ſe mouentium ſoluendae ſunt, etiamſi ſaepius in anno ſeminati, et producti ſint fructus. *Perſonales*, ſi in vſu eſſent, ſolui deberent ex lucris omnibus, quae actiue ex opere, labore, ſtudio, et humana induſtria, *vere*, ac *iuſte* colliguntur. Nullae quidem, ſi adquiſitio haec eſſet *iniuſta*, inde habentur decimae: ſi *turpis*, eas accipi ab eccleſia cenſeri non debet, ne tales videlicet actiones adprobare videatur.

Cap. 4. *ſeq. cap.* 21. *ſeq. h. t.* Ex adquiſitis titulo lucratiuo e. g. donatione, ſucceſſione, legato etc. decimae perſonales non debentur. Quia iſta bona non ſunt fructus rerum vel actionum humanarum, nec homo illa proprie adquirit, ſed illa potius adquiri homini dicuntur.

CCCCXCVII.

§. CCCCXCVII.

Adtenta tamen quam maxime locorum conſuetudine.

Rem fere totam hic conficit *conſuetudo*: Illae enim *decimae neceſſario ſoluendae ſunt*, *quae debentur ex lege diuina vel* loci conſuetudine *adprobata cap*. 32. *h. t*. et *cap*. 20. *eod*. quae ab vniuerſali decimatione a iure communi impoſita multiplices exceptiones induxit, cumque decimae ſint onera fructuum, inde eſt, quod proprietarius fundum ſuum incultum relinquere, ſeminare fructus non decimabiles, et diſponere de re ſua pro arbitrio poſſit, quin parochus, aliusue decimator ſimili caſu, ad excolendum, ſeminandumque agrum, poſſeſſorem cogere, aut decimas ab eo poſtulare queat. Id tamen obſeruandum eſt, nonnunquam officio iudicis incumbere, vt ex aequitate hanc dominorum libertatem reſtringat.

Van Espen *l. c. cap. IX. §. 19. ſeq. Ius noſtrum auſtriacum* talem negligentiam non tolerat, et ideo ſtatuit §. *XI*. Von Zehend: Es ſeye nicht zuläßig einen oder mehr Aecker aus Unfleiß, oder dem Zehendherren zum Abbruch, ungebaut liegen zu laſſen, ſondern, wenn dergleichen vermerkt wird, ſolle das Anbau durch die Obrigkeit verſchaffet werden.

§. CCCCXCVIII.

[redacted]

§. CCCCXCVIII.

Modus ſoluendi decimas I.) *ratione quantitatis.*

Forma ſoluendarum decimarum varia eſt I.) ratione *quanti decimam abſolute partem* deberi in dubio, et ſi actus poſſeſſorii ſint difformes, tenendum eſt, cum iuri communi ſemper ſtandum ſit, niſi conſuetudo, vel priuilegium eidem aduerſarium clare oſtendatur.

§. CCCCXCIX.

II. Ratione loci.

Ratione II.) *loci* receptum eſt, vt decimae *in campo* relinquantur ita, quo fructibus a ſolo ſeparatis, et in manipulos coniectis decimus quiuis per decimatores colligatur, quae decimandi forma fraudibus ſcilicet minus obnoxia, vt plurimum eſt vſitata. Electionis arbitrium, a quo videlicet manipulo numerandi initium ducere placuerit, ſemper apud decimatorem fuit. Vbi vero conſuetudo viget, fruges decimandi in horreo vel in manipulis, vel in granis iam excuſſis, aut fructibus adhuc pendentibus adſignandi decimam quamque agri ſtriam, ea perinde, ac decimas decimatorum horreo colonorum ſumptibus inferendi conſuetudo ſeruari debet.

Falſum tamen eſt poſſeſſores praediorum de iure communi ſuis expenſis teneri decimas parocho inferre.

[redacted]

re. Eſt enim haec obligatio nullibi expreſſa, et decimator nulla interueniente traditione ſtatim poſt ſeparationem fructuum eorum dominium nanciſcitur, et quod debitor ſuis ſumptibus tenentur facere, vt res debita ad creditorem tranſeat, vniuerſaliter verum non eſt. Boeckn *ad h. t. num.* 62. His principiis fere nititur legislatio noſtra auſtriaca in ſaepe *cit. tract.* Von Zehend §. 6. et 9. in *corp.* nostr. *Iur.-Auſtr.*

§. D

III.) Ratione temporis.

Ratione III.) *temporis* decimae *praediales absque mora* ſolui debent, poſtquam fructus ſeparati ſeu collecti ſunt *cap.* 7. *h. t. perſonales non aeque ſtatim*, ac lucrum percipitur, ſed cenſuum aliorum more ſub anni cuiuscunque finem redimuntur, *animalium* decimae perſoluuntur, quando foetus ſine matre commode poteſt viuere. Et huic obligationi ſatisfaciendum eſt, etiamſi decimae non exigantur, niſi alia vigeat conſuetudo.

§. DI.

Non autem ſucceſſores ſingulares praeſtant decimas ab anteceſſore non ſolutas?

An autem obligatio exſoluendi decimas ab anteceſſore neglecta transeat ad ſucceſſorem fundi decimabilis poſſeſſorem? controuerti ſolet. De *ſucceſſore vniuerſali* notiſſimi iuris eſt,

quod

[redacted]

quod *ſuccedat in omnia iura, et obligationes defuncti teſtatoris*, de quo ergo in noſtra hypotheſi dubium etiam nullum ſupereſſe arbitror. Aliter reſpondendum eſt de *ſucceſſore particulari*, in quem ſine ſpeciali legis vel canonis diſpoſitione *obligatio alia non deuoluitur*, quam quae *vere et perfecte realis* eſſe cenſetur, quo minime pertinere videtur obligatio ſoluendi decimas, quam immediate fructibus, fundo autem ſolum mediate ſeu ratione fructuum annexam eſſe luculenter adparet ex *c. 24. 26. 28. et 33. h. t.* Et quamuis decimae in *c. 33. h. t.* dicantur *tributa egentium animarum*, alio tamen ſenſu hoc intelligi nequit, quam quod inde pars aliqua debeatur pauperibus, tributa autem vere talia praediis inhaerere, ac proinde cum his ad quemcunque nouum poſſeſſorem ita peruenire, vt hic ob non ſoluta ab anteceſſoribus tributa conueniri poſſit, diſerta legum ciuilium auctoritas facile perſuadet. *L. 7. D. Publican. et vectig. l. 36. D. de Iure fiſci l. 5. §. fin. D. de cens. et l. pen. et vlt. c. ſine cenſu, vel reliq.*

Concordat. Ivs Avstr. §. 15. *cit. l.*

§. DII.

IV.) Ratione modi.

Ratione IV.) *modi* decimae *fideliter* ſunt *praeſtandae can. 4. XVI. q. VII. praediales* quidem in *natura* L. 2. §. 1. D. de R. C. non de-

ductis prius expenſis in praediorum culturam, ſemina etc. factis *cap.* 26. 28. 33. *h.t. Perſonales* vero inſtituto prius expenſarum calculo *ex ſolo lucro* penduntur *cap.* 28. *cit. L.* 30. *D. pro. ſoc.* Et licet decimator loco decimarum *longiſſimo tempore* pecunias acceperit, vel quiddam aliud, fraudi hoc tamen ipſi non erit, quominus poſtea eas in natura, vt aiunt, exigat. Si tamen *tempore immemoriali* decimarius ſingulis annis aliud quid pro decimis ſoluerit, eam opinor obſeruantiam poſſe decimatori praeiudicium adferre, vt eas deinceps in natura vindicare ſibi haud queat.

CONCIL. TRID. *ſeſſ. XXV. cap.* 12. *de ref. Non ſunt ferendi, qui variis artibus decimas eccleſiis obuenientes ſubtrahere moliuntur; aut, qui ab aliis ſoluendas temere occupant, et in rem ſuam vertunt.* - - - Praecipit igitur *S. Synodus omnibus, cuiuscunque gradus, et conditionis ſint, ad quos decimarum ſolutio ſpectat, vt eas, quibus legitime debentur, integre perſoluant.* BARTHEL. *l. c. ſect. III.* §. 4.

§. DIII.

Ad decimas obſtringuntur fideles omnes et praediorum poſſeſſores.

Ex his ſatis intelligitur ad decimarum ſolutionem 1.) *per ſe* et *ratione ſuae perſonae* obnoxios eſſe omnes, qui in diuinis parochi cuiusdam vel ſacerdotis curae, et directioni ſubiiciuntur *cap.* 23. 24. *h.t.* adeoque ipſi quoque *haeretici*, non autem *infideles* et *catechumeni*: 2) ra-

[redacted]

ratione rei autem et per accidens quoſcunque prædii aut fundi illas praeſtandi onere adfici *cap.* 4. 22. 24. 29: *h. t.* adeoque etiam infideles de praediis ac fundis, qui a chriſtianis poſſeſſoribus ad ipſos peruenerunt *cap.* 16. *h. t.*

Si praedium, ex quo decimae alias praeſtandae ſunt, quis alteri locauerit, dubitari poteſt, num *locator*, vel *conductor* eas ſoluere debeat? ſed cum decimae ſint onus fructuum *cap.* 8. *h. t.* ab eo praeſtandae ſunt, qui fructus percipit, et ſi diuiſos habeant fructus, vt v. g. coloni partiarii ſeu mediarii pro parte aequali, vel inaequali, etiam onus decimarum eadem ratione diuidendum eſt, *cap.* 24. 26. *h. t.* *De pauperibus* ii recte exiſtimant, qui clericos admonent, vt manu ſiniſtra ab iis decimas recipiant, et manu dextra eas iterum elargiantur, tanquam quae alias tributa animarum egentium dicuntur *can. fin. XVI. q. I.* Ex territorio alieno catholicorum decimae antiquitus debitae ſingulari conſtitutione imperii catholicis reſeruantur, in Pac. Relig. §. *XVI. et XXI.* confirmata in Inst. P. Osnab. *art. V.* §. 45. 46. vtriusque §. explicationem genuinam rectae interpretationis regulis conformem dedit Clar. D. Schrod *in comment. ad cit.* §§. *art. V. P. W.*

§. DIV.

Clericus clericum qua talem non decimat.

Sed quid de clericis? etiamne parochi, epiſcopi, ipſe pontifex decimarum perſoluendarum onere tenentur? Notum eſt tralatitium illud: *clericus clericum non decimat.* De qua

quidem re variae exſtant canoniſtarum diſputationes, neque enim vna definitione ea confici poteſt. Sedes doctrinae eſt in *c. 2. h. t.* vbi ita legis. *Nouum genus exactionis eſt, vt clerici a clericis decimas exigant, cum nusquam in lege domini hoc legimus, non enim leuitae a leuitis decimas accepiſſe leguntur: Illi profecto clerici, qui a clericis ſpiritualium miniſteriorum labores accipiunt, decimas eis debent.* Scilicet, clerico ius nullum competit, aliūm, qui eccleſiae ſeruit, decimandi clericum, vel ex dotali praedio eccleſiaſtico, vel ex accedente huic intra eccleſiae ambitum, vel denique ex reditibus ſacro titulo adfectis: competit autem eatenus, quatenus fructus hi ex patrimonio priuato, dotalibus bonis, hisque extra eccleſiae complexum conſtitutis, vel antecedenter iam onere reali dandi decimas grauatis, proficiſcuntur, vel ex reditibus etiam temporalibus, ſi clericos nulli eccleſiae vi beneficii, et officii adſcriptos reſpicias.

§. DV.

Decimarum onus tollit I. priuilegium.

Iisdem fere modis, quibus ius decimandi adquiritur, ab onere earum liberamur. *cap.* 10. 11, *24. h. t.* Ergo adquiri eiusmodi exemptio poteſt. I.) *Priuilegio*, cuius concedendi facultatem denuo ſoli papae adtribuunt decretaliſtae *cap.* 3. *et.* 10. *h. t. cap.* 2. *de praeb. in* 6., nequaquam *epiſcopis* cum in iure communi

non

[redacted]

non poſſint diſpenſare, niſi in caſibus ipſis ſpecialiter a iure conceſſis, *can.* 7. *XXV. q. II. cap.* 13. *de temp. ord.* multo minus *principi ſeculari*, cuius eſt bona, et iura eccleſiae tueri, et protegere. Sed magis eſt, vt dicamus, epiſcopum tanquam adminiſtratorem ſupremum bonorum eccleſiaſticorum in ſua dioeceſi ſitorum, et iure eminentis quo in decimas, gaudet (ſup. §. 482.) poſſe eiusmodi priuilegia concedere, ab imperantis vero ciuilis arbitrio dependere (ſup. §. 485.) qua ratione congruam eccleſiae miniſtris ſuſtentationem velit ſuppeditare.

§. DVI.

Aliqui religioſi, et monachi hoc priuilegio gaudent.

Religioſos et monachos ad decimas de terris ſuis ſoluendas de iure teneri dubium non eſt *can.* 6. *XVI. q. I. cap.* 4. *h. t.* ſed ſicut monachis decimae datae fuere, ita quoque priuilegia exemptionis ipſis data fuiſſe leguntur. Tale priuilegium iuri communi inſertum a Paschali II. obtinuerunt ordines religioſi *can.* 47. *XVI. q. I.* Haec tamen indulgentia adeo liberalis ab Adriano IV. et Alexandro III. in *cap.* 10. *h. t.* ad certos tantum religioſos, nempe *ad Ciſtercienſes*, *Templarios*, et *Hoſpitalarios* poſtea reſtricta fuit, ſed tanta monachos inuaſit fauores pontificum ampliandi cupiditas *cap.* 8. *et* 11. *h. t.* vt in *concilio la-*

teranenſi ſub INNOCENTIO III. noua coarctatione opus fuerit.

Van ESPEN *l. c. cap.* 7. §. 9. *ſeq.*

§. DVII.

Sed non generaliter.

Si itaque haec immunitatis priuilegia regularibus conceſſa, prouti corpori iuris inſerta ſunt, adtendimus, ſequitur 1.) *regulares* omnes immunitatem a decimis habere *ratione noualium, quae propriis manibus, vel ſumptibus excolunt, et de nutrimentis animalium ſuorum, et de hortis ſuis cap.* 10. *h. t.* 2 *3.* 2.) *Ciſtercienſes, templarios* et *hoſpitalarios* immunitate gaudere ratione *omnium terrarum ſuarum*, quas propriis manibus excolunt. 3.) Ita tamen, vt nouas non poſſint adquirere poſſeſſiones decimanas, niſi pro fundandis recens monaſteriis, et ſi in hanc etiam cauſam dentur, eas aliis colendas tradant, vt ex iis decimae ſoluantur. Quodſi nihilominus 4.) quas poſſeſſiones poſt concilium lateranenſe praedictum quocunque modo adquiſierint, easque etiam ſuis manibus excoluerint, decimas ſoluere teneantur Ciſtercienſes non tantum, ſed et omnes ſimilia obtinentes priuilegia. *cap.* 34. *h. t.*

Etiam *leproſos ſub communi vita congregatos, et nutrimentis animalium ſuorum decimas tribuere non cogi* ſanctum eſt *in cap.* 2. *de eccleſ. aedif.* Quaerunt hic interpretes, an indulta generali communicatione omnium priuilegiorum cum exemptis etiam communi-

[redacted]

municata cenſeatur exemptio a ſolutione decimarum? Quod negat Barthel. *l. c. ſect. VII. q. I.* cui adſentior. Ceterum plurima adhuc proferunt regulares poſteriorum pontificum priuilegia, quibus amplior ipſis indulgetur a decimis exemptio. Barbos. in *cap.* 10. *h. t.* Tambvrin. *de iur. Abbat. tom. I. diſp. V. quaeſt.* 18. ſed praeterquam, quod harum conſtitutionum papalium receptio, et vſus *facti* quid ſit, adeoque probari debeat, quotidie eiusmodi male priuilegiatis, obiiciendum foret, quod iis dudum obiecit ſub nomine Richardi, Archiepiſcopus Cantuarienſis Archidiaconus Bathonienſis *Petrus Bleſens ap* van Espen *l. c.* §. 18. *ſeq.* locus dignus, qui totus adſcriberetur.

§. DVIII.

II. Praeſcriptione.

Etiam II.) *praeſcriptione* obtineri poteſt haec immunitas *cap.* 4. *de praeſcript.* non a *clericis* ſolum, ſed etiam *laicis*. Contra parochiam requiruntur 40. anni cum titulo, vel ſine eo tempus immemoriale *arg. c.* 1. *de praeſcript in 6.* Contra eccleſias alias, vt monaſteria, capitula, quibus parochia quaedam non eſt incorporata, ſufficit tempus ordinarium cum titulo 40. annorum ſine titulo. *cap. 4. et 6. de praeſcript.* contra priuatum tam clericum quam laicum praeſcriptio longi temporis. Ceterum, qui praeſcripſit immunitatem a decimis praeſentibus, non propterea etiam praeſcripſit immunitatem a decimis noualium proprie talium, cum agere non volenti nulla praeſcriptio currat.

[redacted]

BARTHEL. *l. c. ſect. VII. §. II. aſſert.* 2. ſunt, qui etiam contra eccleſiam parochialem 40. annos ſine titulo ſufficere ex *cap.* 1. *de praeſcript. in* 6. *et cap.* 4. *eod. tit.* arguunt. Sed vid. BOECKN *h. t. num.* 71. *ſeq.* Iis, qui ab annuarum praeſcriptione ad praeſcriptionem decimarum argumentantur, reſpondet BOEHMER. *h. t.* §. 36. *add.* §. 42. *vſque ad* §. 54.

§. DIX.

III. Conſuetudine.

Modus III.) obtinendi exemptionem a praeſtandis decimis eſt *conſuetudo cap.* 4. 18. 20. 32. *h. t.* Quidam tempus immemoriale, alii 40. ſaltem annorum curſum deſiderant, ſed facilius poteſt introduci conſuetudo non ſoluendi decimas ex certo genere fructuum, ſicut hodie non ſoluuntur decimae perſonales, item ſoluendo huic vel alteri eccleſiae, in pecunia vel alia ſpecie. Ceterum neque conſuetudo ad noualia ſe extendit.

Cum conſuetudo non ſingulis, ſed integrae communitati conueniat, et bonae fidei loca tacita, aut praeſumpta legislatoris voluntate nitatur, patet, quomodo ea a praeſcriptione differat.

[redacted]

§. DX.

IV. Conuentione.

Exemptio a decimis IV.) adquiritur *conuentione*, eaque vel temporali, vel perpetua. Si *temporalis* eſt, atque ad vitam decimatoris ſingularis e. g. parochi, parochus eam ſolus concedere poteſt, *cap. 5. et 8. de transact.* Si conuentio fiat *in perpetuum*, auctoritate praeſidis legitimi opus eſt *cap. 3. h. t. cap. vlt. de reb. eccl. alien.* Si remiſſio haec ſit *pure gratuita*, auctoritatem ſummi pontificis poſtulant, *cap. 3. de transact.* Si vero *non gratuita*, ſed permutatio interueniat, ſolius epiſcopi ſufficere auctoritatem defendunt, *cap. 2. transact.* Sed magis eſt, vt dicamus auctoritatem epiſcopi ſemper ſufficere.

§. DXI.

Actiones, queis tum decimae.

Quam aegre nonnunquam decimae a laicis ſoluantur, imo ab inuitis, et reluctantibus extorqueri debeant, quantaque eorum murmura audiantur, abunde notum eſt; cum vero decimae iure vtroque ſic diſponente ex *iuſtitia* debeantur, non dubium, quin maleuoli refractarii ad ſolutionem earum cogi poſſint, ipſique *decimatores* tam *eccleſiaſtici*. quam *laici* decimarum ſolutionem *iuridice* vrgere queant. Et quidem ſi agatur de *ipſis fructibus* decima-

[redacted]

rum, tunc ii a reliquo cumulo vel iam ſunt ſeparati, et decimatori proportione ſua per hanc ſeparationem adſignati, atque tum ei competit *rei vindicatio*, quia eorum dominium iam adquiſiuit ſupplente rei traditionem canone *can. 3. XVI. q. I.* vel nondum ſunt ſeparati a reliquis fructibus, et petuntur *condictione ex canone arg. l. vn. D. de condict. ex leg.* quae in rem ſcripta eſſe videtur. *cap. 28. 33 h. t.*

§. DXII.

Tum ipſum ius decimandi vindicatur, proponuntur.

Si autem quaeſtio ſit de ipſo *iure decimandi* communes ſeruitutibus actiones, ſcilicet *confeſſoriam*, et *negatoriam vtilem*, cum proprias canones non ſuppeditent, inſtituere licet. *l. 41. pro D. de O. et A. cap. 1. et 2. de N. O. N.* Quodſi autem ſermo ſit de *poſſeſſorio*, locum habet *interdictum adipiſcendae*, adlegando titulum poſſeſſioni transferendae idoneum: vel *interdictum retinendae vti poſſidetis*, vel interdictum *vnde vi ex cap. 18. de reſtit. ſpol. can. redintegrandae III. q. III. l. 1. D. de vi et vi arm.*

Quod laicus, vel alius clericus ſpoliatus a parocho agens interdicto vnde vi ad recuperandam quaſi poſſeſſionem decimarum non ſit reſtituendus, ſed ante reſtitutionem non modo poſſeſſiones, ſed etiam iuſti tituli probationem facere debeat, *ex cap. 2. de reſtit. ſpol. in 6.* concludunt. Sed huius theo-

[redacted]

theoriae vſum practicum non immerito in dubium vocamus, certe iurisprudentia noſtra auſtriaca nec theoriam nec praxin huius *cap.* á. vnquam admiſit.

§. DXIII.

Cenſuris in contumaces vti vix vnquam licebit.

Inſuper refractarios ad decimarum ſolutionem, et per cenſuras eccleſiaſticas conſtringi poſſe in iure cautum eſt *cap.* 5. *h. t.* Hinc praecipit Synod. Trid. *ſeſſ. XXV. cap.* 12. *de reform. omnibus cuiuscunque gradus, et conditionis ſint, ad quos decimarum ſolutio ſpectat, vt eas, ad quas de iure tenentur, inpoſterum cathedrali, aut quibuscunque aliis eccleſiis, vel perſonis, quibus legitime debentur, integre perſoluant, qui vero aut eas ſubtrahunt, aut impediunt, excommunicentur, nec ab hoc crimine, niſi plena reſtitutione ſecuta, abſoluantur.*

Sed cum Synod. Trid. *ead. ſeſſ. cap.* 3. ſatis inſinuet, in cauſis praeſertim ciuilibus, ad excommunicationis cenſurarumque inflictionem non eſſe procedendum, quando executio realis, vel perſonalis aliter haberi poteſt, vix admittetur, vt laici decimas ſoluere renuentes per cenſuras eccleſiaſticas compellantur, aut ob earum non ſolutionem excommunicari poſſint, eo quod alia paſſim media ſint, quibus ad ſolutionem cogantur. Illud omnino eſt ſingulare, quod epiſcopi noſtri in iis *Auguſtanae Confeſſionis ſtatuum ditionibus, vbi anno* 1624. *notorie in poſſeſſione vel quaſi exercitii iurisdi-*

Ctio-

[redacted]

ctionis eccleſiaſticae fuere, eadem in exigendi a ſubditis proteſtanticis *penſionibus et decimis*, *vti et contra eos etiam ad excommunicationem, ſed nonniſi poſt tertiam denunciationem procedere poſſint.* Ita fere ſonant verba *art.* 5. §. 48. in I. P. OSNAB.

§. DXIV.

Iudex competens in cauſa decimarum eſt quivis ordinarius.

De iure communi cauſa decimarum tanquam eccleſiaſtica tractanda videtur coram *iudice eccleſiaſtico*, quem etiam laicorum iudicem competentem in hac materia non tantum in petitorio, ſed etiam in poſſeſſorio, aut de mero facto eſſe communiter tradunt canoniſtae. Sed cum decimae rerum temporalium naturam non amittant, licet ad vſum pium, et eccleſiaſticum deſtinentur, atque ciuilibus legibus nitantur, merito crediderunt principes, decimas ſuae iurisdictioni eſſe ſubiectas, ſibique integrum eſſe earum exactionem, et ſolutionem ſuis legibus circumſcribere. Igitur hac in quaeſtione iura magis ſpecialia adtendenda ſunt.

Vide WIESTNER. *ad h. t. art.* VIII. In Auſtria noſtra cauſas decimarum ad iudicem ſecularem pertinere indoles earum mere ſecularis ſatis probat.

§. DXV.

[redacted]

§. DXV.

Primitiae non vſu abolitae ſunt.

Inſcriptio tituli nos monet, vt etiam de *primitiis*, et *oblationibus* differamus. *Primitiae* dicuntur *primi fructus, qui Dei beneficio ex agris, et fundis ſingulis annis percipiuntur.* Exod. *XXIII.* 19. Nvm. *XVIII.* 11. Quantum primitiarum nomine eſſet offerendum, non determinatum eſt in Pentateucho, ſed arbitrio offerentium ab initio relictum eſſe videtur. Dein magiſtrorum auctoritate effectum eſſe tradit S. Hieronymvs, vt, qui plurimum quadrageſimam partem daret, qui minimum ſexageſimam *c.* 1. *h. t.* Exhibendae hodie eſſent vi iuris eccleſiaſtici parocho, intra cuius eccleſiae fines ſunt praedia, et fundi, ex quibus fructus progerminant *can.* 67. *pr. XVI. q. I. can.* 1. *ibid. q. VII. et cap.* 1. *h. t.* ſed huic iuri contraria conſuetudine derogatum, et primitiae *non vſu* prorſus abolitae ſunt.

§. DXVI.

Oblationes in ſenſu lato et ſtricto.

Satius fore duco, ſi de *oblationibus* plura dicamus. *Oblatio generatim ſumpta* idem ſonat, quod alicuius rei non petitae ſpontanea largitio, quae ſi Deo fiat, *magis proprie oblatio* audit. Ergo oblatio ita accepta comprehendit etiam primitias et decimas. Verum mo-

[redacted]

modo loquendi magis ſtricto oblationes a decimis diſtinguuntur, vocanturque *oblationes, quae a fidelibus vel ad altare vel etiam extra altare vltro, et ſponte ſua citra vllam in quantitate, et ſpecie determinationem Deo vel eccleſiae dantur cap. 38. de V. S.*

Varia hodie ſub nomine oblationum veniunt 1.) quae ad aram facienti, vt ſacri fructum piae cuiusdam intentioni adplicet, in modum ſtipendii conceduntur. 2.) quae poſt adminiſtrata ſacramenta, aut alias functiones paſtorales populus offerre ſolet. 3.) quae in arculas ad colligendas populi largitiones expoſitas immittuntur. 4.) quae circumeuntibus per eccleſiam, et eleemoſynam colligentibus dantur. 5.) quae quouis modo in carnibus, ouis, butyro etc. in vſum miniſtrorum eccleſiae vel pauperum in ipſo templo ponuntur, vel a clericis, aut aedituis oſtiatim colliguntur. 6.) quae in oratoriis, vel ſacellis, in quibus imagines beneficiorum fama celebres, vel ſanctorum reliquiae quieſcunt, a viſitantibus offeruntur. van ESPEN. *P. II. ſect. IV. tit. II. cap. X. §. 5.*

§. DXVII.

Et ſtrictiſſimo definiuntur.

Sed hodierno loquendi vſu *oblationum nomine* fere duntaxat veniunt illa, *quae ad manum ſacerdotis inter miſſarum ſolemnia offerri conſueuerunt.* Priſco quidem aeuo oblationes hae panis erant, et vinum, conuertendae mox in corpus Chriſti, et ſanguinem. *Eulogiae* quoque *ſiue panis benedictus* exinde deſumtus eſt in fideles diſtribuendus. Poſtquam vero

nu-

[redacted]

numerus communicantium imminutus, numerus autem miſſarum auctus fuit, deſiit mos offerendi panem, et vinum, eiusque loco nummi offerri coeperunt. Sed et denariorum oblatio paulatim defecit, contracta fere ad ſolam miſſam in exequiis defunctorum. Ex vſu autem offerendi nummos, orta eſt demum conſuetudo porrigendi denarios ante vel poſt ſacrificium ſacerdoti, qui ex animo offerentis ſacris operabatur.

Van Espen *in ſchol. ad can. 4. apoſtol. et in tractat. de iur. paroch. ad decim. cap. II. §. 2.*

§. DXVIII.

Oblationes de iure pertinent ad parochum.

Inter prouentus paroeciarum numerandas eſſe oblationes, nemo negat. Ergo *regulariter* et in dubio parochus de iure communi fundatam habet intentionem in perceptione earum omnium, quae obueniunt intra limites ſuae parochiae *cap. 3. de his, quae fiunt a prael.* niſi oſtendatur vel ex voluntate offerentium vel conſuetudine, alioue legitimo titulo ad alium adtinere. Et ſane cum oblationes plerumque mere voluntariae ſint, ſequitur, ſi expreſſe, vel coniectura de offerentium voluntate conſtat, ipſi eccleſiae, ſeu certis vſibus non vero rectoris abdomini adplicandas eſſe, vt ſeruari voluntas haec, et cuiuscunque iuris diſpoſitioni praeualere debeat.

[redacted]

Van Espen *P. II. l. c. cap. X. §. 7. ſeq. §. 13. ſeq. et in tractat. cit. §. 3. et 6.* Wiestner *ad h. t. num.* 140. *ſeqq.*

§. DXIX.

Niſi exceptio adpareat.

Ideo pene de ſolis oblationibus, quae fiunt in altari, et adminiſtratione ſacramentorum, aut exequiis, vel anniuerſariis, ſiue ſepulturis defunctorum ius aliquod parocho competit. Praeterea toties ſecundum ius commune parocho non auferendae erunt, quoties adiuncta earum vſum, cui oblationes adcommodare veriſimiliter deſiderant, non determinant, ſed ſimpliciter ad honorem Dei ex quadam recepta conſuetudine offerunt. Ceterum conſuetudinem hac in re plurimum valere facile adparet.

§. DXX.

Cautiſſime ſunt percipiendae.

Id autem quam maxime obſeruandum eſt, vt oblationes, praeſertim, quae fiunt in adminiſtratione ſacramentorum, et aliis functionibus ſpiritualibus plane liberae ſint, ac voluntariae, ſi enim ex aliqua expreſſa, vel tacita pactione, vel coactione dentur, non ſine atroci crimine acceptari poterunt. *cap. 8. et 9. de ſimon.* Tacitae huius exactionis rei ſunt, qui

ver-

verbo, aut facto arguunt auaritiae, aut inhumanitatis eos, qui nihil aut parum offerunt, qui maiori promtitudine adminiſtrant ſacramenta illis, a quibus plura offerenda ſciuntur. Quid, ſi fideles vel paupertate praeſertim occulta, vel expenſarum grauitate deterriti ſacramenta aut non ſuſcipiant, aut ſaltem diutius, quam oportet, differant? Non illi paſtores eſſe mihi videntur, ſed lupi rapaces, manifeſtis vſurariis multo deteriores.

Vnde S. Thomas docens contingere poſſe, vt propter conſuetudinem in praecipuis feſtiuitatibus teneretur quis in altari offerre. *Tamen*, ait, *etiam in hoc caſu oblationem remanere quodammodo voluntariam* 22. *quaeſt* 86. *art.* 1. *in* C. van Espen *tract. cit.* §. 4. *et* 3.

TITVLVS XXXI.

DE

REGVLARIBVS, ET TRANSEVNTIBVS AD RELIGIONEM.

TITVLVS XXXII.

DE

CONVERSIONE CONIVGATORVM.

TITVLVS XXXIII.

DE

CONVERSIONE INFIDELIVM.

TITVLVS XXXV.

DE

STATV MONACHORVM ET CANONICORVM REGVLARIVM.

§. DXXI.

Connexio.

Chriſtiani omnes vel *regulares* vel *ſeculares* ſunt. Iſti pariter ac illi in clericos et laicos ſubdiuiduntur. De *clericorum ſecularium* vita, moribus, rebusque ad ſuperiores, primos praeſertim huius libri titulos eſt actum.

Regu-

Regularium ergo conditionem ac ſtatum concernentia nunc diſcutiemus.

Scriptores hac de re conſulendi ſunt FRANCISCVS FLORENS *tom. II. oper. ad grat. cauſ. XVI. ſeq* DAD. ALTESERRA *Aſceticon ſeu orig. rei monaſt.* RENAT. CHOPPIN: *de iure coenobit.* MICH. GALEN. *orig. monaſt.* EDM. MARTENE *de antiq. monach. rit.* HISTOIRE *du Clergé ſeculier et regulier &c.* HYPPOL. HELIOT. *hiſt. des ordres monaſt.* et reliq. More ſcholaſtico hac de re ſcripſerunt. ASCAN. TAMBVRIN *de iure Abbat.* FRANC. PELLIZZAR. *de iure Monial. et Regul.* et reliq.

§ DXXII.

Status regularis definitur.

Status religioſus vel *regularis*, qui nomine *religionis* frequenter intelligitur, poſt varias, quas ſubiiſſe videbimus, viciſſitudines recte definiri poteſt, quod ſit *ſocietas fidelium editis perpetuae obedientiae, paupertatis et caſtitatis votis ſecundum regulam ab eccleſia adprobatam ſub regimine eccleſiaſtico peculiari Deo ſeruientium.* Inde *religioſi* ſeu *regulares* dicuntur, quorum quinque ſunt genera: *monachi, canonici, clerici regulares, equites* et *mendicantes*, de quibus ſingulis ex ordine agendum erit.

Sunt, qui ad certam regulam nullis praeſtitis votis adſtringuntur, *quaſi regulares* vocati, quo pertinent *patres oratorii*, *diaconiſſae*, *et beguinae*, de quibus vid. VAN ESPEN *iur. eccleſ. vniuerſ. P. I. tit. XXXIII.*

[redacted]

§. DXXIII.

I.) *Initia monachorum ab aſcetis repetenda ſunt.*

A primis inde eccleſiae chriſtianae initiis ſemper extiterunt, qui ſingulari ratione vitam euangelii praeceptis conſiliisque maxime conformem inſtituere conati, *Aſcetae* dicti ſunt, quod nomen et ab antiquis philoſophis chriſtiani mutuati ſunt, et eiusmodi homines ſignificat, qui durioribus regulis abſtinentiae et virtutis ſponte ſua ſe ſe manciparunt. Sunt, qui ab his monachorum initia auſpicantur. Verum licet IV. et V. ſeculi ſcriptoribus *aſcetae* et *monachi* eosdem homines ſignificent, in tribus prioribus tamen ſeculis quotiescunque de aſcetis relatum quid legimus, nobis caueamus par eſt, ne monachos ſomniemus, quorum nomen et inſtitutionem ad multo recentius aeuum referendam eſſe eruditi obſeruarunt.

HENR. VALES *not. in Euſeb. hiſt. eccleſ. lib. II. cap. XVII.* ANT. PAGI *in Baron. annal. ad annum LXII. num.* 4. IOSEP. BINGHAM. *oper. vol. III. lib. VII. cap. I.* Ergo adparet, quid de iis ſentiendum ſit, qui vel chriſtiani nominis primaeuos ſectatores et *apoſtolos*, vel *Ioannem Baptiſtam*, vel *Eliam* conditores ſatoresque primos fuiſſe monachorum docuerunt. Etenim nihil aliud voluiſſe, quam antiquitatem huius inſtituti inuita minerua demonſtrare mihi videntur.

§. DXXIV.

[redacted]

§. DXXIV.

Perſecutiones aſceticam viuendi rationem propagarunt.

Summa quidem *abſtinentia*, *auſtera ieiunia*, et *fuga nuptiarum* vitam hanc aſceticam commendabant, a conſortio tamen hominnm haud alienam. Nec enim ſolitudo de eſſentia vitae philoſophicae, et aſceticae ab initio fuit; ſed poſtmodum ei acceſſit. Vt enim alia ſilentio praeteream, vehementer iſthanc viuendi rationem promouebant *perſecutiones* in religionem chriſtianam exortae. Sub perſecutione Deciana, quae circa *ſeculi III. medium* feruebat, multi homines in Aegypto, huius tempeſtatis aeſtum deuitaturi, ad vicinas ſolitudines ac montes ſe recipiebant, vbi non ſolum tutum a vexationibus perfugium, ſed plus etiam temporis ac libertatis ſeſe in pietate, ac diuina contemplatione exercendi inueniebant.

§. DXXV.

Auctor vitae ſolitariae Paulus Thebaeus.

Quae vitae ratio, etſi primum neceſſitate vrgente inita, non nullis eorum adeo iucunda euadebat, vt cum perſecutio deſiiſſet, ad priſtina ſua domicilia reuerti nollent, in caſulis ſiue *cellulis*, quas in ſolitudine ſibi parauerant, permanere diſcupientes. Primi et notiſſimi horum fuerunt Pavlvs Thebaevs,

[redacted]

et ANTONIVS, duo celeberrimi aegyptii. Ille adeo celebrem ex hoc inſtituto famam obtinuit, vt monachorum in ſolitudine viuentium dux haberetur. Fatentur tamen ſcriptores rerum eccleſiaſticarum, eum diſcipulos nullos habuiſſe et ſoli fere Antonio innotuiſſe.

S. HIERON. *in vit. Pauli.*

§. DXXVI.

Antonius illuſtrator.

Auctor ergo vitae monaſticae PAVLVS, *illuſtrator* ANTONIVS *fuit.* Vixit is *circa confinia III. et IV.* poſt CHRISTVM ſeculi, rigidiſſimus a primo aetatis flore virtutum omnium cuſtos. MOX, nulla quidem preſſus neceſſitate, ſolitudinem et deſerta ab hominum veſtigiis loca petiit, ita tamen, vt ſtatim vniuerſis innoteſceret, et in ſolitudine ſua raro ſolus eſſet. Inde ipſe primus fuit, qui diſcipulos adſciſceret, et morem viuendi in deſertis inculcaret, traderetque. Ab hoc tempore hi Aſcetae et noui philoſophi nomen *Monachorum*, ſeu *Monazonton*, hoc eſt, ſolitariam vitam agentium *L. 26. cod. de decur.* induerunt.

S. HIERON. *Epiſt. XXII. ad Euſtoch. cap. XVI.* Fide hiſtorica certum eſt Paulum et Antonium primos vitae aſceticae exordia in eremo et ſolitudinibus Aegypti ſtatuiſſe, a quibus *Hilarion*, *Macarius*, *Pachomius*, et tot ſanctorum examina ibidem prognata ſunt.

§. DXXVII.

§. DXXVII.

Pachomius in deſertis vitam coenobiticam, ſeu monaſticam; Baſilius in vicis, et vrbibus per orientem promouerunt.

Nondum vero vlla hominum vitam hanc amplectentium erat conſociatio atque communitas, nec vllum extructum monaſterium, ſiue vllae ſocietates ad certas regulas, quibus gubernandae eſſent, formatae. Donec Pachomivs pacatis imperii Constantini temporibus, ſinitaque perſecutione quaedam monaſteria in Thebaide aegypti aedificanda curaret. Hic ergo diſcipulos ſuos a vita ſolitaria ad communem traduxit, vt in vna domo, in deſertis tamen vnius imperio parerent. Inde *Coenobitae* dicti ſunt, qui in ſtupendam mox multitudinem excreuerunt, et per omnem *orientem* ad Indos vſque propagati ſunt. Eorum promotor praecipuus fuit S. Basilivs, qui praeter *regulam* peculiarem, quam ſuis praeſcripſit, primus quoque extitit, qui vitam monaſticam ad hominum ſocietatem, in vicos et vrbes ipſas traduxit.

Act. Pachom. *cap. 77. ap. Papebroch. die 14. Mai.* Pagi *in Baron. annal. an. CCCXVIII. num. 12.* S. Gregor. Nazian.*orat. XX. in laud. Baſil.*

§. DXXVIII.

Variae monachorum denominationes.

Vita igitur ſolitaria hoc modo a plerisque derelicta, nomen tamen commune *monacho-*

[redacted]

rum retentum fuit, et ipſa coenobia horum aſcetarum, *monaſteriorum* nomine inſignita ſunt. Succeſſu temporum *mundo mortui*, et *ſeculum dereliquiſſe cap.* 19. *de regul. et conuerſis; cap.* 20. *eodem et h. Tit. de conuerſ. coniug.* item *Sancti, Nonni, Fratres, Serui Dei;* et quia religionem prae ceteris colere cenſebantur, RELIGIOSI *cap. fin. de relig. dom.* per excellentiam dicti ſunt. Regulae vero monaſticae nomine *religionis* venerunt.

Vid. ALTESERRA *in Aſcet. L. III. c. I.*

§. DXXIX.

Inſtitutum monaſticum ſeculo IV. etiam penetrauit in occidentem.

Eodem *ſeculo IV.* ab oriente in *occidentem* et praeſertim in vrbem ROMAM penetrauit monaſticum inſtitutum auctoribus S. ATHANASIO et ALEXANDRINIS SACERDOTIBVS. Ille viuentis adhuc Antonii vitam a ſe conſcriptam Romam adtulit, atque doctrina et eruditione ſua ipſe ad propagationem Monachiſmi hactenus romanis inuiſi, plurimum contulit. In *Galliis* primum monaſterium extruxiſſe creditur S. MARTINVS *ſeculo itidem IV.* Et quamuis non primus inter occidentales fuerit, qui hanc diſciplinam introduxit, ingens tamen promotor fuit. Huc quam maxime etiam pertinet CASSIANVS, qui orientalium diſciplinis adprime imbutus, innumeros

in

in Gallia monachos ipſe rexit, propagauit, ſcriptaque nobis reliquit, ex quibus pleniorem hac in re notitiam haurire quiuis poterit.

Cassian. *in Inſtit. monaſt. et collat.*

§. DXXX.

Origo virginum eccleſiaſticarum, quae moniales, et monachae poſtea dictae.

Sicut in eccleſia Aſcetae fuerunt pridem ante, quam vlii monachi fuerint: ita hoc loco notandum eſt, fuiſſe in eadem virgines publice virginitatem profeſſas, antequam vita monaſtica, vel nomen eius in mundo innotuerit. Hae, diſtinctionis cauſa nonnunquam *virgines eccleſiaſticae* a ſequentium temporum ſcriptoribus vocantur. Sed poſtea virorum veſtigia ſecutae ſunt foeminae quoque. In oriente Pachomii *ſoror;* in occidente Marcella *Monacharum* prima fuit. In deſertis, vt monachi habitabant. Aſt quia hocce a ratione decori alienum eſſe videbatur, conſultius viſum fuit, eas in vrbes recipere. Inde tandem monaſteria quoque virginum per *occidentem* in vrbibus nata.

S. Chrysost. *hom.* 8. *et.* 56. *in Mathae.* Iam tum *Moniales*, *virgines Deo ſacratae*, *ſanctimoniales*, *Aſcetriae et Nonnae* immo et *Monachae* adpellabantur. S. Gregor. Tvronens. *lib. X. cap. XVI.* Id ſemel adnotaſſe fuerit ſatis, quod mulieres religioſae, in *omnibus*, *quantum ratio et vires ſexus admittebant*, viris religioſis ſe conformauerint, eosdemque fere cum illis Inſtitutores venerentur. Sunt

[redacted]

igitur quaedam *Monachae:* ſunt *Canonicae regulares et ſeculares:* ſunt etiam aliae *ſub ordinibus mendicantibus:* imitantur quaedam *Clericos regulares.* ALTESERRA *lib. III. cap.* 2.

§. DXXXI.

Monachi locis, et vario viuendi genere fuere diſtincti.

Hactenus Monachi non certis ordinibus diſtincti, nec ab auctoribus ſuis, vt hodie fit, denominati ſunt. Nomina enim ſua vel a locis, quae incolebant, ſortiti ſunt; vel alioquin diuerſis viuendi modis diſtingui conſueuerunt. Horum genus I.) plerumque nomine *Anachoretarum* ſeu *Eremitarum* illuſtre fuit, quod ſocietatem hominum fugientes in priuatis cellulis, quarum multitudo *Lauram* conſtituebat, in ſolitudine viuerent, more primorum Monachorum, qui demum hoc nomine ex veritate rei inſigniri poterant. II.) *Coenobitae ſeu Synoditae*, qui vnum ſimul incolebant domicilium; et ſub Abbate, et regula in ſocietate viuentes omnia habebant communia. III.) *Sarabaytae*, qui bini vel terni, nec multo plures ſimul habitabant, ſuo arbitratu viuentes. IV. *Gyrouagi*, qui tota vita ſua per diuerſas prouincias ternis aut quaternis diebus per diuerſorum cellas hoſpitabantur ſemper vagi, nunquam ſtabiles, et per omnia Sarabaytis deteriores.

S. HIERON. *epiſt. XXII. ad Euſtoch. cap. XV.* CASSIAN. *collat. XVIII. cap.* 7. S. BENED. *reg. cap. I.* Ex iis ita-

[redacted]

itaque colligimus, duas tantum monachorum ſpecies veras et vſitatas recenſeri; reprobato Sarabaytarum et Gyrouagorum inſtituto. Vnde ſicut in canonibus, ita in legibus duae tantum ſpecies Monachorum memorantur. Franciscvs Florens. *L. c. in praefat.* adde Ios. Bingham *l. c. cap. II. et III.*

§. DXXXII.

S. Benedictus ſeculo VI. monaſterii caſſinenſis, et nouae regulae auctor.

Poſt ducentos, quibus vita monaſtica floruerat, annos tempore nimirum Ivstiniani Imp. circa annum DXXX. ſurrexit S. Benedictvs, *praeceptor monachorum almificus, can.* 25. *XVI. q.* 1. omnium in occidente pater; qui cum per triennium, cum vnico ſocio, nomine Romano in ſpelunca ſolitariam vitam egerat, adſcitis fratribus Mavro, et Placido ad *Caſſinum montem Romam inter et Neapolim* ſitum ſe tranſtulit, monaſterioque a ſe ibidem fundato *regulam nouam* praeſcripſit, non quidem ea intentione, vt nouum quemdam, ac antea inſolitum monachorum ordinem conderet; ſed *vt coenobitarum, genus monachorum tunc fortiſſimum* diſponeret. *S. Benedict. reg. cap. I.* in qua nihil aſperum, nihil graue conſtitutum eſſe ipſe S. Pater edixerat. Praeter S. Benedictum hoc *ſeculo VI. et VII.* in Hispania SS. Donatvs *Monachus*, Isidorvs *epiſc.*, Frvctvosvs *Abb.* in *Gallia* SS. Caesarivs, Avrelianvs, Ferreolvs, Do-

DONATVS *epiſc.* et COLVMBANVS *Abb.* peculiaribus *regulis* conſcriptis monaſticum inſtitutum magnopere promouerunt. Omittimus hic orientalis eccleſiae monachos, qui ſicut occidentales BENEDICTVM, ita hi S. BASILIVM ducem ac principem agnoſcunt, cuius et regulas plerique ſequuntur.

ALTESERRA. *L.* 1. *cap.* 9.

§. DXXXIII.

Inſtitutum S. Benedicti per occidentem vbique propagatur.

Neque vir ſanctus vniuerſalem hanc regulam eſſe voluit, ſed peculiarem tantum caſſinenſi Coenobio, cui praeerat. Verum ab eo tempore per ſecula ſubſequentia hoc Benedicti inſtitutum, per omnes occidentis partes, et in noſtra etiam GERMANIA ope S. BONIFACII vna cum fide chriſtiana propagatum, adeo inclaruit, et tantum vbique adplauſum promeruit, vt aliae regulae monaſticae, quae in occidente viguerant, ſucceſſiue exoleuerint, et omnia fere monaſteria regulae B. Benedicti mancipata fuerint.

Extant plurium conciliorum in Germania, aliisque regnis celebratorum decreta, queis cauetur, ne monachi alia poſt hac vtantur, niſi ſola D. Benedicti regula. Inde propoſita eſt quaeſtio in conuentu epiſcoporum, abbatum et comitum a Carolo M. an. 811. habito, *vtrum aliqui monachi eſſe poſſint praeter eos, qui regulam S. Benedicti obſeruant.* *Capitul. XI.* ap. BALVZ. *tom. I. collat.* 479.

§. DXXXIV.

[redacted]

§. DXXXIV.

Benedictus Abbas anianenſis regulae S. Benedicti reſtaurator ſeculo IX.

Sub *initium ſeculi IX.* annis poſt S. Benedictum fere trecentis, tepeſcente paulatim rigore, monachi ab exacta regulae obſeruantia quam maxime receſſerant. Huic malo vt medela fieret, Lvdovicvs Pivs *Imp.* omnium monaſteriorum totius regni ſui curam Benedicto Anianensi *Abbati* demandauit, qui eo iubente monachorum mores emendare adgreſſus eſt. Id quod feliciter perfecit, dum in *conuentu aquisgranenſi* anno 817. habito, abbatum plurimorum conſilio adiutus, veterum patrum regulas vndique conquiſitas conflauit in vnam, vt Benedicti regulae ſupplementa eſſent. *Hic eſt Benedictus, per quem Dominus Chriſtus in omni regno Francorum regulam S. Benedicti reſtaurauit*, ita vt non minus deinceps ponderis haec Benedicti Aniani abbatis *regularum concordantia*, quam ipſa princeps regula B. Benedicti habuerit

Vid. Capitvl. Aqvisgr. *de vita, et conuerſatione monachorum*, quod conſtat capitulis octuaginta ap. Balvz. *tom. I. col.* 579. *ſeqq. Add.* Leo Ostiensis *in chron. Caſinenſi L. I. c.* 16. Mvrat. *Scriptor rer. Ital.*

§. DXXXV.

[redacted]

§. DXXXV.

Berno et Oddo diſciplinae monaſticae ſeculo X. reformatores.

Aſt factam virtutis monaſticae iacturam haec reformatio reparare non potuit. *Seculo X.* varias ob cauſas diſciplina monaſtica in occidente pene extincta iacebat. Munificentia et pietate WILHELMI AQVITANIAE *ducis* monaſterium *cluniacenſe* in BVRGVNDIA an. 910. fundatum eſt, eiusque regimen BERNONI *abbati belmenſi* concreditum. Is reformationem nouam adgreſſus traditionem obſeruantiae regulae S. Benedicti purioris collegit, eamque paululum immutatam, adſumpto etiam atro veſtitu, fundamenti loco poſuit. Eius ſucceſſor S. ODDO rem plene perfecit, cuius praeſertim opera breui duo millia coenobiorum reformata ſunt. Vbique eandem diſciplinam obſeruari curauit. Abhinc nomen *ordinis cluniacenſis* innotuit, pluribus communitatibus eandem regulam et diſciplinam obſeruantibus adplicatam.

Vid. CONCIL. *Troslei: anno* 909. *habitum ap.* HARDVIN. *tom. VI. p. I. c.* 3. *col.* 510. *et teſtamentum Guilelmi Duc. Aquit. ibid. col.* 547.

§. DXXXVI.

Origo Ciſtercenſium ad finem ſec. XI.

Ordo Cluniacenſis, quo latius propagatus eſt, eo maius diſciplinae detrimentum ſenſit.

Cuius

Cuius ruinae cauſam ſi quaeras, eam praecipue in diuitiarum copia, et precum vocalium multiplicatione inuenies. Sic intra ducentos annos mira morum corruptione deformatus eſt. Nouus itaque *ſeculo XI. exeunte* prodiit vitae monaſticae inſtaurator Robertvs Molemienſis *abbas benedictinus*, qui cum ſociis ſuis monaſterium *ciſtercienſe* condidit. Regulam S. Benedicti ad amuſſim obſeruandam, reiectis omnibus eidem contrariis, reſumpta quoque veſte candida retinuit. Admiratione virtutum ordo ille breui tempore omnem Europam peragrauit. Inter primas Ciſterciae filias fuit etiam monaſterium *claraualleníe*, cui S. Bernardvs *ciſtercienſis monachus Abbas* datus eſt. Huius autem Viri ſanctitas tam illuſtris fuit, vt a plurimis ipſe habeatur totius ordinis conditor et *ciſtercienſes* monachi *bernardini* audiant.

S. Bernardvs *apolog. ad Opul. Abbat. cap.* 7. Clavd. Flevry: *in hiſt. eccleſ. diſc. VIII. §.* 3. *et* 4. Hoc ſeculo XI. et ſequentibus res monaſtica non ſolum ſupra omnem modum, et ſine termino propagata fuit, ſed et ingens fuit eorum numerus, qui in nouis ordinibus inueniendis inclaruerunt.

§. DXXXVII.

II.) *Agitur de canonicorum inſtituto, et origine.*

Nouum ſplendorem et propagationis effuſiſſimae cauſam ſtatus monaſticus *ſeculo VIII.* accepit, ex quo ad clericorum quoque congre-

gatio

[redacted]

gationes eſt traductus. Etenim CHRODEGANGVS, quem diſſolutior cleri vita offenderat, clericorum in ſua eccleſia congregationem inſtituit, eosque more monachis vſitato, ſi paupertatem exceperis, viuere docuit. *Regulam* iis praeſcripſit, totam ferme ex *regula* S. Benedicti exceptam, quatenus nempe vita monaſtica clericis eccleſiae miniſtrantibus conuenire poterat. Atque haec regula exinde ab omnibus clericis, qui vitae communis inſtitutum, exemplum clericorum S. AVGVSTINI, et ante ipſum S. EVSEBII *Vercellenſis*, nouiſſime ipſius CHRODEGANGI ſecuti, profitebantur, ſicut regula S. Benedicti ab omnibus monachis, recepta fuit.

§. DXXXVIII.

S. Norbertus ordinis Canonicorum praemonſtratenſium fundator.

Ruente in deterius monachatu, mirum non eſt, religioſos quoque *canonicos* iſtos iugi monaſtici impatientes, deſerta vita communi in ſtatum corruptiſſimum incidiſſe. His vitiis obuiam iuiſſe PETRVM DAMIANVM plerique adſerunt. Hoc certum eſt, *reformationis* fundamenta, et *canonicorum regularium* S. AVGVSTINI initia decretis *conciliorum* ROMAE ſub NICOLAO II. et ALEXANDRO II. *ſeculo XI.* habitorum adſcribenda eſſe. Eorum *ſeculo XI.* et *XII.* magna fuit auctoritas, ex-

pedita

pedita propagatio. Mox ad exemplum nouorum ordinum monaſticorum *canonici* ſeparata corpora, ex variis reformationibus enata conſtituere coeperunt, in quibus *ordo praemonſtratenſium a* S. Norberto anno Chriſti 1116. *praemonſtrati* monaſterii in *dioeceſi* Lavdvnensi *fundatore* ſub regula S. Auguſtini inſtitutus omnium eſt illuſtriſſimus: quod tum auſteritate vitae, et perpetua abſtinentia, tum paupertate ſeſe ab initio omnibus commendaret, et reliquis canonicorum familiis laxiorem viuendi vſum ſequentibus longe praeferendus videretur.

De Norberto ordinis canonicorum praemonſtratenſium conditore vid. Iacob. a Vitriaco *hiſt. occident. L. II. c.* 22. *S.* Bernard. *epiſt.* 252. Innocent. *III. P. L.* 1. *epiſt.* 201. *ſeqq.*

§. DXXXIX.

III.) *De ordinum equeſtrium in ſpecie templariorum origine.*

Expeditiones cruciatae *ſeculo XII.* ſuſceptae hactenus inauditum genus religioſorum pepererunt, *equeſtres* ſcilicet *ordines*, a coniuncta cum inſtituto regulari militia ſic dictos. Eſt enim ordo *equeſtris*, ordo religioſus, qui ad religionem contra impugnatores armis defendendam voto ſe ita obſtringit, vt ſingula eius membra ſub ſuperiore ad exemplum *religioſorum*, ſimul ac *militum* regulariter viuant, et ſtipendia propterea accipiant. Horum pri-

[redacted]

mi et celeberrimi ſunt 1.) *ordo fratrum, ſeu militum templi,* vulgo *templariorum:* ſic dictorum, quod iuxta templum Domini Hieroſolymis ſedes haberent, ab HVGONE DE PAGANIS, et GAVFRIDO DE S. AVDEMARO an. 1118. conditas. Cum enim praedonum latrocinia Hieroſolymam peregrinantes turbarent, *quidam profeſſione, et voto ſolenni ſe adſtrinxerunt, vt a latronibus, et viris ſanguinum defenderent peregrinos, et ſtratas publicas cuſtodirent, more canonicorum regularium in obedientia, et caſtitate, et ſine proprio militaturi ſummo regi.*

IACOB. DE VITRIACO *lib. I. hiſt. orient. cap.* 65. S. BERNARD. *opuſc. VI. cap. I. ſeqq.*

§. DXL.

Recenſetur origo ordinis hoſpitalariorum S. Ioannis et teutonicorum S. Mariae.

2.) *Ordo hoſpitalariorum* S. IOANNIS originem ſuam debet *Xenodochio* HIEROSOLYMAE prope ſepulchrum DOMINI aedificato. Ergo ab initio hic ordo non *equeſtris*, ſed mere monaſticus fuit: pauperum, infirmorum, et maxime peregrinantium in vſum erectus. Sed inde a temporibus ANASTASII IV. P. ad templariorum imitationem tria hominum genera, *equites, fratres ſeruientes, ac clericos* comprehendit. 3.) *Ordo teutonicorum de domo* S. MARIAE *Hieroſolymae.* Nimirum dum chriſtiani Acriam vrbem obſidebant, quidam ger-

germani, aegrotantium commiſeratione tacti, tabernaculum *Noſocomii* loco extruxerunt; cumque iam antea a quodam germano hoſpitale vna cum oratcrio B. Mariae V. Hieroſolymis fundatum eſſet, eiusque ſodales militiam ſacram exercerent, nata nouae pietatis occaſione placuit, tertium ordinem militarem ex nobilibus Germaniae, accepto a templariis, et hoſpitalariis S. Ioannis exemplo, erigere.

Originem, et occaſionem horum trium ordinum diſtincte refert Wilhelmvs Tyrivs *de Bell. Sac. L. XII. c. 7. et. L. XVIII. c.* 5. Iacob. de Vitriaco *in hiſtor. orient. ſcriptor. ſeculi XII.* qui ipſemet expeditionem in terram ſanctam praedicationibus hinc inde commendauit. Ceterum idem ardor rei chriſtianae inſeruiendi, et religionem armis defendendi in occidente quoque plures ordines ad formam trium praedictorum, praecipue in Hiſpania produxit, quos recenſet Avbert. Miraevs *in orig. equeſt. ord. L. I. cap. VI. ſeqq. et* Andr. Mendo *de ord. milit.*

§. DXLI.

Tractatur de fatis horum trium ordinum.

Fata horum trium ordinum varia fuere. A modico, et tenui fonte principia habentes mox ſumma incrementa coeperunt. Dein fracto in terra ſancta chriſtianorum imperio per vniuerſam Europam propagati immenſum bonorum cumulum adquiſiuerunt. *Templariorum* quidem non diu ſtetit gloria: in *concil. Viennenſi* anno 1312. vrgente Philippo pvlchro

[redacted]

GALLIAE REGE, a CLEMENTE V. PONTIFICE prorſus extincta eſt, inaudito hactenus exemplo. *Hoſpitalarii* primo in inſulam CYPRVM ſe receperunt, poſt inſulam *RHODVM* vi, et armis an. 1310. occuparunt, (*inde milites rhodi* dicti) quam duobus fere ſeculis tenuere, donec a SOLIMANNO diutina obſidione, et numero hoſtium magis oppreſſi, quam victi, mutare ſolum coacti, *melitam* inſulam CAROLI V. IMP. beneficio acceperunt, vnde et *Melitenſes* vocantur. *Teutonici* Hieroſolymis pulſi migrarunt in PRVSSIAM, quam vi, et armis profligatis infidelibus in ſuam poteſtatem redegerunt, et tribus fere ſeculis tenuerunt. In GERMANIA plura bona *templariorum* ſpoliis aucta ſub *Baliuiarum*, *et commendaturarum* titulo ab iis poſſidentur.

Vid. *AA. ſupra citati.* Cf. *Diſſertatio* de tribus his ordinibus equeſtribus a ME OENIPONTI an. 1744. conſcripta.

§. DXLII.

IV.) *In originem mendicantium inquiritur, et quidem* 1.) *dominicanorum.*

Poſt *ſeculi XIII. initia* nouae, et inſolitae prorſus religiones adparuerunt. S. DOMINICVS canonicus regularis natione *hiſpanus*, quem feruor conuertendi haereticos incitauerat, ad hunc finem conſequendum nouo ordine opus eſſe exiſtimauit. Itaque vnanimi ſociorum ſuorum conſenſu *regulam* S. AVGVSTINI, cum per canones nouam condere non lice-

liceret, recipere placuit, adiunctis quibusdam arctioris diſciplinae conſtitutionibus, receptaque paulo poſt mendicantium paupertate. Inde origo *ordinis fratrum praedicatorum*, *ſeu dominicanorum*.

Honorivs III. P. hoc inſtitutum, reiectis *humiliatis* ita dictis, ſua auctoritate probaſſe teſtatur Martinvs Polonvs ad an. 1216. Add. Abbas Vrspergensis in *chron*. ad an. 1212.

§. DXLIII.

2.) *Fratrum minorum*.

Eodem tempore S. Franciscvs de Assisio *fratrum minorum fundator* extitit, qui reiectis bonis omnibus externis extremam paupertatem amplexus, ſibi ſociisque ſtylo ſimplici *regulam peculiarem* conſcripſit, ſicque mendicantium auctor primarius fuit. Ordinem *fratrum minorum* reprobatis *pauperibus de Lugduno* confirmauit Gregorivs IX.

De cuius inſtituto legi meretur Matth. Paris. *ad an.* 1208.

§. DXLIV.

3.) *Carmelitarum*.

Eodem ſeculo ineunte an. 1203. Albertvs *patriarcha hieroſolymitanus* eremitis in *monte Carmel* auſteram vitam viuentibus re-

[redacted]

gulam praeſcripſerat. His mox inde pulſiſſet diſperſis, *carmelitarum* ordo in Europa innoteſcere, et adprobante GREGORIO IX. ſtabiliri coepit.

WERNERVS *in faſcicul. temp.* ad an. 1203. ſcribit, *quod Albertus patriarcha hieroſolymitanus ordinem carmelitarum inſtituerit in monte Carmelo.* Fallitur igitur *auctor Paralipom. Abbat. Vrſperg.* qui ad an. 1286. initia huius ordinis reiicit.

§. DXLV.

4.) *Eremitarum ordinis S. Auguſtini.*

Iisdem fere temporibus ALEXANDER IV. P. plures eremitarum cum nomine, tum inſtitutis differentes congregationes coniunxit ſub adpellatione *eremitarum* S. AVGVSTINI.

Vid. ANTONINVS *in chron. part. III. tit.* 2. 4. c. 14. §. 3. *et* PAVL. LANGIVS *in chron. Citizen.* ad an. 1256.

§. DXLVI.

Multiplicatio ordinum religioſorum prohibetur.

Cum autem INNOCENTIVS III. iam intelligeret, eccleſiam multitudine religionum maxime mendicantium laborare, his modum in *concilio Lateranenſi IV.* imponere decreuit, ſanxitque, ne deinceps *noua quaedam religio admitteretur c. vlt. de domib. relig.* quod in *concilio Lugdunenſi I.* repetitum fuiſſe legimus.

[redacted]

§. DXLVII.

Quo tamen non obſtante noui ordines enati ſunt, vti fratrum minorum S. Franciſci ſtrictioris obſeruantiae, et capucinorum.

Sed vt ſunt res humanae, collapſa denuo monachorum pietas iam nouam reſtaurationem flagitare videbatur; ideo viri zelo domus Dei incenſi, vel ad maiorem perfectionis gradum, vel ſaltem ad genuinas *humilitatis*, *paupertatisque* regulas rem monaſticam deducere conati ſunt. Non ignota eſt congregatio *fratrum minorum* S. Francisci *ſtrictioris obſeruantiae*, quos poſtea *recollectos* vocarunt. Seculo XVI. Matthaevs de Bassio ex Vmbria *oriundus* reformationis ceteris omnibus ratione paupertatis exactiſſimae auctor extitit, quam Clemens VII. conſtitutione data an. 1528. adprobauit, confirmauitque Pavlvs III. ſub nomine *fratrum minorum capucinorum* a longo et acuminoſo capitis tegumento, quod barbare *capucinum* vocant, qui hoc nomen ſortiti ſunt. Sic in ceteris mendicantium ordinibus plures ſunt *reformatorum* coetus.

Flevrii *diſſert. cit. §. 8. ſeqq.*

§. DXLVIII.

V.) *Agitur de clericis regularibus; in ſpecie Theatinis.*

Neque intra limites reformationum ſubſtitit religioſos ordines multiplicandi ſtudium.

[redacted]

Seculo XVI. plures nouae congregationes ſub nomine *clericorum regularium* prodierunt, quibus emendatio morum, et diſciplinae eccleſiaſticae fuit propoſita. Celebris eſt, *theatinorum*, ſeu *caietanorum*, cuius auctor fuere PETRVS CARAFFA EPISCOPVS THEATINVS, poſtea SVMMVS P. ſub nomine PAVLI *IV.* et CAIETANVS TIENAEVS *nobilis vicentinus.* CLEMENS VII. P. inſtitutum hoc dato *diplomate* de an. 1524. auctoritate pontificia firmauit.

Vid. NAT. ALEXAND. *hiſt. eccl. ſec. XV. et XVI. tom. IX. c. VII. art. 4. n. 9.*

§. DXLIX.

Tractatur de inſtituto Societatis IESV.

Non multo poſt S. IGNATIVS LOYOLA *nobilis Cantaber* ex voto, quod cum primis ſuis ſociis emiſerat, noui ordinis inſtitutum prodidit. Placuit nomine *Societatis IESV* illud inſignire. Per vniuerſum quidem orbem habitatum, miro ſucceſſu propagatum et diffuſum. Fuerunt in ea quadruplicis generis religioſi: *ſcholaſtici, coadiutores ſpirituales, profeſſi, et coadiutores temporales.* Praeter tria vota ordinaria *profeſſi* ſpondebant papae *ſpecialem obedientiam* in omnibus, quae ad ſalutem animarum, et ad fidem propagandam pertinent.

PIVS V. P. ſocietatem non ſolum ex priuilegio apoſtolico, ſed etiam vi inſtituti ſui vere, et pro-

prie

prie mendicantem eſſe, ſpeciali conſtitutione, quae incipit: DVM INDEFESSA: 7*ma Iulii* 1571. declarauit; hanc autem modernus pontifex CLEMENS XV. vi *bullae*, quae incipit DOMINVS, ac REDEMPTOR NOSTER, 21 Julii 1773. aboleuit atque extinxit.

§. DL.

Clericatus poſtea cum monachiſmo coniunctus eſt.

Monachi ex prima ſua origine generatim erant laici, et ſecundum propriam ac peculiarem ſuam conſtitutionem, et generales eccleſiae regulas non poterant non tales eſſe. *Monachus non docentis, ſed plangentis habet officium.* S. HIERONYM. *epiſt. IV. ad Ripar. epiſt.* 1. *ad* HELIODOR. Non ita multo poſt in monachis tolerati ſunt presbyteri, qui ſacrum facerent in oratoriis monaſticis, ne monachis publicae eccleſiae, non ſine periculo turbandae diſciplinae monaſticae, frequentandae eſſent. Dein vita contemplatiua cum vita actiua, id eſt, monaſtica cum clericali coniuncta eſt in communitatibus canonicorum. Tandem *concil. Vienneſe an:* 1311. voluit, vt monachi omnes ſacris initiarentur *Clement.* 1. §. 8. *de ſtat. monach.* Immo iam ab eo tempore, quo cluniacenſes, et ciſtercienſes innotuerunt, adſidue verba facere ad populum, omnibusque in eccleſia officiis fungi coeperunt. Contrarium in *canonicis regularibus* obſeruamus, qui origine ſua clerici ſunt, ex poſt autem in monachorum formam redacti.

[redacted]

THOMASIN. *vet. et nou. eccl. diſc. part. I. lib. III. cap. XII. ſeqq.* IOS. BINGHAM. *l. c. cap. II. §. 7. ſeq.* Illiterati, et ſolum ad laborem corporis idonei porro quidam ad vitam monaſticam admiſſi ſunt; ſed ita, vt nec ad chorum admitterentur, nec ſuffragio gauderent in capitulo. Atque hi *fratres laici*, *ſeu conuerſi* vocati ſunt. IOAN. GVALBERTVS ſeculo XI. monachorum VALLISVMBROSAE auctor, primus fratres laicos ad ſubeundos labores, et vilia munia adſciuiſſe legitur. Hunc dein reliqui omnes imitati ſunt. Licet autem monachi clericis iam dudum adnumerati ſint, ſemper tamen a canonicis diſtincti manſerunt. *Conſer. can.* 2. 3. 4. *XVI. q.* 1.

§. DLI.

Adſtruitur differentia inter mendicantes, clericos regulares et monachos.

Mendicantes, inter *clericos regulares*, et *monachos* veluti medii fluctuant. Sunt enim omnes clerici deſtinati ſaluti hominum per praedicationem, et poenitentiae adminiſtrationem, promouendae. Sed plerique auſterum monachatum ſectantur, augentque pedum nuditate, et mendicitate: ab vtrisque viciſſim differunt, quod nullibi fixam ſedem habent, ſed *ambulatoriam* vitam agunt, ire parati, quo ſuperiorum voluntas, quo ſalus eccleſiae vocat. *Clerici regulares* eodem fere inſtituto vtuntur, et a ceteris religioſis praecipue in eo diſcrepant, quod miſſam non cantant; de cetero orationis mentalis ſtudioſiores. Si externa ſpectes, auſteris corporis macerationibus poſthabitis, veſtitu vtuntur ſano, presbyterorum ſecularium ſui temporis proprio.

Horum

Horum ordinum egregia in eccleſiam quandoque merita, ſingularis erga ſedem apoſtolicam, et curiam romanam deuotio, inuidenda paparum priuilegia ipſis conciliarunt, confuſiones innumeras excitatura. Celeberrimum horum priuilegiorum promptuarium eſt conſtitutio Sixti IV. an. 1474. *fratribus minoribus* data, quam *mare magnum* vocant, quamue Leo X. an. 1519. omnibus mendicantibus communem eſſe voluit.

§. DLII.

Regulae ordinum religioſorum a S. Pontifice adprobandae ſunt.

Regulares ſecundum regulam ab eccleſia adprobatam vitam ſuam inſtituunt. Olim tot erant regulae, quot monaſteriorum conditores, quorum quiuis pro ſuo arbitrio diſciplinam monaſticam temperabat. Hinc mutatae paſſim, et plures non raro in eodem monaſterio ſeruatae ſunt. Primus fuiſſe creditur S. Benedictvs, qui vagam hanc regulas mutandi, et recipiendi licentiam tantiſper caſtigauit, poſtquam intra profeſſionis terminos regulae ſuae obſeruationem incluſit. Abhinc quidem non defuerunt, qui noua proponerent crudae deuotionis inuenta. Ne tamen ſub hoc praetextu abſurda irreperent, Innocent. III. *in concil. lateranenſi* decreuit, *vt qui voluerit domum de nouo fundare, regulam et inſtitutionem accipiat de adprobatis. cap. vlt. de relig. dom.* Ab eo tempore omnibus regularum nouarum conditoribus haec ſedis apoſtolicae adprobatio adeo neceſſaria facta eſt, vt

absque

[redacted]

abſque ea nec *religio*, nec *vota ſolennia* hactenus intelligantur, ſimulque ſoli pontifici in regula diſpenſandi poteſtatem competere creditum fuit. Alia *conſtitutionum cuiusuis ordinis* eſt ratio.

GREG. TVRONENS. *lib. X. hiſt. cap.* 29. VAN ESPEN. *iur. eccl. vniu. p. I. tit. XXIV. cap.* 1. *§.* 6. *ſeq.* Regulae praecipuae, et principales, quibus fere omnes religioſi adſurgunt, ſunt quatuor: I. antiquiſſima ad S. BASILIVM refertur, et in orientali eccleſia celeberrima eſt: II.) quae S. AVGVSTINO adtribuitur. Dudum obſeruarunt eruditi eſſe hanc ſcriptionem S. Auguſtini prorſus extemporaneam ad vnius ſolius Parthenonis vſum, in quo ipſa S. Doctoris ſoror praepoſita fuerat, directam: inde a Benedicto abbate annianenſi nonnullis immutatis, viris adoptatam. PAPEBROCH. *ad vitam S. Albert.* 8. *April.* ERASM. ROTEROD. *in tom I. S. Auguſt. ad finem.* III.) eſt S. BENEDICTI. IV.) S. FRANCISCI *cap.* 3. *de V. S. in VI.* Innumeras alias, quae vnquam prodierunt, regulas vid. in LVC. HOLSTENII *cod. regul.*

§. DLIII.

Decretum concilii lateranenſis contra inductionem noui ordinis.

Primitus ignota erat ordinum diuerſitas, varia licet exterior diſciplina fuerit. Vna ergo monachorum ſocietas, et facilis de vno monaſterio ad aliud tranſitus. Saluberrima haec vniformitas vsque ad *ſeculum X.* et *XI.* perdurauit. Tum infinita propemodum monachorum varietas prorupit. Igitur ſub *initium ſeculi XIII.* ob ſuperſtitionum, ac rituum a catho-

cho-

[redacted]

tholica, et ſolida pietate alienorum periculum, in *concil. lateranenſi* cautum eſt: *Ne nimia religionum diuerſitas grauem in eccleſiam Dei confuſionem inducat;* et ideo prohibetur, *ne quis de cetero nouam religionem inueniat cap. fin. de relig. dom.* Verum non obſtante hoc decreto, ſequioribus aeuis, admirantibus immo obſtupentibus viris ſapientibus, et diſertis, longe plures, quam omnibus ſeculis anteactis, ordines inſtituti fuerunt.

Mabillon *in praefat. ad p. I. ſecul. IV.* Benedict. *num.* 52. Luc. Holstein. *praefat. ad cod. regul.* Bellarmin. *lib. II. de monach. cap.* 4. Mathae. Paris. *ad an.* 1216.

§. DLIV.

Decretum concilii lugdunenſis contra eandem.

Hinc in *concilio lugdunenſi* ſub Gregorio X. denuo hac de re actum eſt. *Cum enim non ſolum importuna petentium inhiatio religionum multiplicationem extorſiſſet, verum etiam praeſumptuoſa temeritas diuerſorum ordinum, praecipue mendicantium, effroenatam quaſi multitudinem adinueniſſet: repetita conſtitutione idem concilium diſtrictius inhibuit, ne aliquis de cetero nouum ordinem, aut religionem adinueniat, vel habitum nouae religionis adſumat cap. vn. de relig. dom. in VI.* Sed mirum non eſt, etiam ab hoc tempore numerum religionum adeo excreuiſſe, vt a multis viris piis apoſtolicae ſedis, et principum ſecularium prouiſio hac in re deſideretur

Fac-

[redacted]

FAGNAN *ad cap.* 14. *de aet. et qval. ord. num.* 15. FLEVRII *diſſert. laud.* §. 7. *qui in* §. *ſeq.* 8. *ita raciocinatur:* Mihi quidem videtur, eccleſiae melius proſpectum fuiſſe, ſi epiſcopi et pontifices cleri ſecularis reformationi ad normam primorum quatuor ſeculorum reuocandae inſtitiſſent, absque eo, quod copias has extraneas in ſubſidium aduocaſſent; ita, vt non niſi duo perſonarum Deo conſecratarum genera extitiſſent: vnum *clericorum*, inſtructioni et curae fidelium ſub *perfecta* epiſcoporum obedientia deſtinatum: alterum *monachorum* a mundo plene ſeparatorum, orationi ſolum et laboribus manuum in ſilentio vacantium.

§. DLV.

Agitur de forma regiminis, et rectoribus regularium.

Regularium diſciplina regimine peculiari eccleſiaſtico dirigitur. *Ex reg. S. Bened. cap.* 2. quodlibet monaſterium abbatem habet, qui non ſolum monachos omnes regit ratione morum, ſed inſtar boni patrisfamilias, etiam temporalia omnia adminiſtrat. Eius regimen monarchicum eſt *ead. reg. cap.* 65. fratrum tamen in rebus arduis, aut ſeniorum in leuioribus, conſilia non reſpuit *cap.* 3. *ibid.* Poſt abbatem curam monaſterii gerit *praepoſitus cap.* 65. *cit.* qui inde a temporibus PETRI DAMIANI *prior* vocatur *clauſtralis*, vt a *conuentuali* diſtinguatur. Tum alii officiales ſequuntur.

Abbas lingua hebraica et ſiriaca idem ſonat, quod latina *pater*, S. HIERONYM. *in epiſt. ad* GALAT. *IV*, *can.* 3. *XIX. q. III.* Interdum abbas etiam *maior* eſt

[redacted]

eſt dictus *reg. Bened. cap.* 5. idemque *Archimandrita l.* 53. *pr. cod. de epiſc.* Immo *praelatus* et *praeſul cap.* 65. *cit.* qui tamen tituli hodie non abbatem ſimplicem, ſed in praeeminentia quadam conſtitutum denotant. Tambvrin. *de iur. abbat. tom. I. diſp. I. q.* 3. Abbates ſubinde quoque *priores* dicti ſunt, inde in quibusdam ordinibus obtinuit, vt hodie adhuc caput et primarius monaſterii *prior*, ſcilicet *conuentualis*, dicatur. Sunt etiam *priores obedientiarii* ſeu forenſes ab obedientiis ſiue cellis, quas *prioratus* recentior aetas vocauit, ſic dicti *cap. 6. de ſtat. monach. can.* 13. *XVIII. q. II.* Mabillon *in act. Bened. in praefat. ad ſecul. V.* §. 53.

§. DLVI.

Ponitur differentia inter priorem clauſtralem et conuentualem.

Prior clauſtralis, et conuentualis in eo differunt, quod *clauſtralis* et *obedientiarius* ad nutum abbatis ſint amouibiles *cap.* 6. *cit.* Concil. Trid. *ſeſſ. XXV. cap.* 2. *de regul.* nequaquam *conuentualis*, licet temporarius ſit, niſi ex iuſta cauſa, et ſeruato iuris ordine *cap.* 2. *de ſtat. mon.* qui et in dignitate conſtitutus intelligitur; hinc tanquam iudex delegatus a ſede apoſtol. dari poſſe cenſetur *cap.* 11. *de reſcript. in VI. conf.* van Espen. *l. c. tit. XXXI. cap.* 1. 2.

§. DLVII.

Item inter abbates locales et generales.

Igitur omnes abbates olim *locales* erant, hoc eſt, vni duntaxat monaſterio praepoſiti,

atque

[redacted]

atque vnumquodque monaſterium ſuo tantum abbati, non alteri obtemperabat. Tum S. ODDO *abbas Cluniacenſis* omnia fere, quae reformauit, monaſteria in vnum corpus coniunxit, et principi monaſterio *Cluniacenſi ita ſubiecit*, vt ipſe et ſucceſſores eius eſſent totius ordinis directores ſummi et vnici, ſicque *abbates generales* prodierunt. Poſtea plures ſub *regula* S. BENEDICTI, atque aliorum exorti ſunt ordines, quorum monaſteria in vnum corpus adunata vni ſupremo moderatori ſubiiciuntur. Hos inter *Ciſtercienſes* primi ſunt, qui tamen, vt monarchiae cluniacenſis incommoda euitarent, peculiari pacto et conſtitutione, quae vulgo *charta charitatis* dicitur, ita coierunt, vt veluti Ariſtocratiam quamdam conſtituerent. Placuit enim, vt abbates alter alterius viſitarent monaſterium, et ſingulis annis haberentur conuentus abbatum, quorum placita totum ordinem obligarent. En! originem *capitulorum generalium.*

TAVBVRIN. *l. c. tom. II. q.* 24. *charta charitatis* Ciſtercienſium ab Eugenio III. in conſtit. *Sacro-ſancta romana*, cui ipſa charta haec ſubiicitur, adprobata eſt.

§. DLVIII.

Explicatur regimen eccleſiaſticum canonicorum regularium.

Rectura *canonicorum regularium* propemodum ad normam regiminis monaſtici fuit efformata,

[redacted]

ıata, quum potiora clauſtra *abbatem*, vilio- a *priores* haberent, ac olim *praepoſitos*, at- ue *decanos*, qui ſuperſunt in capitulis ſecu- ıribus. Ex quo autem monaſteriorum con- ›ederatio inualuit, id inſtitutum etiam a *ca- onicis* receptum eſt, qui et *generalem* habere t *capitula generalia*, quibus iura et obliga- ;ones ſingulorum definiantur, cogere coepe- ınt. Cuius rei illuſtre habemus in *praemon- ratenſibus* exemplum.

l *ciſtercienſes* et *praemonſtratenſes* ſingulare habent, quod illorum *generales non Romae*, ſed in *Gallia* tanquam *natali ſolo* reſidere ſoleant. Neque tam ampla eſt, et vniuerſalis eorum poteſtas, ſicut de mendicantibus, aliisque recentioribus dicemus. Nam non omnia monaſteria ordinum ſuorum hiſce generalibus ſubſunt, eorumque auctoritas extra Galliam ſe haud extendit. Card. Lvc. *tom. III. de regul. diſc.* 2.

§. DLIX.

Proponitur regimen eccleſiaſticum ordinum mendicantium.

Mendicantium ordines ſinguli ſingulis *Ge- ralibus*, qui Romae adſidue commorantur, .rent. Franciſcani *Miniſtrum*, Dominicani *lagiſtrum*, ceteri *Priorem* vocant; qui olim li vniuerſos ordines rexerunt. Poſtea ſingu- ; domibus ſinguli *Priores* dati ſunt, qui pro ıriis ordinum horum inſtitutis varie adpel- ıtur. Cum familiae hae religioſae breui ıpore immenſum creſcerent, ſecundum

 pro-

[redacted]

prouincias diſpartitae ſunt, et ſingulis prouinciis *Miniſtri* ſeu *Priores Prouinciales* praefecti. Quorundam ordinum *Generalis* ad dies vitae, aliorum ad certum tempus conſtituitur. Ad hunc modum *Mendicantes* in vniuerſum reguntur, quem plerique religioſi recentiores aemulantur, ſi *Ieſuitas* exceperis. Horum enim regimen prorſus erat *monarchicum*; illorum autem Ariſtocratia plus minusue temperatum.

TAMBVRIN. *l. c. tom. III. Diſp. I. q.* 2. PASSERINI *de elect.* Videmus, quod tandem ordinum nouorum conditores ab *Abbatum* et *Praelatorum* adpellatione abſtinuerint. Quippe paupertati et humilitati, quam profeſſi ſunt, repugnare hic titulus videbatur. VAN ESPEN *l. c. cap. I. §.* 12.

§. DLX.

Et ordinum equeſtrium.

Ordines militares ſuperioribus, et ducibus carere non poſſunt. Igitur 1.) licet omnes *papae* immediate ſubſint, ſingulis tamen ordinibus praeſt 2.) *magnus ordinis magiſter*, ſub quo 3.) varii *ſubofficiales* militant, qui inter praelatos, et eccleſiaſticos ordines referuntur. In ſpecie ordo *ioanniticus* ſeſe diffundit in octo nationes, quas *linguas* adpellant, ſub quibus *prioratus*, *balliuiae*, *commendae* occurrunt. TEVTONICVS etiam certas prouincias tenet, quas *balliuias* dicunt, quibus prae-

raeſunt *commendatores prouinciales*, quibus
ommendatores ſimplices ſubordinantur. In
rdine *illo* capita nationum ſeu linguarum ma-
ni ordinis Magiſtri *ſenatum* conſtituunt. In
lo commendatores prouinciales *capitulum*
agiſtri conſtituunt; Magni ordinum *Magi-
ri* adpellationibus inter ſe diſtinguuntur. Sic
ui ioanniticum ordinem regit, dicitur *Mag-
us Magiſter Ordinis Ioannitici ſeu Melitanus*
der Großmeiſter) qui teutonicum dirigit,
Magnus Ordinis Teutonici Magiſter (der hoch-
nd Deutſchmeiſter) qui inter ſtatus imperii
ſt relatus, et mox poſt ſalisburgenſem archi-
piſcopum ſedet.

ter linguas ordinis Ioannitici potiſſimum notanda eſt *lingua germanica*, et ex illa *prioratus Germaniae, et balliuia brandeburgica*: propterea, quod prior titulum gerat *ordinis S. Ioan. Baptiſt. Hieroſolym. ſupremi per Germaniam magiſtri* (Johanniter Meiſter) et etiam inter ordines imperii relatus eſt, et ſeſſionem habet inter abbates principali dignitate praefulgentes (Pütter. *Element. Iur. Publ. lib.* 1. §. 120.) *Balliuia* vero brandeburgica magnum magisterium domini (des Herrn Meiſterthum) vocatur; et qui huic regundo praeeſt *Magnus Dominorum Magiſter* (der Herrn Meiſter) dici ſolet. Boehmer. *Iur. Eccl. Publ. tit. V. ſect. XIV. de commend. milit.*

§. DLXI.

aria ſuperiorum regularium genera recenſentur.

Ex dictis adparet, *Superiores regulares*
e triplicis generis. Eſt alius *generalis*: ſunt

 alii

[redacted]

alii *prouinciales*: alii *locales*. Id ex omnium pene ordinum conſtitutionibus etiam eorum, qui ſub regula benedictina militant, intelligitur, quod hodie ob deprauatos hominum mores, et naturae humanae corruptionem loco monarchiae abſolutae regimen ariſtocraticum vigeat, adeoque poteſtas ſuperiorum regularium ad conſenſum *capituli* in cauſis iura, et obligationes congregationis concernentibus adſtricta ſit. Dantur ergo capitula *generalia*, *prouincialia*, et *localia*, *queis ius publicum monaſticum* innititur *cap.* 6. 7. 8. *de ſtat. monach. cap.* 4. *de fideiuſſ. cap.* 4. *de donat. Clement.* 1. *de reb. eccles. non alien. Clement.* 2. *de aetat. et qual. ordin.* TAMBVRIN. *l. c. tom. I. diſput. III. et tom. III. diſput. I. q.* 2. *Ieſuitis* aliud placuiſſe iam dixi. Eorum enim Monarcha abſolutus, *Generalis* fuit, a quo totus ordo, et ſinguli adſcitis quinque adſiſtentibus, quorum tamen ſuffragia vim conſilii tantum habuere, regebantur. *Conſtit. Soc. Ieſ. part. IX. cap. III.*

De electione praelatorum, poteſtate capituli, ſede vacante, et plena, diximus ſupra ſuis locis.

§. DLXII.

Illi ſunt vel immediati, vel mediati.

Haec tamen non obſtant, quo minus ſingula monaſteria epiſcopo dioeceſis, in qua ſita ſunt, ſubiiciantur, niſi *exemptio* doceatur. Igitur abbates, aliique ſuperiores regulares ſunt aut *mediati*,

[redacted]

diati, aut *immediati*; vel ratione *ſpecialis priuilegii*, vel ratione *ſui ordinis* generatim exempti. *Illi* regulariter nullius dioeceſis ſunt, iurisdictionemque quaſi epiſcopalem exercent; non aeque *hi*, ſed in dioeceſi epiſcopi degunt, eiusque inſpectioni ſecundum quid rurſus ſubditi ſunt. Pariter reſpectu imperii noſtri germanici quidam ſunt *immediati*, quidam *mediati*. *Illi ſtatus imperii* ſunt. Inter eos quidam principali dignitate cum territorio gaudent, quidam ſimplices praelati ſunt. *Hi* vero bona mediata in imperio poſſident, reſpectu quorum ſunt landſaſſii, et ſtatus prouinciales; licet intuitu hierarchiae exempti, ſeu immediati fuerint.

Tambvrin. *tom. I. diſp. XV. cap.* 4.

§. DLXIII.

Ante votorum ſolennium emiſſionem praemittendus nouitiatus.

In perpetua votorum ſolennium obſeruatione eſſentiam ſtatus religioſi conſiſtere docui. Priusquam autem illa emittantur, examen candidatorum, et tempus probationis, quod *Nouitiatum* dicunt, praemittendum eſt. Nouitiis *ſenior*, quem hodie *Magiſtrum nouitiorum* adpellamus, praeficiendus eſt, qui in exercitiis monaſticis bene exercitatus; qui verbo et exemplo Nouitios inſtruere ſit idoneus. Eius officium, quod ſiue diſciplinam monaſticam,

[redacted]

cam, ſiue ipſos nouitios ſpectemus, ſummi momenti eſt, in quo conſiſtat, non difficile erit determinare. Vnicum addo, non ſemel nouitiis inculcandum eſſe, quod non iuxta normam viuendi multorum, ſed ſecundum regulas actiones ſuas dirigere oporteat.

S. BENEDICT. *reg. cap.* 58. CLEMENS VIII. *in decret. pro Nouit. recept inſerto : conſtit.* 83. *an.* 1603. *tom. III. Bull. Rom.* SIXTI V. *conſtit.* 71. *an.* 1587. *tom. II. Bull. Rom.* In regulis patrum, cellae nouitiorum frequens fit mentio, cuius a ceteris fratribus ſeparationem multum vrget Clemens VIII. *conſtit. laud.* §. 26. Verum inde contingit, vt nouitii tum monaſticae diſciplinae collapſionem, tum multorum religioſorum a regulae obſeruantia deflexionem detrimento irreparabili ignorare cogantur. VAN ESPEN *P. I. tit. XXV. cap. I et II.*

§. DLXIV.

Examinatur tempus nouitiatus de iure decretalium.

Anno integro nouitium probandum eſſe regula S. Benedicti ſupponit. Aegyptiorum regulae ad triennium nouitiatum paſſim produxere, quas ſecutus eſt IVSTINIANVS Imp. *Non enim facilis eſt vitae mutatio, ſed cum animae ſit labore. Nouell. V. cap.* 2. *c.* 1. *diſt. LIII. can.* 3. *XVII. q. II.* Iure decretalium, quia annalis probatio, patrum inſtitutum nouitii pariter, ac monaſterii gratia inductum videbatur, utriusque conſenſu ei renunciari poſſe

ſta-

[redacted]

ſtatutum eſt *in cap.* 16. *de regul.* Inde abuſus orti, quos iterata decreta haud ſatis coercere poterant. Cum enim ad ſolum S. Benedicti ordinem ſpectare viderentur, nouelli tunc fratres mendicantes pergebant ſine probationis anno inhabiles quoscunque admittere, licet eorum licentia ſaepius fuerit caſtigata.

Vid. *tit. de regul. in VI.* Christ. Lvpvs *tom. III. ſchol. pag.* 627.

§. DLXV.

Iure concilii tridentini ſtatuitur annus integer.

Igitur Patres Trid. decreuerunt, *ne in quacunque religione tam virorum, quam mulierum, qui minore tempore quam per annum poſt ſuſceptum habitum in probatione ſteterit, ad profeſſionem admittatur. Profeſſio autem facta ſit* nvlla, *nullamque inducat obligationem ad alicuius regulae, vel religionis, vel ordinis obſeruationem, aut ad alios quoscunque effectus.*

Sess. XXV. *cap.* 15. *de regul.*

§. DLXVI.

De momento in momentum computandus.

Inde ergo manifeſtum eſt 1.) Profeſſionem ante tempus nouitiatus annale expletum, eſſe abſolute nullam. 2.) Sublatam ergo eſſe deciſionem *cap.* 2. *et* 3. *de reg. in VI.* 3.) Nec re-

[redacted]

nunciationem nouitii, nec conſenſum monaſterii immaturam profeſſionem reddere poſſe validam. 4.) Annum hunc debere eſſe *integrum* a momento in momentum computandum. 5.) *Continuum* atque non interruptum, 6.) eumque ab habitus ſuſceptione eſſe inchoandum. 7.) Eum, qui anno nouitiatus expleto monaſterium deſerit, reuerſum valide ſine nouo nouitiatu profiteri poſſe. 8.) Si ex ſpeciali ſtatuto ordinis prolixius, quam annale tempus pro nouatiatu requiritur, huic Synodum Trid. non derogaſſe; factam tamen, ante tempus ex ſtatuto praeſcriptum, profeſſionem eſſe *inualidam*.

Sed quae interruptio nouitiatum vitiet, incertum quodammodo videtur. BARBOSA *Iur. Eccl. lib. I. cap.* 42. *num.* 124. FAGNAN. *ad cap.* 7. *qui. cler. vel vouent. num.* 33. Olim nouitii probabantur in veſte laicali, neque ante emiſſam profeſſionem veſtem mutabant. S. BENEDICT. *reg. cap.* 58. *can.* 1. *diſt. III.* quae diſciplina adhuc tempore S. BERNARDI in vſu fuit *epiſt.* 1. *ad Robert.* Verum quia circa ſeculum XII. et XIII. annus nouitiatus plerumque negligebatur, mox a receptione habitum monaſticum induere coeperunt; qui ritus ſemel introductus, ita ſeruatus eſt, vt hactenus nouitiatus ante habitum ſuſceptum non inchoatus reputetur. Neceſſe tamen eſt, vt habitus nouitiorum ab habitu profeſſorum ſit diſtinctus *cap. penult. de regul.* Sed haec diſciplina libertati nouitiorum ſumme contraria aliqua mutatione digna videtur. VAN ESPEN. *l. c. cap. II.*

§. DLXVII.

§. DLXVII.

Nouitio necdum edita profeſſione manet integra libertas deſerendi ordinem.

Durante nouitiatu, vel etiam eo finito, necdum tamen emiſſa profeſſione, integra manet nouitio libertas monaſterium deſerendi, et ad ſeculum redeundi *cap.* 20. 23. *de regul. cap.* 2. *eod. in VI.* TRID. SINOD. *l. c. cap.* 15. Neque neceſſe eſt, vt rationem egreſſus praelato demonſtret. Igitur nec ad regularum, et conſtitutionum obſeruantiam, nec ad horarum canonicarum recitationem nouitius religionis obligatur. Gaudent quidem nouitii priuilegio canonis *cap.* 21. §. 1. *de ſent. excom. in VI.* quodſi tamen ceteris religioſorum priuilegiis, et iuribus gaudere dicantur, id conſuetudini, et bullarum pontificiarum receptioni adſcribendum eſt.

WIESTNER. *lib. III. tit.* 31. *num.* 39. Nouitiorum obligationes recenſentur *in cit. conſtit. Clementis VIII.* quae tamen omnes ex fine nouitiatus facile deſumi poſſunt.

§. DLXVIII.

Hinc diſpoſitio eius de bonis ſuis ante vltimos duos annuae probationis menſes per actus inter viuos facta, nulla eſt.

Ad libertatem hanc monaſterium deſerendi nouitio conſeruandam SYNODVS TRID. decreuit:

[redacted]

uit: *Nulla renunciatio aut obligatio ante profeſſionem facta etiam cum iuramento, vel in fauorem cuiuscunque cauſae piae valeat, niſi cum licentia epiſcopi, ſiue eius vicarii fiat intra duos menſes proximos ante profeſſionem; ac non alias intelligatur effectum ſuum ſortiri, niſi ſecuta profeſſione. Aliter vero facta etiamſi cum huius fauoris expreſſa renunciatione etiam iurata,* IRRITA *ſit et nullius effectus. Sed neque ante profeſſionem excepto victu, et veſtitu nouitii, vel nouitiae illius temporis, quo in probatione eſt, quocunque praetextu a parentibus, vel propinquis, aut curatoribus eius monaſterio aliquid ex bonis eiusdem tribuatur; ne hac occaſione diſcedere nequeat, quod totum, vel maiorem partem ſubſtantiae ſuae monaſterium poſſideat; nec facile ſi diſceſſerit, id recuperari poſſit.*

SESS. *XXV. cap. 16. de regul.*

§. DLXIX.

Quod idem de renunciatione aut alienatione facta ante ingreſſum dicendum eſt.

Inde infertur 1.) *nulla* eſſe ante vltimos duos annuae probationis menſes quaecunque *pacta, ceſſiones et obligationes nouitiorum,* cuiuscunque aetatis ſint, quibus eorum bona, aut iura minuuntur, aut minus, quam datur, recipitur. 2.) Id etiam de *renunciatione beneficii,* quod ante ingreſſum nouitius poſſidebat, intelligendum eſſe, adeoque derogatum eſſe

cap.

[redacted]

cap. 4. *de regul. in VI.* 3.) *Inutilem* pariter eſſe *renunciationem* ante vltimos duos menſes etiam ſub conditione: *ſi fuero profeſſus* factam, niſi ante hanc reuocabilis ſit. Et 4.) ſicut, ſi ſuperior ex iuſta cauſſa profeſſionem vltra annum diſtulerit, vndecimo menſe tamen facta diſpoſitio ſubſiſtit, ita eandem *irritam* eſſe adparet, e. g. nono menſe factam, etſi profeſſio ex diſpenſatione fors decimo menſe recte fiat. 5.) Inſuper decretum hoc ſpectata eius ratione, et mente vim ſuam exerere in quacunque renunciatione, aut alienatione facta etiam ante ingreſſum, modo adpareat, eam intuitu, et animo ingrediendi, qui in dubio praeſumitur, factam eſſe.

§. DLXX.

Aliud tamen obtinet in illis diſpoſitionibus, quae ex natura ſua reuocari poſſunt.

Porro infertur 6.) *valida* eſſe omnia *nouitiorum pacta, et diſpoſitiones reuocabiles*, et quibus ſubſtantia patrimonii non minuitur. Immo 7.) et renunciationes, ſiue obligationes decem menſibus in nouitiatu exactis, ſi cum *epiſcopi*, eiusque vicarii fiant *conſenſu*, quem monaſteria exempta etiam negligere non poſſunt. 8.) Et quamuis renunciatio hoc modo facta a nouitio perſeuerante reuocari amplius non poſſit, eam tamen effectum ſuum haud ſortiri, niſi profeſſione ſecuta. Hinc 9.) ſi nouitius

[redacted]

tius ante profeſſionem moriatur, eam *corruere* debere non obſcurum eſt.

BARBOSA *de off. epiſc. alleg.* 99. *num.* 11. 12. 19. 30.

§ DLXXI.

Conſuetudo exigendi aliquid pro victu et veſtitu nouitii reprobanda eſt.

Vlterius colligitur 10.) nihil a parentibus, propinquis, aut curatoribus ex bonis nouitii monaſterio ante emiſſam profeſſionem quocunque praetextu tribui poſſe; neque ex *liberalitate* et *vltronee* excepto victu, et veſtitu illius temporis, quo in probatione eſt. Hinc 11.) TRIDENTINI decreto non ſolum, ſed quam maxime fundatorum menti, cum fundationes tam pro nouitiis, quam profeſſis inſtitutae ſint, repugnare monaſteriorum praxin *exigendi* ab ingredientibus eorumque parentibus ea, quae pro victu et veſtitu nouitii, aut nouitiae neceſſaria creduntur. Et 12.) licet decretum expreſſis verbis de bonis nouitii, aut nouitiae propriis tantum loquatur, ob identitatem tamen rationis etiam locum habere, ſi aliquid tribuatur, non quidem ex nouitii propriis, ſed parentum, vel conſanguineorum bonis.

FAGNAN. *ad cap.* 23. *de regul. num.* 55. VAN ESPEN. *loc. cit. cap.* 3.

§. DLXXII.

[redacted]

§. DLXXII.

Poteſt etiam ingrediens monaſterium in eius fauorem de bonis ſuis legitime diſponere, niſi aliud quid obſtet.

Sed petet quis, num ergo ingredientes monaſterium nunquam in fauorem eius de rebus ſuis diſponere poſſint? Poſſunt vtique ſicut in alios, ita etiam in monaſterium (niſi aliud quid obſtet, et debitae conditiones obſeruentur) res ſuas transferre *nouell. V. cap.* 4. Non vna tamen cautela hac in re opus eſt. I.) Ne *pecunia cauſſa* ſit *receptionis* perſonae; id enim penitus impurum eſt, et ſimoniacum. II.) Perſonam recipere cum pecunia, *malitia* quidem caret, ſed ne detur occaſio ſcandali, et ne ſit ibi adfectus auaritiae ex *ſpe lucri*, cauendum eſt. III.) Ne, dum ex mera liberalitate offerentium acceptatio fieri dicitur, *blandimentis*, variis perſuaſionibus, aut falſis ſaepe adductis motiuis ab introeuntibus *temporalia extorqueantur*. IV.) Ne *alia intentione* oblata *recipiantur*, niſi iuxta naturam, et conditionem prouentuum monachalium, vt pauperes de ſeculo egreſſi, et nihil praeter bonam voluntatem adferentes, ex iis ſuſtententur; aut certe per ipſos monaſterii praefectos pauperum vſibus impendantur ad mentem Euangelii.

S. Bonavent. *in apolog. q.* 18. van Espen *cap. IV. loc. cit.* quia vero donationes, et oblationes, quae fiunt a nouitiis in fauorem monaſterii raro a libera omnino, ac ſpontanea voluntate, ſed frequenter

[redacted]

ter ex timore ſaltem reuerentiali, atque zelo non ſatis diſcreto, ac prudenti procedunt: et rationes aliae, quae pro iuſtitia, ac neceſſitate *legis amortizationis* faciunt, hic concurrunt, merito ſuſpectae admodum et odioſae, ac propterea reſciſſioni, et *annullationi* huiuſmodi oblationes obnoxiae habentur, ſi in notabili quantitate conſiſtant.

§. DLXXIII.

A monaſterio tamen nihil vnquam temporale exigi poteſt pro admiſſione ad religionem.

Illud autem eſſe certiſſimum omnes canones clamant, *nihil prorſus temporale exigi poſſe pro admiſſione ad religionem.* Ergo 1.) neque pro *ſuſtentatione* ingreſſi poſt profeſſionem *can. 7. I. q. III.* Neque 2.) pro eo, vt monaſterio prouideatur *mediis*, vnde ſuſtentare profeſſum poterit, et liberetur ab incommodis ex alimentatione profeſſuri ſecuturis. Quodſi etiam 3.) *tranſactionem ſuper futura haereditate* per profeſſionem ingredientis ad monaſterium deuoluenda praetendas, verba quidem alia, eamdem tamen iniquitatem ſignificantia protuliſti.

S. GREGOR. *lib. VII. epiſt. III.* VAN ESPEN. *tit. XXVI. l. c. cap. I item diſſert. de pecul. in relig. et ſimon. circa ingreſſ. relig. P. II. oper. tom. II.*

§. DLXXIV.

§. DLXXIV.

Nequidem ex titulo paupertatis.

Vnicus eſt, qui alicuius momenti eſſe vi- :tur, dotes ab ingredientibus monaſterium :igendi, praetextus; ſubleuanda nimirum onaſterii *paupertas.* Aſt ea praetenditur ſae- :ſſime, quae re vera non ſubeſt. Demus au- :m re vera pauper eſſe monaſterium: Si ta- ıen quis attendat, quam facile in ſimoniacas, ıſpectas, et ſcandaloſas exactiones monaſte- a incidant, ſi titulus *paupertatis* admittatur, ɔn difficulter intelliget, quam merito eccleſia nnem in admiſſione ad religionem, pactio- :m atque exactionem prohibuerit; neque ti- ılum paupertatis in vllo ſuo decreto tanquam ıfficientem ad iuſtificationem eiuſmodi exac- onis admiſerit.

yonis. Carthvs. *lib. I. de ſimon. artic.* 17. *item lib. IIII. artic.* 10. Igitur omnia decreta has exactiones proſcribentia generaliter, ac indiſtincte loquuntur: nulla, inter opulenta et non opulenta monaſteria, facta diſtinctione synod. Nicaen. II. *can.* 19. *cap.* 8. *et* 40. *de ſimon. cap.* 3. *de ſtat. monach.* Quid quaeſo clarius eſſe poteſt *cap.* 1. *de ſimon. extrauag. comm.* van Espen *l. c. cap. II.* Sed ad conſuetum omnium abuſuum aſylum, *ad conſuetudinem* recurrunt. Verum aditum iam occluſit van Espen *diſſert. cit. cap. IV.*

§. DLXXV.

[redacted]

§. DLXXV.

Igitur non plures in monaſterio recipiendi ſunt, quam ſuſtentari poſſunt.

Neque immerito, quia aliunde monaſterio proſpectum eſt. Cautum enim *in cap.* 1. *de inſtit.* vt non amplius in monaſterio ſuſcipiantur, niſi quantum ratio permittit, et in eodem monaſterio absque neceſſariorum penuria degere poſſunt. Quam diſciplinam innouans SYNODVS TRID. ſtatuit: *In omnibus monaſteriis tam virorum quam mulierum bona immobilia poſſidentibus, vel non poſſidentibus, is tantum numerus conſtituatur, ac impoſterum conſeruetur, qui ex reditibus propriis monaſteriorum, vel ex conſuetis eleemoſynis commode poſſit ſuſtentari.*

SESS. *XXV. cap.* 3. *de regul.*

§. DLXXVI.

Inhabiles iure communi ad edendam profeſſionem recenſentur.

Finito tempore nouitiatus, ſuperiores nouitios, quos habiles inuenerint, ad profeſſionem admittant, aut e monaſterio eos eiiciant. De iure communi *inhabiles* ſunt, et ad profeſſionem admitti nequeunt 1.) *rationis vſu deſtituti cap.* 15. *de regul.* 2.) *Serui* et homines *proprii* ſine domini licentia, quos intra triennium repetere poteſt *Nouell. V. cap.* 2. *can. fin. XVII. q. II.* 3.) *Oppreſſi aere alieno,*

ɔ, atque ratiociniis ob geſtam quamcunque dminiſtrationem obnoxii *can. vn. diſt. LIII.* tque *criminoſi*, quibus grauis coercitio pubca imminet.

ʏɴᴏᴅ. Tʀɪᴅ. *ſeſſ. cit. cap.* 16. *de regul.* Sɪxᴛᴠꜱ V. *et* Cʟᴇᴍᴇɴꜱ VIII. *in cit. conſtit.*

§. DLXXVII.

Continuatur idem argumentum.

4.) *Minores XVI. annis* Tʀɪᴅ. *ſeſſ. cit.* *ap.* 15. *de regul.* Cum olim pubertas regulaiter ſufficiebat *cap.* 6. 8. 11. 12. *de regul.* 5.) *iberi* propter parentum, et hi propter liberum neceſſitatem *can.* 1. *diſt.* 30. et licet iuum ſit, vt liberi inuitis parentibus profeſſioem non emittant, facta tamen hactenus ſubſtit *can.* 2. *XX. q. II.* 6.) *Epiſcopi confirma*ſine licentia pontificis *cap.* 10. *de renunciat.* *ap.* 18. *de regul.* Tandem quam maxime ex uiusuis ordinis natura, conſtitutionibus, et nctionibus habilitas determinanda eſt.

ᴀɴ Eꜱᴘᴇɴ *l. c. tit. XXVII. cap. II.* Wɪᴇꜱᴛɴᴇʀ *l. c. artic. I. num.* 9. 10. Eos quoque, qui annum nouitiatus nondum expleuerunt, huc ſpectare adparet: niſi qui iudicio medici in articulo mortis conſtitutus profeſſionem edere permittatur, quae tamen verae profeſſionis non omnes effectus habet. Conceſſum eſt hoc priuilegium monialibus S. Dominici a Pɪo V. *conſtit.* Sᴠᴍᴍɪ Sᴀᴄᴇʀᴅᴏᴛɪꜱ etc. anno 1570. quod participant alii, communionem priuilegiorum cum eo ordine habentes. Notandum tamen eſt priuilegium hoc circa annum pro-

[redacted]

bationis ad annum aetatis non extendendum eſſe. WIESTNER *l. c. art. II. num.* 18. 19.

§. DLXXVIII.

Ordinum peculiaria ſtatuta circa tempus profeſſionis ſervanda ſunt.

Etſi *Tridentinum* quemquam ad profeſſionem religioſam ante decimum ſextum aetatis an. completum, et ann. integrum nouitiatus conſummatum admitti vetuerit, et antea factam nullam et inualidam declarauerit; ordinum tamen quorumdam peculiaribus ſtatutis hoc decreto minime derogare voluiſſe cenſendum eſt, quae nouitiis tardius profeſſionem edere permittunt: vt *fratres capucinorum*, apud quos *clerici* ad profeſſionem *ante annum decimum nonum*, et *laici ante vigeſimum* non recipiuntur. Idem fere obtinet apud *minores conuentuales S Franciſci*, quorum nouitii *clerici* a profeſſione excluduntur *ante annum vigeſimum quintum*, ſic PIVS V. *in conſtitutione de reformatione ſeruitarum* anno 1570. data nouitios primum *anno aetatis decimo octauo completo recipi*, & *ante decimum nonum* pariter *expletum a profeſſione arceri* voluit.

SESS. XXV. *c.* 15. *Vid.* NATAL. ALEXAND. *hiſt. eccleſ. tom. IX. c. VII. art. IV. n.* 20.

[redacted]

§. DLXXIX.

Adſertur decretum tridentinae ſynodi intuitu monialium.

Eadem Synodvs Tridentina libertati profeſſionis Virginum Deo dicandarum proſpiciens decreuit, vt, *ſi puella, quae habitum regularem ſuſcipere voluerit, maior duodecim annis ſit, non antea ſuſcipiat, nec poſtea ipſa vel alia profeſſionem emittat, quam explorauerit epiſcopus, vel eo abſente aut impedito eius vicarius aut aliquis eorum ſumptibus ab eis deputatus, virginis voluntatem diligenter: an coacta, an ſeducta ſit, an ſciat quid agat, & ſi voluntas eius pia & libera cognita fuerit, habueritq; conditiones requiſitas iuxta monaſterii iſtius, & ordinis regulam, nec non monaſterium fuerit idoneum, libere ei profiteri liceat, cuius profeſſionis tempus, ne epiſcopus ignoret, teneatur praefecta monaſterii eum ante menſem certiorem facere, quodſi praefecta certiorem epiſcopum non fecerit, quamdiu epiſcopo videbitur, ab officio ſuſpenſa ſit.*

Ead. Sess. *c.* 17.

§. DLXXX.

Coniugatis conſummato matrimonio certis tantum in caſibus religionem ingredi permiſſum eſt.

Sed quid de *coniugatis* dicendum? ſunt nempe, vel in matrimonio *rato*, vel in *conſummato.*

[redacted]

mato. In illo caſu vtrique coniugi etiam inuito altero ingreſſus in ordinem religioſum intra bimeſtre a *die nuptiarum* computandum permiſſus eſt ita, vt matrimonium ſecuta profeſſione ſolenni etiam quoad vinculum diſſoluatur *cap.* 2. 7. 14. *de conuers. coniug.* Poſtquam autem conſummatum eſt matrimonium, tribus tantum in caſibus religionem ingredi poſſunt. 1.) *Coniuge libere ac ſponte conſentiente.* Secus profeſſio alterius nulla erit *can.* 2. *XXXIII. q. V. cap.* 17. *eod.* Hae tamen conditiones ſunt poſitae, vt vni profeſſionem edenti alter non tantum conſentiat, ſed etiam ipſe quoque vel ad religionem tranſeat, vel perpetuo caſtitatem ſeruare voueat *can.* 19. 26. *XXVII. q. II. cap.* 1. 4. 5. 6. 8. 10. *eod.* 2.) *Coniuge fornicante;* innocenti, non etiam nocenti religionis ingreſſus permiſſus eſt, adultero etiam inuito *can.* 21. *XXVII. q. II. cap.* 15. 16. *eod.* 3.) *Coniuge in haereſin lapſo*, quem tamen innocens reſipiſcentem recipere tenetur *can.* 5. 6. *ſeq. XXVIII. q. I. cap. fin. eod. cap.* 6. *de diuort.* Cum vota a religioſis ſocietatis Ieſu poſt biennalem nouitiatum edita non fuerint ſolennia, matrimonium ratum non diſſoluebant, licet matrimonio poſtea valide contrahendo impedimento fuerint.

Gonzalez *ad c.* 2. *de conuers. coniug.*

§. DLXXXI.

§. DLXXXI.

Definitur profeſſio religioſa.

Si itaque nihil ſit, quod conſtans propoſi-
tm nouitii per legitimum tempus probati im-
ediat, a profeſſione vt arceatur nefas eſt. No-
ine *profeſſionis* intelligo *ſolennem ac mutuam
b eccleſia & republica acceptatam promiſſio-
em, qua homo fidelis praeſtitis votis monaſti-
s ad regulam religionis adprobatae ſeruandam
ſe adſtringit.* Solennem hodie eſſe debere
rofeſſionis ritum, vt ſit tanquam religionis
inculum humanae inſtabilitati prouiſum, cer-
tm eſt; ſed quo tempore id inualuerit, in-
rtum. Extat ritus profeſſionis in *reg. Bened.
p.* 58. non abſimilis ei, (ſi quasdam oratio-
es excipias, quas poſterior aetas addidit)
uem omnes paſſim religioſi obſeruant. Ni-
irum initiandus vel viua voce formulam vo-
recitat, vel in ſcriptis manu ſua ſignatam
adit, quae probationis cauſſa in ſcriniis re-
onitur, vel vtrumque ſimul praeſtat reliqua
cuiusuis ordinis regulis, conſtitutionibus mo-
ibusque dependent.

licet ad profeſſionem in plerisque ordinibus ſpeciali-
ter verba aut ſcriptura, vel, vt in Soc. Ieſu
vtraque ſimul exigantur, nihil tamen obſtat, quin
& ſignis aliis ad determinatum quid ſignificandum
receptis fieri poſſit *cap.* 13. *de regul.* Et hactenus
deſcripta profeſſio ea eſt, quam *expreſſam* inter-
pretes adpellant.

[redacted]

DLXXXII.

Iure decretalium etiam tacita ſufficit.

Sed ſolennitates iſtae de eſſentia profeſſionis generatim conſideratae non ſunt. Ideo iure decretalium ſine vlla ſolennitate immo et ſine verbis aliisque determinatis ſignis profeſſiones ſolo aliquo facto profeſſis tantum proprio validae declarantur, easque canoniſtae *tacitas* vocant, quarum exempla ſunt in *cap.* 4. 8. 9. 22. *de regul. cap.* 1. 2. *eod. in VI.* Cum enim ante profeſſionem habitus monaſticus ſuſcipi olim non ſoleret, qui eum ſuſcipiebat, profiteri cenſebatur, et ea fors eſt profeſſionis tacitae origo, quae ſi etiam hodie adhuc locum habere poteſt, rariſſima tamen erit, et non niſi variis requiſitis inſtructa procedet.

WIESTNER *lib. III. tit.* 31. *artic. V. num.* 75. 76. *ſeq.* FAGNAN. *ad cap.* 8. *de reg.*

§. DLXXXIII.

Profeſſionis formula proponitur.

Sicut rituum ita et formularum, quas in profeſſione ſua veteres adhibebant, origo ſubobſcura eſt. Primo, ni fallor, hoc vnicum monaſticae profeſſionis formula continebat promiſſum, vitam ducendi monaſticam non quidem iuxta certam ac ſtabilem regulam, ſed ad ſuperioris arbitrium, quod vetuſtiſſimis pro regula erat. S. BENEDICTVS ſi non primus,

cer-

certe inter primos fuit, qui iuratam promiſſionem certis ſolennitatibus veſtitam introduxit, profeſſionisque hodiernae exempla reliquit, cui hactenus religioſi omnes ſe conformare ſtuduerunt. *Suſcipiendus in oratorio coram omnibus promittat de ſtabilitate ſua, & conuerſione morum ſuorum et obedientia coram Deo et ſanctis eius, deque iſta promiſſione faciat petitionem*, hoc eſt, ſcripturam manu ſua ſignatam altari imponat, *reg. cap.* 58. Et quamuis in quibusdam veteris Benedictinae profeſſionis formulis nulla conuerſionis morum occurrat mentio, ſufficit, quod obedientiae voto ſatis contineri videretur, eodem prorſus modo, quo vota paupertatis ac caſtitatis incluſa cenſebantur, quod etiam illa tanquam vitae monaſticae eſſentialia, regula Benedicti vbique ſupponat.

Ios. Bingham. *oper. vol. III. lib. VII. cap. III. §. 7. ſeq.* Num monachi antiquiſſimi ad vitam ſecularem rurſus ſe conferre potuerint, & quae poſtmodum poenae deſertoribus monaſteriorum ordinariae inflictae ſint, *vid. ap. eund. l. c. §§.* 22. 24. Van Espen *l. c. cit. tit. XXVII. cap. III. §.* 1. *ſeq.*

§. DLXXXIV.

Recentiores profeſſionis formulae antiquae illi benedictinae non abſimiles ſunt.

Igitur formula S. Benedicti reipſa quoad tria illa decantata vitae regularis vota non differt a recentioribus quorumdam ordinum

[redacted]

ſormulis, quibus illa *explicite* continentur. Etenim adhuc hodie in plerisque religionibus *generalis* profeſſio ad normam Benedictinam recepta eſt, qua ratione tamen non minus vouiſſe ac ceteri exiſtimantur. *Econtra ſtabilitas*, quam exprimit profeſſio benedictina, etiam in recentioribus profeſſionis formulis, tametſi *explicite* de ea mentio non fiat, virtualiter comprehenditur.

Igitur ſiue profiteantur *paupertatem*, *caſtitatem*, *ac obedientiam* expreſſe, ſiue tacite promittant ſeruare regulam, vel obedientiam ſecundum regulam, vel viuere ſecundum regulam, id ſemper intelliguntur vouere, quod velint obedientiam, paupertatem, ac caſtitatem atque in his ſtabilitatem obſeruare, quae vota religioſis omnibus ſunt communia, ideoque eſſentialia dicuntur. De quorumdam ordinum votis particularibus vid. P. *Zach de hierarch. tit.* 36. §. 458.

§. DLXXXV.

Requiſita validae profeſſionis exponuntur.

Ex definitione profeſſionis facile colligitur, eam, ſiue expreſſa ſit, ſiue tacita, fieri debere 1.) *a perſona capace* et nullo iure a ſtatu religioſo prohibita. 2.) *Libere* non ſolum ab errore, et ignorantia *cap.* 15. *de regul.* ſed etiam a vi metuque ad ipſam extorquendam iniuſte, etiam indirecte incuſſo, *cap.* 1. *de his, quae vi metusue cauſa.* 3.) Non ergo aliena; ſed *propria voluntate*, adeoque oblationem parentum liberos non amplius obligare, niſi legitimam aetatem adſecuti eam ratam habeant

[redacted]

eant *cap*· 14. *de regul.* iunct. *can.* 3. *XX. q.* . 4.) *In religione adprobata:* 5.) Emittendo *ota* religioſorum *ſubſtantialia*, vel explicite el implicite: 6.) ut tamen accedat *expreſſa* el *tacita* religionis *acceptatio*, *cap.* 13. *et* 16. *e regul.* quae, a quo fieri debeat, potiſſimum x conſtitutionibus ſingulorum ordinum deſu- endum eſt.

'oſſe ad profeſſionem vi iuſta cogi 1.) *coniugem*, qui in conſortis ſui religioſam profeſſionem vel ſacram ordinationem libere conſenſit, et incontinentis vitae ſuſpicionem praebet *cap.* 8. *de conuerſ. coniug.* 2.) *vouentes religionem*, vt promiſſum impleant *cap.* 10. *de regul.* in locis cit. deciſum eſt. Aliquando et poenae cauſa inuiti monaſterio includuntur *can.* 5. *XVI. q. VI. cap.* 2. *de adult. cap.* 10. *in fin. de purg. can. cap.* 6. *de poen. cap.* 19. *de conuerſ. coniug. cap.* 35. *de ſent. excom.*

§. DLXXXVI.

Iullitas profeſſionis intra quinquennium a die profeſſionis allegari debet.

Harum conditionum defectus profeſſionem ritam facit ita, vt profeſſus ad ſeculum reire, vel a religione dimitti poſſit. Olim quiem liberum erat omni tempore nullitatem llegare et probare, *cap.* 1. *de his, qui vi met.* t libertas haec propter mala conſectaria deeto Synod. Trid. anſam dedit: *Quicunque gularis praetendat, ſe per vim et metum ineſſum eſſe religionem, aut etiam dicat, ante tatem debitam profeſſum fuiſſe, aut quid ſi-*

 mile,

[redacted]

mile, velitque habitum dimittere quacunque de cauſa, aut etiam cum habitu diſcedere ſine licentia ſuperiorum, non audiatur, niſi intra quinquennium tantum a die profeſſionis, et tunc non aliter, niſi cauſas, quas praetenderit, deduxerit coram ſuperiore ſuo et ordinario. Quod ſi antea habitum ſponte dimiſerit, nullatenus ad adlegandam quamcunque cauſam admittatur: ſed ad monaſterium redire cogatur, et tanquam apoſtata puniatur, interim vero nullo priuilegio ſuae religionis iuuetur.

SESS. XXV. *cap.* 19. *de regul.*

§. DLXXXVII.

Ex iuſta tamen cauſa contra lapſum quinquennii in integrum reſtitutio concedi poteſt.

Ergo 1.) nullitas profeſſionis hodie proponi debet intra *quinquennium a die profeſſionis:* 2.) quo elapſo *reclamatio non auditur*, tametſi ignorantiam nullitatis, aut impedimenti quis praetendat, vel agere impeditus fuerit aliunde, vel vim et metum ſemper duraſſe dicat. 3.) Nihil intereſt hic, ſiue *nullitas* dicatur *proueniſſe ex impedimento perpetuo*, *ſiue temporario.* 4.) aliter dicendum eſt, ſi impedimentum notorium et *facti permanentis* eſſet, vt de eo dubitari non poſſet: 5.) per lapſum huius temporis non inducitur *tacita profeſſio*, ſed tantum audientia negatur. 6.) Nihil tamen obſtat, quo minus contra illum *ex iuſta cauſa, in integrum reſtitutio concedatur*, ad quam

quam impetrandam literis pontificiis nihil opus eſt.

FAGNAN *ad cap.* I. *de his quae vi met.* CARD. DE LVCA *diſcurſ.* 41. *de regul.* WIESTNER *l. c. artic. VI. num.* 94.

§. DLXXXVIII.

Cauſae nullitatis coram ſuperiore ordinis, et loci ordinario deducendae ſunt.

7.) Debet regularis *cauſas nullitatis coram ſuperiore ſuo*, illius nempe monaſterii, in quo profeſſionem emiſit, deducere, cui ad maiorem cautelam *ordinarius* loci adiungendus eſt. 8.) Et viciſſim conuentus praetendens *nullitatem* alicuius profeſſionis eam *coram ordinario*, idque *intra quinquennium* adlegare debet. 9.) Qui *ſponte* habitum religioſum dimiſit, cauſam nullitatis adlegans, non auditur, antequam habitum reſumpſerit. 10.) Neque adtenditur hic, num *iuſta cauſa* fuerit, vel non, habitum dimittendi.

CARD. DE LVC. *diſcurſ.* 41. *ad conc. trid.* FAGNAN. *ad cap.* I. *de regul.* VAN ESPEN *l. c. cap. VI.* Certum ordinem pro cauſis ſuper nullitate profeſſionis regularis mature diſcutiendis, et valide definiendis praeſcribit BENEDICT. XIV. in *conſtit.* SI DATAM.

§. DLXXXIX.

§. DLXXXIX.

Enumerantur effectus validae profeſſionis.

Profeſſionis valide emiſſae varii *ſunt* effectus. Enumerabo celebriores. Per eam 1.) *extinguuntur* omnia *vota ſimplicia* ante ipſius emiſſionem edita *cap. 4. de vot. cap. 5. de regul. in VI.* niſi facta ſint in fauorem hominis; 2.) *relaxantur irregularitates* ex defectu natalium ortae, vt illegitimi profeſſi ad SS. ordines et beneficia eccles., praelaturis tantum et dignitatibus exceptis, promoueri ſine diſpenſatione valeant *cap. 1. de fil. presbyt.* 3.) *dirimuntur ſponſalia* immo etiam *matrimonium* contractum *nondum conſummatum* TRIDENT. SESS. XXIV. *can.* 6. Si vero *coniux* in caſu licito poſt matrimonium conſummatum *religionem profiteatur*, inducitur *diuortium* perpetuum inter ipſum et coniugem relictum in ſeculo *cap. 19. de regul.* 4.) *Tollitur macula* ſeu inhabilitas quoad effectus ciuiles ex vitae anteactae delictis orta; *eſt enim conuerſatio monachalis ſic honeſta* (vt loquitur IVSTIN. in *nou. V. princ.*) *vt omnem maculam detergat.* 5.) *Tollitur filii ingratitudo* erga parentes ante ingreſſum commiſſa, vt ab his dein exhaeredari nequeat. *Nouell. CXXIII. cap. 41. can. ſin. 19. q. III.*

WIESTNER *l. c. artic. VII. n. 89. ſeqq.*

[redacted]

§. DXC.

Explicatur inſignis differentia inter votum ſimplex et ſolenne.

Inde ſatis adparet, quam inſignis intercedat differentia inter *votum mere ſimplex* et *ſolenne. Simplex* eſt *promiſſio Deo facta iure naturali et diuino poſitiuo obligans ad illud, quod promiſſum eſt implendum ſine aliis iuris effectibus, ad ſolum eccleſiae tribunal internum pertinens. Solenne vim promiſſionis ab eccleſia et republica acceptatae pro utroque foro tam interno, quam externo obligationem producentis habet*, cuius effectus *eccleſiaſtici* a poteſtate ſacra; et *ciuiles* a ciuili prouueniunt et ita dependent, vt ab vtraque impedimenta tam impedientia, quam dirimentia eidem poni poſſe omnes facile intelligant, qui principium fundamentale de diſtinctione vtriusque poteſtatis ſtabilitum non ignorant.

Certe Carol. M. *in capitular. II. et cap.* 15. *capitul. III. de a.* 805. *c.* 17. apud Balvz *t.* 1. *col.* 427. *et col.* 432. ſtatuere non dubitauit, *vt liberi homines, qui ad ſeruitium Dei ſe tradere volunt, hoc non faciant, quam a nobis licentiam poſtulent.* Idem in *capitulari aquiſgran. de a.* 789. ſanxit: *vt virgines non velantur ante viginti quinque annos, niſi rationabili neceſſitate cogente* ap. Balvz. *t.* 1. *c.* 45. *col.* 229. quod repetitum legimus in *capitular. francoford. de a.* 803. *cap.* 44. apud eund. *col.* 269. quod Carolo M. licuit, licebit etiam aliis populorum rectoribus, ſi ſalus reipublicae id exigat: prohibet quidem Concil. Trid. *ſeſſ. XXV. c.* 15. *de regul. ne in quacunque religione virorum quam mulierum profeſſio fiat ante decimum ſextum annum expletum.* Sed ideo

nec

[redacted]

nec voluit, nec etiam potuit Principum ſummorum poteſtati limites ponere extendendi annos profeſſionis. Lectu digniſſimus eſt libellus a viro erud. VAYER DE BOVTIGNE priore iam ſeculo 1669. idiomate gallico conſcriptus *Pariſiis*, nuperrime vero in germanicum translatus hic in lucem prodiit cum inſcriptione: **Abhandlung von der Macht des Königs in Abſicht auf die Beſtimmung des zu Ablegung der feyerlichen Ordensgelübde erforderlichen Alters ſeiner Unterthanen.**

§. DXCI.

Natura voti obedientiae evoluitur.

Profeſſio non eſt ſine votis monaſticis, neque homo religioſus ſine profeſſione intelligitur. Illorum primo occurit *obedientia* praecipua monachorum virtus, vi cuius voluntati ſuperiorum ſe ſubiicere, & ſequendo alienum proprio renunciare iudicio tenentur (S. BENED. *reg. c.* 5.) atque in hoc conſiſtit *obedientia coeca* tot encomiis a patribus, et vitae monaſticae magiſtris celebrata, quae hoc tantum bonum putat, ſi praeceptis obediat. Nolim autem ita hoc intelligi, quaſi generaliter ſuperiorum mandatis obediendum foret, nullumque ſubditis periculum obediendo imminere poſſet, adeo, vt ſine diſcuſſione et examine *coeci* in omnibus praelatorum voluntatem amplecti deberent. Nequaquam ſane. *Admonendi ſunt ſubditi, ne plus, quam expedit, ſint ſubiecti, ne, cum ſtudent, plus quam neceſſe eſt, hominibus ſubiici, compellantur vitia eorum venerari can.* 57. *II. q. VII.* Prudentia

ergo

ergo chriſtiana etiam in obediendo neceſſaria eſt monacho, quia *oportet* DEO *magis obedire, quam hominibus* ACT. *V.* 29.

S. GREGOR. *in I. reg.* 34. S. BERNARD. *epiſt. VII. I.* THESSAL. *V.* 21. MATT. *X.* 16. obedientiae monachalis characteres ex regulis PP. antiquorum praecipuis recenſet VAN ESPEN *l. c. tit. XXVIII. c. I.* et qua ratione laudabilis ſit cceca obedientia, explicat S. BERNARD. *tractat. de praecept. et diſpen. cap.* 10. Ergo clarum eſt, quod praeceptum aut licentia praelati non ſemper monachorum vitia excuſet.

§ DXCII.

Abbati in regula diſpenſanti non ſemper obediendum eſt.

Dico ergo, Abbati per omnia obtemperandum, ſed ſalua profeſſione (S. BERNARD. *epiſt. VII.* Neque enim Abbatis eſt, regulam inuertere, aut ab ea pro ſuo recedere arbitrio. Sed nunquid ſuperiori in regula diſpenſanti obediendum eſt? Non ſemper puto, quia neque ſemper diſpenſare poteſt. Continentur in regulis alia, quae *eſſentialia* ſunt, et ſine quibus profeſſio ſeruari nequit: alia occurrunt *accidentalia*, quibus pro circumſtantiarum varietate ordo religioſus carere poteſt, immo aliquando debet. Prioris generis quae ſunt, iis ipſe praelatus ſpontanea profeſſione ſe ſubmiſit, ergo diſpenſanti nequaquam obediendum eſt. Reliqua quod attinet, licet Praelatorum voluntati ſubdita non ſint, poſſunt tamen ex

iuſta cauſa diſpenſare. Neque in hoc regulae repugnant, ſed obſequuntur potius, adeoque neceſſe erit, vt religioſus obedientiam exhibeat.

TRIDENT. *ſeſſ.* 25. *cap.* 1. *de regul.* CLEMENS VIII. *in conſtit.* NVLLVS OMNINO. S. BERNARD. *tract. cit.* *cap.* 2. *et* 4.

§. DXC.II.

Nec licitum ei eſt, rigorem regulae generaliter augere.

Sicuti autem Praelato fas non eſt regulam relaxare, atque ab eius obſeruantia in perpetuum et generaliter eximere, ita neque eius rigorem generaliter augere, atque ſubditos pro omni tempore arctiori ſubiicere poteſt. Inde autem denuo nullatenus ſequitur, ſuperiori ius non eſſe in caſu particulari ſupra regulam aliquid iniungere, quamuis in huius poteſtatis exercitio charitate poſthabita ſubinde plus iuſto adfectui ſuo indulgere poſſit. Quid ſi hoc contingat? poterit ſubditus ea, qua par eſt modeſtia, grauamina proponere, ſed nunquam ad remedium adpellationis confugere *cap.* 3. *et* 26. *de appellat.* quia tamen experientia docuit, paternam, quae religioſorum ſuperioribus propria eſt, correctionem in tantum abuſum hinc inde degeneraſſe, vt charitatis euangelicae prorſus immemores ferro, carcere, nece ipſa in ſuos aliquando ſaeuiant; imperanti ciuili incumbit prouidere de mediis, qui-

peſſimo ac deteſtabili hoc abuſu conciues noſtri tuti reddantur.

S. BERNARD. *tract. cit. cap.* 4. *et* 5. S. BENEDICT. *reg. cap.* 68. FAGNAN. *ad cap.* 3. *de adpellat.*

§. DXCIV.

Explanatur natura voti paupertatis.

In omni profeſſione religioſa votum *paupertatis*, licet nulla eius expreſſa mentio fieret, includi nemo dubitat. Eius fundamentum in verbis CHRISTI MATTH. *XIX.* 21. *Si vis perfectus eſſe, vade, vende quae habes, et da pauperibus:* latere omnes conſentiunt. Ita exactiſſime veteres paupertatem obſeruabant, vt neque monaſteria ipſorum agros, vel ſtatos reditus haberent vllos, neque ſingulis proprium quid ſibi dicere fas eſſet. Et ſi quis proprietatem aliquam habere deprehenderetur, id crimen ſumme deteſtandum habebatur, *can.* 11. *XII. q.* 1.

S. HIERON. *epiſt. XXII. ad Euſtoch.* FLEVRY *diſſert. laud.* §. 9.

§. DXCV.

Monachi olim labore manuum ſibi victum comparabant.

Sed cum ad vitam ſuſtentandam nonnullis rebus opus ſit, qua ratione fieri potuit, vt

[redacted]

tamen, quod S. Avgvstinvs *tom. I. libr. I. cap. 31. n. 67. de mor. eccles. col. 710.* ait: *Nemo cuiquam oneroſus eſſet?* Nimirum *operabantur manibus ea, quibus et corpus paſci poſſit, et a* Deo *mens impediri non poſſit. – – Sane quidquid neceſſario victui redundat, tanta cura egentibus diſtribuitur, quanta non ab ipſis, qui diſtribuunt, comparatum eſt. Nullo modo namque ſatagunt, vt haec ſibi abundent, ſed omni modo agunt, vt non apud ſe remaneat, quod abundauerit, vſque adeo, vt oneratas etiam naues in ea loca mittant, quae inopes incolunt.* Iam S. Avgvstini tempore inter monachos lis exorta eſt, vtrum magis e re monaſtica foret, labore manuum victum ſibi comparare, quam animum ad orationem et contemplationem adpellere, et piorum Chriſtianorum oblationibus vitam ſuſtentare.

a) S. Pater integrum hac de re librum de *opere monachorum* conſcripſit, in quo otioſos monachos ad laborem corporalem ablegauit, rationes eorum refellit. Hvg. Menard. *concord. reg. cap. 55. §. 1.* Et conſentiunt reliqui SS. Patres, vt Epiphan. *haereſi* 80. *num.* 6. Chrysost. *de compunct. lib. I. cap.* 6. Hieron. *epiſt.* [illegible] *ad Marc. Celedenſ. et epiſt. IV. ad Ruſt.* Neque alia eſt genuini monachiſmi Patrum ſententia. S. Bened. *in reg. cap.* 48. *otioſitas* (ait) *inimica eſt animae. Et ideo certis temporibus occupari debent fratres in labore manuum — — quia tunc vere monachi ſunt, ſi labore manuum viuunt, ſicut et Patres noſtri et Apoſtoli.* Add. Cassian. *inſtit. lib. X. cap.* 22. Porro reipublicae intereſt, ne tanta ciuium multitudo, quae in monaſteriis exiſtit, otioſa ſit. *Nouell.* 133. *cap. 6. tit. cod. de mendic. validis.* Et Apostolvs ait II. *theſſal.* III, 10. *Qui non vult operari, non manducet.* Add.

l. c. v. 7. 8. Genes. *II.* 15. *III.* 19. 24. Sed hodie regulares pene omnes clerici ſunt, horas canonicas recitant, curam animarum exercent etc. ad quid laborem corporalem poſtulas? Sed nec haec ratiocinatio placet primaeue diſciplinae monaſticae tenaci Fleurio *diſſert. cit.*

§. DXCVI.

Hodie vel ex fundis, quos in communi poſſident, vel mendicando viuunt.

Abiecto labore corporali, fieri aliter non potuit, quam vt monaſteria *vel in communi fundos ad ſuſtentationem neceſſarios poſſideant, vel mendicando fidelium pietati ſe ſe committant.* Illorum ea eſt conditio, vt tanquam vniuerſitates in *corpore* omnium iurium vſum pleniſſime poſſideant, vtque ſicut cetera collegia licita, adquiſitionis cuiuscunque capacia ſint. Igitur tanta fundorum ac diuitiarum copia, cum per oblationes ingredientium, tum effuſam fundatorum aliorumque fidelium liberalitatem ad monaſteria ſenſim deuoluta fuit, vt neceſſitatem legis Amortizationis vel ipſi principes eccleſiaſtici in Germania agnouerint.

Van Espen *l. c. tit. XXIX. cap. III. §. 12. ſeq. et cap. IV.*

§. DXCVII.

Peculia voto paupertatis contraria ſunt.

Alia eſt *ſingulorum* ratio, vtpote qui per *votum paupertatis* omni rerum externarum (ſi

[redacted]

famam excipias) poſſeſſione ſe ſe abdicaſſe cenſentur, ita, vt quidquid adquirunt, monaſterio adquiſiuiſſe intelligantur. Omnino neceſſaria ex communi monaſterii ſubſtantia ſubminiſtranda ſingulis ſunt; ergo hoc *ipſo pecu-lia* monachorum vitae communi, et paupertati contraria ſunt; quod enim alicui *certo praefixum* ſeruatur, id communi dici non poteſt. Facilius ſane *proprietas ſine vſu*, quam *vſus peculii ſine proprietate* cum paupertate componitur. Et quaenam iuſtifica poterit peculii ratio excogitari, poſtquam SYNOD. TRID. ſtatuit: *Nihil etiam, quod neceſſarium, eis denegetur.*

SESS. XXV. *cap.* 2. *de regul.*

§. DXCVIII.

Quae nec titulo adminiſtrationis religioſis a ſuperiore concedi poſſunt.

Plerique in ea opinione ſunt, permiſſa eſſe peculia, titulo adminiſtrationis a ſuperiore conceſſa *ob cap.* 2. *de ſtat. monach.* Verum concors eſt veterum canoniſtarum ſententia, ibi de *officialibus* tantum ſermonem eſſe. Accedit authentica interpretatio: *Nec deinceps liceat ſuperioribus bona ſtabilia alicui regulari concedere etiam ad vſumfructum, vel vſum, adminiſtrationem, aut commendam. Adminiſtratio autem bonorum monaſteriorum, aut conuentuum ad ſolos officiales eorumdem ad nutum ſuperioris amouibiles, pertineat.* Ergo titulus ad-

adminiſtrationis nihil aliud eſt, quam palliamentum ad cohoneſtandam religioſae paupertatis violationem.

Synod. Trid. *l. c.* Fagnan. *ad cap. cit.* van Espen *l. c. cap. VII. ſeq. et diſſert. de peculiarit.*

§. DXCIX.

Duplex eſt mendicantium claſſis.

Specialis eſt mendicantium paupertas; *Religioſi* enim *mendicantes* ſunt, quibus victum tribuit incerta mendicitas, et qui reditus aut poſſeſſiones ex regula, vel conſtitutionibus habere non poſſunt *cap. vn. de relig. dom. in VI.* Gloss. *in cap. vn. de exceſſ. praelat. in VI.* Ergo duo ſunt huiusmodi ordinum mendicantium genera. Alii ex *regula* tales: alii ex *conſtitutionibus* regulae poſtmodum adiectis. Prioris generis ſunt *ſoli Franciſcani*; et ideo S. Franciscvs primum huius inſtituti fundamentum poſuiſſe recte adſeritur. Reliqui eum ſecuti nonniſi ex conſtitutionibus ſuis *mendicantes* dici poſſunt.

Quum itaque S. Franciſcus *mendicantium* fundator ſit, quare ipſius regulam mendicantes pro norma religioſae mendicitatis non habent? voluit enim, vt de mercede laboris pro ſe, et ſuis fratribus neceſſaria corporis recipiant, ſicut decet paupertatis ſanctiſſimae ſectatores *reg. cap.* 5. Quando autem non daretur pretium laboris, tum demum oſtiatim eleemoſynam petere non erubeſcant *reg. cap.* 6. Nempe Nicolavs III. *vacantes ſtudio*, vel *diuinis officiis*, *et miniſteriis exſequendis* non con-

tineri *ſub reg. cap. 5.* exiſtimauit *cap. 3. de V. S. in VI.*

§. DC.

Omnia monaſteria quibusdam tantum exceptis poſſunt poſſidere bona immobilia.

Inualeſcente nimia *mendicantium* multitudine, eorum paupertas variis incommodis obnoxia diu durare non potuit. Igitur prudentiores, quibus non ex regula, ſed ex conſtitutionibus vetitum erat in communi poſſeſſiones habere, ab his conſtitutionibus recedere, atque ad regulam redire coeperunt. Eorum auſus comprobauit SYNOD. TRID. *concedendo omnibus monaſteriis et domibus tam virorum, quam mulierum et mendicantium, exceptis domibus fratrum S. Franciſci Capucinorum et eorum, qui minorum de obſeruantia vocantur, etiam quibus ex conſtitutionibus ſuis erat prohibitum, aut ex priuilegio apoſtolico non erat conceſſum, vt deinceps bona immobilia poſſidere liceat.*

Seſs. XXV. *cap. 3. de regul. et monial.* Quare iam ſoli *Capucini et minores de obſeruantia* circa poſſeſſiones bonorum immobilium excipiantur, non obſcura eſt ratio. Cum non tantum eorum conſtitutiones, ſed ipſa S. Franciſci regula huiusmodi poſſeſſionem ipſis interdicat. ESPEN *l. c. cap. V.*

§. DCI.

[redacted]

§. DCI.

Agitur de voto paupertatis ſcholaſticorum Soc. Ieſu.

Illud omnino ſingulare fuiſſe conſtat, quod *ſcholaſtici Soc. Ieſu*, etſi veri religioſi pauperes fuerint, retinuerint tamen ad aliquod adhuc tempus rerum ſuarum dominium, non tamen liberum earum vſum ita quidem, vt vel *inualide*, vt putant MOLINA, LESSIVS, HAVNOLD, vel ſaltem *illicite*, vt volunt SVAREZ, SANCHEZ, LAYM, WIESTNER, absque ſuperioris voluntate de iis diſponant. Vid. Bulla GREGORII XIII. QVANTO FRVCTVOSIVS de an. 1582. et ASCENDENTE de a. 1584. Add. RESPONSVM IVRIS *pro veritate ad quaeſitum: an religioſi Societatis Ieſu per vota ſcholaſticorum poſt biennium nouitiatus emiſſa reddantur incapaces retinendi ius, et dominium bonorum ſuorum?*

§. DCII.

Eſſentia voti caſtitatis dilucidatur.

In priſtinis monachorum formulis profeſſionis, nulla occurrit mentio expreſſa *voti caſtitatis*. Primus, qui *caſtitatis* et *paupertatis* expreſſam mentionem formulae profeſſionis adiecit, videtur fuiſſe S. FRANCISCVS *reg. cap.* 1. *et* 2. quem nonnulli alii ordines ſecuti ſunt. Sed et qui eum non imitantur, non minori caſtitatis vinculo conſtringuntur. Duo autem

[redacted]

hoc votum includit: 1.) *viuere in caſtitate extra matrimonium;* 2.) imo *et abſtinere a coniugio, et omni actu coniugali.* Si autem poſt profeſſionem in religione adprobata matrimonium quis inire adtentet, excommunicationi ſubiacet *can* 22. *XXVII. q.* 1. Ipſumque matrimonium nullum eſt *cap. vn. de vot. in VI.* Qui eſſentialis eſt *voti ſolennis* effectus.

§. DCIII.

Clauſura monialibus praeſcribitur.

Infirmior ſexus duriora ad extorquendam, et conſeruandam continentiam remedia popoſcit. Hinc omnibus ſeculis *clauſura monialibus* inculcata fuit. Cuius rei tamen non ſemper nec eadem vbique fuit diſciplina. Dein BONIFACIVS VIII. perpetuam omnibus impoſuit *cap.* 1. *de ſtat. regul. in VI.* Quem rigorem et TRID. SYNODVS, et ſequentes pontifices confirmarunt, et adauxerunt. Igitur 1.) in omnibus indiſtincte monaſteriis monialium clauſura eſt ſeruanda, atque per epiſcopos partim ordinaria, partim delegata auctoritate introducenda, reſtauranda, et conſeruanda. 2.) Monialibus poſt profeſſionem egredi non licet monaſterii ſui ſepta etiam ad breue tempus quocunque praetextu, niſi ex iuſta cauſa praeter alios ordinum ſuperiores etiam per epiſcopum adprobanda. 3.) Tales iuſtae cauſae ſunt, *magnum incendium. infirmitas leprae aut epidemiae*, aliaeque ſimiles aut vrgentiores. 4.) Sed nec in his caſibus extra monaſterium niſi

ad

[redacted]

ad neceſſarium tempus ſtare licet. 5.) Neque extraneae perſonae admitti poſſunt in monaſterium, aut colloquium monialium, niſi in caſibus neceſſariis cum illorum, ad quos pertinet, ſpeciali licentia ſub excommunicationis poena ipſo facto incurrenda. 6.) Non poſſunt moniales confiteri, niſi ſacerdoti pro monialium confeſſionibus ſpecialiter adprobato.

Synod. Trid. *ſeſſ.* 25. *cap.* 5. *de regul.* Pivs V. *conſtit.* cvra pastoralis: decori *etc.* Gregor. XIII. *conſtit.* Deo sacris etc. Vbi gratiae *etc.* et Greg. XV. *conſtit.* Inscrvtabili. Benedictvs XIV. *conſtit.* Salvtare *etc.* Barbosa *lib. I. iur. eccl. c.* 44. Passerin *ad cap.* 1. *de ſtat. regul. in VI.*

§. DCIV.

Non obſtat profeſſio religioſa, quin tranſitus ab vna religione ad aliam ſub certis conditionibus ſit permiſſus.

Facta profeſſione liberum nequaquam eſſe de monaſterio exire, aut iugum regulae excutere ſatis conſtat. Innuit hoc *promiſſa ſtabilitas*, quam formulae profeſſionis benedictinae *expreſſe (reg. c. 58.)* ceteris profeſſionibus monaſticis, et religioſis omnibus *tacite* ineſſe nemo negauerit. Quo tamen non obſtante fieri poteſt, vt tranſitus ab vna ad aliam religionem permiſſus ſit, dummodo legitimae conditiones obſeruentur, quarum 1.) eſt, vt tranſitus fiat ad *religionem perfectiorem et ſtrictiorem*, quae autem ſit *perfectior*, id non ex

prima regulae inſtitutione, ſed ex praeſenti eius obſeruatione determinandum eſt: II.) vt *licentia ſuperioris poſtuletur*, eique cauſa tranſitus exponatur, qui, niſi *iuſtam*, *et apertam recuſandi cauſam* habeat, eum ſine mora concedere debet. Tum praemiſſo nouo nouitiatu ad profeſſionem ſtrictioris religionis admittuntur tranſeuntes. Aliter ſi factus ſit tranſitus, ex defectu primae conditionis irritus; ſecundae vero illicitus erit.

Cap. 10. 18. *de regul.* *et* FAGNAN. *in comment. ibid.* TVRRECREMAT. *in comment. ad reg. Bened. tract.* 127. CARD. LVC. *diſcurſ.* 38. *de regul.* Add. TRID. SESS. XIV. *c.* 2. Notandum tamen eſt, ob relaxationem diſciplinae in *aliquo monaſterio* non ſtatim tranſitum eſſe conceſſum ad *alium plane ordinem.* An cum religioſo ad aliam religionem tranſeunte, etiam transferantur bona ipſius intuitu monaſterio quaeſita? negat WIESTNER *h. t. num.* 136.

§. DCV.

Mendicantibus tamen non licet tranſire ad ordinem non mendicantium.

Econtra *nemo regularis cuiuſcunque facultatis vigore transferri poteſt ad laxiorem religionem.* Nec ſuperioris cuiuscunque licentia, ſed ſola Papae ex iuſta cauſa diſpenſatio hic ſufficit. Eam concedere ſolet ob infirmitatem ex obſeruantia ipſius regulae arctioris prouenientem. Igitur fratribus *mendicantibus* generaliter ad alium quemcunque ordinem non *mendicantium*, excepto ſolo ordine *Carthuſianorum*,

[redacted]

rum, tranſitus prohibitus eſt ſub poena excommunicationis ipſo facto incurrendae, et ſoli Papae reſeruatae.

Trid. Sess. XXV. *cap.* 19. *de regul.* Extravag. 1. *de regul. inter comm.*

§. DCVI.

Fugitiui religioſi et apoſtatae definiuntur.

Virorum licet non tam rigoroſa ſit clauſura, eis tamen nullibi licet ſine licentia ſui ſuperioris in ſcriptis obtenta monaſterium egredi. Quodſi adtentauerint et vagandi, aut extra obedientiam viuendi animo clauſtra ruperint *fugitiui*, ſique animum redeundi prorſus depoſuerint, *apoſtatae* dicuntur, quos vbicunque deprehenſos capi, reduci, et incarcerari a ſuo praelato poſſe, canoniſtae adſerunt. Id certum eſt, quod licet *religioſus fugitiuus* non ſubiaceat poenis a iure in apoſtatas conſtitutis, adeoque nullae poenae ei iure communi impoſitae ſint, poenas tamen proprii ordinis conſtitutionibus ſtatutas, vel receptas moribus, aut ſuperioris, ſcandali, aliasque fugae circumſtantias ponderantis, arbitrio infligendas incurrat. Monent interpretes, paterna tamen charitate, ſi ſponte reuerſus, aut *etiam retractus* reſipiſcat, mitigandas potius, quam ſeueritate exaſperandas eſſe *arg. can.* 2. 1. *q.* 7.

Tamburin. *tom. III. de iur. abbat. diſp. VIII. q.* 4. *num.* 2. fugitiuus a S. Synod. Trid. *ſeſſ. XXV.* *cap.*

cap. 4. *de regul.* adcenſentur etiam illi, qui a ſuis conuentibus etiam praetextu ad ſuos ſuperiores eundi recedunt. Quod tamen decretum non comprehendit religioſos, qui cum aduerſus ſuperioris ſui immediati vexationem, aut tractationem manifeſte iniuſtam ſe tuendi alio remedio deſtituuntur, ſibi conſulunt perfugio ad ſuperiorem eccleſiaſticum, vel ad ſummum principem, cuius *eſt* tueri et defendere ciues, et ſubditos ſuos ſeculares, et eccleſiaſticos contra iniurias. vnde vnde *illae* immineant; cum enim adverſus vim iniuſtam ſe tueri omni, et naturali quoque iure cuiuis conceſſum ſit, id religioſis quoque indebite oppreſſis non eſt denegandum. Navarr. *comment.* 2. *de regul. num.* 61. Sanchez *lib. VI. moral. cap.* 8. *num.* 17. Pirrhing. *ad titul. de regul. num.* 187.

§. DCVII.

Religioſi incorrigibiles ſecundum regulas ordinis eiici poſſunt, non vero iure decretalium.

Monachos incorrigibiles non obſtante profeſſione eiici poſſe ex monaſterio, ex regulis eorum manifeſtum eſt. Sed experientia docuit, quantis incommodis haec diſciplina obnoxia eſſet, igitur *iure decretalium* vetitum eſt, aliquem licet incorrigibilem e monaſterio, vel ordine penitus eiicere.

Cap. fin. de regul. carcere, et acrius etiam ſi opus fuerit pro modo delictorum puniendum eſſe volunt *can.* 11. 17. *ſeq. XXVII. q.* 1. *cap.* 10. *de mai. et obed. reg.* S. Basil. *cap.* 28. S. Avgvst. *cap.* 20. S. Bened. *cap.* 28. S. Francis. *cap.* 13. Constit. Soc. Ies. *p. II. cap.* 1. §. 1. Fagnan. *ad dict. cap. fin. num.* 37. 38.

§. DCVIII.

[redacted]

§. DCVIII.

Permittit tamen congregatio Cardin. interpret. eiectionem certis ſeruatis conditionibus.

Nouiſſime S. Congregatio Cardin. Interpret. adprobante Vrbano VIII. cenſuit, 1.) vt impoſterum nullus legitime profeſſus eiici poſſit, niſi ſit *vere incorrigibilis*; 2) tunc autem habeatur vere *incorrigibilis, ſi non ſolum concurrant ea omnia, quae ad hoc ex iuris diſpoſitione requiruntur* (ſublatis in hac parte ſtatutis, et conſtitutionibus cuiusque religionis, et ordinis etiam a ſede apoſtolica adprobatis) *verum etiam, ſi delinquens vnius anni ſpatio in ieiunio, et poenitentia in carcere probatus, nihilominus non reſipuerit.* 3.) Elapſo igitur hoc anno in ſua peruicacia perdurans tanquam membrum putridum eiiciatur. Sed 4.) ab ipſomet Generali tantum ex conſilio, et adſenſu ſex Patrum ad hoc electorum a congregatione generali, et 5.) nonniſi inſtructo ſecundum eorum ſtylum proceſſu, et plene probatis cauſis expulſionis ad SS. canonum praeſcriptum.

Decret. *S. congreg. Cardin. interpret. de regul. apoſt. et eiect.* Tambvrin. *l. c. quaeſt.* 7. *num.* 4. Sed multum dubitant auctores, num moribus haec congruant, haecque etiam cum tanta moderatione expulſio locum habeat. Saltem ipſa S. congregatio ſibi ipſi iam contradixit, dum decretalium Greg. IX. in *cap. fin. h. t.* obſeruari iuſſit teſtante Zypaeo *iur. nov. tit. de groſſ.* Extant indulta apoſtolica variis religionibus electionem permittentia pro delicto graui, et atroci ſemel tantum perp-

trato e-

[redacted]

trato ap. SVAREZ. *tom. III. de relig. tract. VIII. c. 8. n. 9.*

§. DCIX.

Remedium conſeruandi diſciplinam ſunt capitula, et viſitationes.

Laxata ſucceſſu temporis variis ex cauſis diſciplina monaſtica, cogitandum erat de reformatione. Remedia ordinaria videamus, nempe *capitulorum* exactam, et crebram celebrationem, et frequentem monaſteriorum *viſitationem cap. 7. de ſtat. monach.* Quorum, quanta hactenus fuerit efficacia, experientia confirmatur. Vtriusque origo *Ciſtercienſibus* debetur, in quorum lege fundamentali ſtatutum eſt, vt omnes abbates ſingulis annis ad generale capitulum *Ciſtercienſe* conueniant, et alter alterius monaſterium viſitet, vt hac ratione primaeuae diſciplinae rigor illibatus ſeruaretur. Haec res cum admodum idonea ad diſciplinam monaſticam ſuſtinendam, et reſtaurandam videretur, *in concil. lateranenſi IV.* ſub INNOCENTIO III. ſingulis ordinibus propoſita eſt *cap. 7. cit.* quam conſtitutionem plures poſtea pontifices expreſſe innouarunt, et obſeruari mandarunt.

BENED. XII. *in conſtit. pro reform. Benedict. et can. regul.* CLEMENS V. *in clement.* 1. *§. fin. de ſtat. monach.*

§. DCX.

§. DCX.

Quae et a tridentina ſynodo enodatius praeſcribuntur.

Demum Synodvs Trid. cum recenſiti canones paſſim negligerentur, voluit, vt *monaſteria omnia, quae generalibus capitulis, aut epiſcopis non ſubſunt, nec ſuos habent ordinarios regulares viſitatores, ſed ſub immediata ſedis apoſtolicae protectione, ac directione regi conſueuerunt, teneantur infra annum a fine praeſentis concilii, et deinde quolibet triennio ſe ſe in congregationes redigere — — congregationibus conſtitutis illarum generalia capitula, et ab illis electi praeſides, ac viſitatores — — teneantur ſuae congregationis monaſteria frequenter viſitare, et illorum reformationi incumbere, et ea obſeruare, quae in ſacris canonibus, et in hoc concilio ſunt decreta.*

Seſſ. XXV. cap. 8. *de regul.* Quod adtinet ſanctimoniales, vid. *ſeſſ. cit. cap.* 9. *de regul.* Pertinent haec praecipue ad monaſteria, et ordines exemptos. Neque tamen obſtat, quo minus et non exempta in formam congregationis redigantur. Quod etſi factum ſit, eorum tamen reformator, et viſitator ordinarius eſt, non quem curia romana, ſed quem Chriſtus ipſe poſuit, epiſcopus *can.* 17. 28. 29. *XVIII. q. II.* Van Espen. *l. c. cap. III.*

TITVLVS XXXIV.

DE VOTO, ET VOTI REDEMPTIONE.

§. DCXI.

Definitur votum.

Dictum eſt de *votis regularium.* Sequitur tractatus de votis in genere, aliisque votorum ſpeciebus. Eſt autem *votum ſpontanea, et deliberata promiſſio* Deo *facta de meliori bono.* Ita canoniſtae, et theologi vno ore ſecuti S. Thomam 2. 2. *q.* 88. *art.* 1. *et* 2.

§. DCXII.

Vouere poſſunt omnes, qui nec impediuntur, nec prohibentur.

Vouere omnes, et ſoli illi poſſunt, qui ſufficientem vſum rationis habent, et facultate morali, nulla lege impedita, de actionibus, et rebus ſuis diſponendi gaudent, *voto patres familiarum obligari, et puberes ſui iuris; filium autem familias, vel ſeruum ſine patris, dominiue auctoritate non obligari ſcriptum eſt in* l. 50. *dig. de pollicit.* Recte S Thomas 2. 2. q. 88. *art.* 8. *in reſp. nemo poteſt per promiſſionem ſe firmiter obligare ad id, quod eſt in po-*

teſtate

[redacted]

teſtate alterius, ſed ſolum ad id, quod eſt in poteſtate ſua, et ideo non poteſt ſe per votum obligare in his, quibus alteri ſubiicitur ſine conſenſu ſui ſuperioris.

§. DCXIII.

Votum diuiditur.

Voti praecipua eſt diuiſio, quod aliud ſit *ſimplex*, aliud *ſolenne*. *Solenne* eſt, quod *fit praeſcriptis lege eccleſiaſtica ad id ſolennitatibus cap. vn. h. t. in VI.* Quae in ſuſceptione ſacri ordinis, aut in profeſſione religioſa conſiſtunt. *Simplex*, ſeu *minus ſolenne*, quod *absque his emittitur.* Ergo neque certa verborum formula, neque cerimoniae quaecunque ſolennitatem voti conſtituunt, *ſed ex ſola conſtitutione eccleſiae eſt inuenta cap. vn. cit.*

Huius diuiſionis variae ſunt interpretum explicationes. quas recenſet Wiestner *ad h. t. art. I. §. 15, ſeq.*

§. DCXIV.

Adferuntur ulteriores voti diuiſiones.

Praeterea votum ratione obiecti vel *reale*, quod *de re in gratiam tertii praeſtanda;* vel *perſonale*, quod *de facto ſolum vouentem concernente praeſtatur*, vel *ex vtroque mixtum eſt.* Dein vel *purum*, vel *conditionatum*, quatenus *ſub certa conditione, vel absque ea fit.* Tan-

dem *expreſſum* vel *tacitum*, quod *actui*, *quem, quis agit*, *adnexum eſt*.

§. DCXV.

Finis, et materia voti exponitur.

Vota Deo immediate, vel mediate fiunt, adeoque neceſſe eſt, vt intuitu Dei facere velit, quod quis ſe facturum vouet. Itaque *finis* vouentis alius eſſe nequit, niſi vt promptitudinem certo quodam modo officiis erga Devm ſatisfaciendi conteſtetur. Ex quo facile erit *materiam* votorum determinare, quae nempe conſiſtit in eiusmodi actibus, qui de ſe quidem moraliter contingentes ſunt, quibus tamen cultus diuinus tam externus, quam internus promouetur. *Sunt enim quaedam, quae etiam non vouentes debemus, quaedam etiam, quae niſi vouentes non debemus, ſed poſtquam ea* Deo *promiſimus, neceſſario reddere conſtringimur. c. XVII. q. 1. can. 1.*

Apte ad rem S. Bernard. *in tract. de praecept. et diſpenſ. Benedicti regula*, inquit, *omnibus proponitur, imponitur nulli, prodeſt, ſi deuote ſuſcipitur, nec tamen, ſi non ſuſcipitur, obeſt.*

§. DCXVI.

Vota de re phyſice vel moraliter impoſſibili, aut omnino indifferenti nulla ſunt.

Hinc conſequitur, *illicita eſſe, ac nullam omnino obligandi vim habere, vota* 1.) de re

actibus-

[redacted]

actibusque, quos ponendi facultas moralis, vel phyſica homini omnino eſt ademta. 2.) Quae praeſtantur tanquam media ad finem malum, ſeu, quae quidem videntur aliquid licitum intendere, poſita tamen praua hypotheſi. 3.) De re, iureque alieno, vt ſine aliorum laeſione, et praeiudicio adimpleri nequeant. *In malis promiſſis reſcinde fidem*, ait Isidorvs Hispalensis, *in turpi voto muta decretum, quod in corde vouiſti, ne facias. Impia enim eſt promiſſio, quae ſcelere adimpletur can.* 5. *c.* XXII. *q.* 4. 4.) Votum non debere eſſe de re omnino indifferenti, ſed *de bona*, immo *de meliori bono*, vulgata eſt loquendi formula. Inde concludunt, regulariter non valere votum matrimonii ob Synod. Trid. *ſeſſ.* XXIV. *can.* 10.

Vid. Grat. *cit. t.* vbi plura ad hanc materiam pertinentia notatu digniſſima occurrunt. Wiestner *h. t. art.* I. *n.* 9. *ſeq.* Engel *h. t.* §. 1. n. 10.

§. DCXVII.

Votum generatim obligat ad ſui implementum.

Licet vniuerſis liberum ſit arbitrium in vouendo, vſque adeo tamen ſolutio neceſſaria eſt poſt votum, vt ſine propriae ſalutis diſpendio alicui non liceat reſilire cap. 6. *h. t.* Nam promiſſio ab homine acceptata obligationem producit. Ergo et promiſſio Deo facta, cum ratio et reuelatio de acceptatione dubitare non ſinat. *Si nolueris polliceri*, decidit diuinus

[redacted]

Legiſlator, DEVTERON. *XXIII.* 22. *et* 23. *abſque peccato eris. Quod autem ſemel egreſſum eſt de labiis tuis, obſeruabis et facies, ſicut promiſiſti Domino Deo tuo, et propria voluntate, et ore tuo locutus es.* Et iterum PSALM. LXXV. 12. *Vouete, et reddite Domino Deo.* Quid? quod votum quam proxime ad iuſiurandum accedit, de cuius obligatione tamen nemo dubitat. Et in hoc capite differt *votum* a ſimplici voluntatis *propoſito*, quod hactenus non obligat *cap.* 3. *h. t.* aliud nempe eſt, ſibi quid *proponere*, *mente decernere*: et aliud *Deo quid polliceri cum intentione ſe Deo obligandi.*

CORVINVS *iur. can. P. I. de perſ. et beneſ. eccl. L. III. tit. X. n.* 3.

§. DCXVIII.

Speciatim vero differentia eſt 1.) *inter votum ſimplex et ſolenne.*

Recte itaque ſentire eos palam eſt, qui *ſummam* eſſe voti obligationem adſerunt. In *ſpecie* 1.) votum *ſimplex*, ac *ſolenne* in conſcientia quidem aeque obligat; hoc tamen ex conſtitutione eccleſiae interueniente quodam ſolenni ritu, et facto id acceptantis ea firmitate praeditum eſt, vt vouentem ad actum oppoſitum prorſus inhabilem reddat, quod de illo dici nequit.

Cap. 3. 4. *qui cler. vel vouent.* Voti ſimplicis, et ſolennis diſtinctionem Gratianus, atque ſcholaſtici in-

[redacted]

inueniſſe videntur. Ille, vt *canones* 2. *et* 3. *cum can.* 4. 5. 6. 8. *diſt. XXVII. et can.* 40. *cum. can.* 41. *XXVII. q. I.* conciliaret, eam adhibuit. Et quamuis in cit. can. 3. vox *ſimplex* textui inſerta ſit, eam tamen ab omnibus MSS. abeſſe, et ex gloſſa interlineari in textum irrepſiſſe, notant correctores, quam poſtea pontifices decreto ſine examine vtentes adprobarunt *in cap.* 4. *ſeq. qui cler. vel. vouent.*

§. DCXIX.

2.) *Inter reale, perſonale et mixtum.*

a.) Obligatio voti *realis* iure canonico firmata perfecta eſt, et ex eo vouens, eiusque haeres tenentur, ac tertio competit ius rem voto promiſſam exigendi. Votum *perſonale* intuitu ſolius vouentis vim obligandi habet. *Mixtum* vouentis defuncti haeres eatenus praeſtare tenetur, quatenus praeſtatio realis a perſonali prorſus independens in eo continetur, niſi haeres ſe ſponte obligaſſet ad id etiam, quod in eo perſonale eſt *cap. 6. h. t. cap. 6. de his, quae vi met. cap. 6. de teſtam. cap.* 18. *de cenſ.* Votum a communitate integra factum non imponit poſteris obligationem religionis: hos tamen teneri, vel ex legitima conſuetudine, vel ex ſtatuto, vel ex vltronea ratihabitione docet Svarez *tom. II. de relig. tract. VI. de vot. lib. IV. cap.* 9. *et* 11.

[redacted]

§. DCXX.

Vota perſonalia ab ipſo viuente praeſtanda ſunt.

Votum *perſonale* ab ipſo vouente praeſtandum eſt, qui, ſi id non poſſit, neque per alium implere tenetur. Vota *realia* autem, ſi vouens nequeat praeſtare ea, per alium adimplenda ſunt. In votis *mixtis* diſtinctio eſt adhibenda, (ſup. §. praeced.) an ſcilicet id, quod eſt reale voti, fuerit acceſſorie, vel principaliter, et independenter in obligatione. Item an intentio vouentis fuerit, ſe ad ſingulas partes voti diuiſim obligandi.

Cap. 8. *h. t.* ENGEL *ad h. t.* §. 1. *num.* 16.

§. DCXXI.

3.) *Inter purum, conditionatum et in diem conceptum.*

3.) Voti *puri* obligatio, eſt ratione habita materiae, *grauis*, vel *leuis;* et praeſens, cuiusque executio, quamprimum poteſt, fieri debet. Ad votum vero *conditionatum* conditione non exiſtente, nemo tenetur, 4.) Votum, cuius executio in *certum diem coniecta*, eo etiam elapſo obligat, niſi adiectus ſit dies obligationis finiendae cauſa. 5.) Votum quoad quantitatem ac qualitatem *indeterminatum* ita validum eſt, vt vouens ad quantitatem minorem, et qualitatem vtilem teneatur. *Non tar-*

dabis

dabis Domino Deo tuo reddere votum, quod vouiſti, quia requiret illud Dominus Deus tuus, et ſi moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum. DEVTER. *XXIII.* 21. concordat regula iuris *in l.* 14. *dig. de reg. iur.* quae praecipit, quod in omnibus obligationibus, in quibus dies non ponitur, praeſenti die debeatur. Si vero obſcurum ſit, quid et quantum ex voto debeatur, *minimum eſſe ſequendum dictat regula iuris* 30. *in VI.* quod conuenit *c.* 18. *de cenſib.*

§. DCXXII.

Diſſoluitur obligatio voti 1.) *irritatione.*

Ex hactenus dictis euidens eſt, voti legitime editi obligationem eſſe naturalem, et internam, nullaque auctoritate humana tolli poſſe. Sed quia actus ſubditorum non ſunt in plena eorum poteſtate, ſed a ſuperioribus ſuis dependent, et per conſequens inferior, qua inferior eſt, quatenus ſcilicet eius ius ſub poteſtate ſuperioris continetur, obſtringere non ſe poteſt, niſi quatenus ſuperiori id placiturum eſſet; facile intelligitur, quomodo irritari poſſint vota a ſuperioribus eccleſiaſticis, a patribusfamiliarum, a dominis, a maritis in his, quae dominici, vel maritalis ſunt iuris: his enim vel voluntatem vouentis, vel materiam voti plene, vel minus plene ſubiectam eſſe omni iure certum eſt, etſi *in iureiurando debet intelligi ius ſuperioris exceptum*, vt loquitur PONTIFEX *c.* 19. *de iureiur.* idem ex identitate rationis in voto locum habebit.

[redacted]

Hoc modo lege hebraea mariti vxorum, patres liberorum, qui ſui iuris nondum erant, vota iurata irritandi ius habebant NVMER. *cap.* *XXX.* 14. *C. XXXII. q. II. c.* 4. *et* 10. *de renunt.* Quomodo autem *viri praeter vxorum adſenſum peregrinationis in ſubſidium terrae ſanctae propoſitum libere vouere, et quod vouerint, adimplere*, voluerint vt deciditur *in cap. ex multa* 9. *§. in tanta h. t.* illorum temporum philoſophiae condonandum erit.

§. DCXXIII.

2.) *Ob defectum materiae.*

Soluitur quoque obligatio voti ob *defectum materiae*, ſi forte mutatis circumſtantiis res, vel actio promiſſa euadat phyſice, vel moraliter omnino impoſſibilis, aut deſinat ratio boni maioris, incidit enim in caſum, a quo non poterat incipere *l.* 140. *§.* 2. *dig. de V. O.* dicitur quidem in *c.* 8. *h. t.* etiam in caſu impedimenti perpetui votum non ceſſare, ſed redimendum, vel commutandum eſſe, adtamen hoc non vniuerſaliter, ſed de voto mixto intelligi poteſt, vt ex caſu *cit. cap.* aperte conſtat.

§. DCXXIV.

3.) *Ceſſante cauſa finali adaequata.*

Extinguitur etiam votum *ceſſante cauſa finali adaequata*, propter quam illud eſt nuncupatum *c.* 60. *de adpellat.* igitur non obſtat *c.* 7. *h. t.* quia ibi cauſſa tantum ſecundaria et partialis, non autem totalis, et principalis ceſſa-

[redacted]

ceſſare videtur, et ideo pontifex votum non ſolui, ſed commutari, vel redimi debere decidit.

Gonzalez. *ad cit. cap. n.* 5. *in fin.*

§. DCXXV.

Commutare votum in opus euidenter melius quiuis propria auctoritate poteſt.

De aliis modis ſub hoc titulo comprehenſis, quibus voti obligatio alterari poteſt, videlicet *commutatione, et diſpenſatione*, quaedam adhuc monenda ſuperſunt. Tunc autem cenſetur fieri *commutatio voti*, ſi pio operi, ad quod implendum vouens ſe expreſſis verbis obſtrinxit, aliud in eius vicem ſubſtituatur. Qua in re ſeruanda eſt regula, quod in opus euidenter, melius cuilibet *auctoritate propria* votum commutare liceat c. 1. *et* 4. *h. t.* Quia profectum in bono Deo ita debemus, vt eius libertatem eripere, nobis ipſis non valeamus, et ideo *promiſſum infringere nemo creditur, qui illud in melius commutat* c. 3. *de iureiur.*

§. DCXXVI.

Non vero in opus aeque bonum.

Si vero *commutatio* facienda eſſet in *opus aequale*, ea ſine *auctoritate legitimi ſuperioris* fieri nequit, cum nemo in cauſa propria iudex

ſedere, et ſibi ipſi in re tanti momenti ius dicere praeſumat.

Arg. c. 1. *h. t.* S. THOMAS. 2. 2. *q.* 88. *A.* 12.

§. DCXXVII.

Diſpenſare in voto pro arbitrio non licet.

Grauior eſt quaeſtio, an vota diſpenſationi ſubiaceant? Iam demonſtrauimus obligationem voti legitime editi a lege naturali, et diuina oriri, adeoque nulli mutationi humanae poſſe eſſe obnoxiam: ſi ergo nomen diſpenſationis in arctiore ſenſu ſumamus pro actu, quo ſuperior pro mera ſua auctoritate, et arbitrio inferiorem omnino liberat, et abſoluit ab obligatione praeſtandi id, quod is libere et ſponte ſe praeſtiturum Deo promiſit, ſatis conſtat, quod ius ex voto Deo quaeſitum minime tolli, et auferri poſſit; ſi vero diſpenſatio in laxiore ſignificatu accipiatur pro actu, quo ſuperior legitimus perpenſis omnibus circumſtantiis ex iuſta, et graui cauſa declarat, et indicat voto ineſſe aliquem defectum, vel ſalutem animarum, vel bonum publicum eccleſiae, vel reipublicae exigere, vt in eo aliqua relaxatio, vel mutatio fiat, nemo dubitabit, quin diſpenſationi ita acceptae locus eſſe poſſit, eiusque facultas ſuperioribus eccleſiaſticis competere debeat, quibus diuinum eccleſiae conditorem curam paſcendarum ouium, ſeu fidelium, et poteſtatem ligandi et ſoluendi, regendique eccleſiam conceſſiſſe fide diui-

na

[redacted]

na credimus. Accedit bonum commune reipublicae ſacrae, et politicae *h. t. et cap.* 11. 14. *de maior. et obed.*

Iuſtae diſpenſandi cauſſae eſſe poſſunt defectus ſufficientis aetatis, plenae libertatis, perturbatio mentis orta ex vehementi quadam paſſione, dubia vouentis intentio, error circa cauſam impulſiuam. Paucis: prae oculis habeantur principia imputationis actionum moralium *cap.* 1. 2. 5. 7. 8. 9. *h. t.*

§. DCXXVIII.

Ius diſpenſandi in voto competit ſuperioribus eccleſiaſticis.

Superiorum eccleſiaſticorum nomine, ad quos facultas diſpenſandi in ſenſu a nobis (§. praeced.) explicato pertinet, hic veniunt, 1.) *ſummus pontifex*, 2.) dein *epiſcopi*, et 3.) *iurisdictione quaſi epiſcopali*, aut etiam 4.) *ſpeciali priuilegio legitime praediti*, qui omnes hoc iure vtuntur exceptis votis ſoli pontifici reſeruatis, qualia ſunt a) votum perpetuae caſtitatis, b) ingrediendi religionem, c) viſitandi limina apoſtolorum, d) peregrinandi ad S. Iacobum compoſtellam e) votum vltramarinum.

Recenſentur in *c.* 5. *extrauag. comm. de poenit. et remiſſ. c.* 8. *et* 9. *h.* quae *regulariter* ſine ſedis apoſtolicae licentia ſub poena excommunicationis relaxari nequeunt, ſi modo relaxatione indigeant. Wiestner *ad h. t. num.* 69. Poſſe etiam ab epiſcopis in quibusdam caſibus pontifici reſeruatis diſpenſari docet Barbosa *de poteſt. epiſcop. p.* 2. *alleg.* 37. *per tot.*

§. DCXXIX.

[redacted]

§. DCXXIX.

Etiam in votis ſolennibus ex iuſta cauſa a papa diſpenſari poteſt.

Ex principiis hactenus ſtabilitis adfirmare non haeſitamus, a papa quoque *vinculum ex votis ſolennibus ortum iuſta, et graui cauſa* id ſuadente relaxari poſſe *c. vn. h. t. in* 6. Monachus vero ita ab obſeruantia votorum ſtatum religioſum *eſſentialiter* conſtituentium diſpenſatus, monachus eſſe deſinit, quia *abdicatio proprietatis, ſicut et cuſtodia caſtitatis eſt adnexa regulae monachali, vt contra eam nec ſummus pontifex poſſit licentiam indulgere,* vt definiuit Innocentivs III. *P. in c. 6. de ſtat. monac.*

TITVLVS XXXVI.

DE RELIGIOSIS DOMIBVS; VT EPISCOPO SINT SVBIECTAE.

§. DCXXX.

Connexio.

Monachi, et religioſi vitam communem agere debent. Neceſſaria ad hunc finem *domicilia, monaſteria, clauſtra, domos religioſas* vocamus. Igitur hac occaſione interpre-

tes

[redacted]

tes de *locis religioſis* in genere diſſerere ſolent. *can.* 8. *XVI. quaeſt. I.*

§. DCXXXI.

Definitur domus religioſa.

Domus, ſeu *loca religioſa* ea dicimus, *quae auctoritate publica ad promouendum cultum diuinum, indigentiamque proximi ſubleuandam ſunt erecta.* Sunt ergo vel *eccleſiaſtica*, vel *laicalia.* Vtraque ratione finis religioſa, quamuis illa tantum per excellentiam *religioſa* a canoniſtis adpellari animaduertendum ſit.

Addenda hic ſunt *loca pia*, quae auctoritate mere priuata in fundis priuatis conſtitui ſolent, et ideo rerum priuatarum iure cenſentur. Haec enim loca, etſi pio animo erecta, profana adhuc cenſentur, cum priuati deſtinatio ſacrum locum non faciat. Gonzalez *in cap.* 4. *de relig. dom.* Barbosa *iur. eccleſ. lib. II. cap. XI. num.* 12. *et in cap. cit. num.* 2.

§. DCXXXII.

Monaſteria erigi non debent ſine licentia epiſcopi, et auditis iis, quorum intereſt.

Variae harum domuum ſunt ſpecies. Occurrunt I.) *monaſteria.* Ne vlla absque conſcientia ciuitatis epiſcopi aedificentur, dudum cautum fuit. Dein Concil. Trid. diſciplinam hanc renouauit ſtatuens: *Ne de cetero vlla*

[redacted]

vlla monaſteria ſeu virorum, ſeu mulierum erigantur ſine epiſcopi, in cuius dioeceſi erigenda ſunt, licentia prius obtenta. Hanc ex decreto CLEMENTI VIII. *impertiri non poſſunt, niſi vocatis, et auditis aliorum in iisdem ciuitatibus et locis exiſtentium conuentuum prioribus, ſeu procuratoribus et aliis intereſſe habentibus, et cauſa, ſeruatis ſeruandis, cognita conſtiterit, in iisdem ciuitatibus et locis nouos huiuſmodi erigendos conuentus ſine aliorum detrimento commode ſuſtentari poſſe.*

CONCIL. CHALCED. *can.* 4. TRID. *Seſſ. XXV. cap.* 3. *de regular.* quo abrogatum eſt *cap. vn. de exceſſ. praelat. in VI. et clem.* 3. *de poenis clem. VIII. conſtit. quoniam ad inſtitutum.* Audiendi ſunt *omnes intereſſe habentes:* ergo audiendi ſunt eccleſiarum parochialium rectores, et magiſtri; audiendus princeps et magiſtratus loci. VAN ESPEN *iur. eccl. vn. P. I. tit. XXIV. cap. III.*

§. DCXXXIII.

Vt ſaltem duodecim religioſi in monaſterio inhabitare poſſint, cauetur.

Vlterius conſtitutum eſt; vt *domus regularium* quorumcunque non erigantur, niſi in iis ſaltem duodecim religioſi inhabitare valeant, conſentientibus loci incolis, et procuratoribus aliarum domuum religioſarum non ſolum in iisdem, ſed etiam in aliis per quatuor millia paſſuum circumuicinis locis, *et is numerus tantum conſtituatur, ac in poſterum conſeruetur, qui vel ex reditibus propriis monaſterii, vel ex con-*

[redacted]

conſuetis eleemoſynis commode poſſit ſuſtentari Trid. *ſeſſ. XXV. c.* 3. *de regul.*

Gregorivs XIV. *conſtit.* cvm alias. Vrban. VIII. *conſtit.* cvm saepe. §. 13. 14. Concil. Trid. *ſeſſ. XXV. cap.* 5. *de regul.* curam imponit epiſcopis, et aliis ſuperioribus, *vt ſanctimoniales ex monaſteriis extra moenia vrbis, vel oppidi conſtitutis, et malorum hominum praedae, aliisque facinoribus ſine vlla ſaepe cuſtodia expoſitis: ad monaſteria intra vrbes, vel oppida frequentia reducantur.* Cauendum etiam, *vt monaſteria puellarum longius a monaſteriis monachorum collocentur. can.* 23. *XVIII. q. II.*

§. DCXXXIV.

Libera monaſteriorum exſtructio per pacem Weſtphalicam haud reſtricta eſt.

I.) In *ciuitatibus imperii mixtis* poſſunt catholici noua monaſteria ſuis ſumptibus aedificare, quin auguſtanae confeſſioni addictis ius ſit, nouum opus illis nunciandi: Ita et II.) epiſcopi, in quorum territoriis plures ſunt ſubditi auguſtanae confeſſioni addicti, qui anno normali liberum religionis exercitium habuerunt, in illis ipſis locis extruere monaſteria pro arbitrio poſſunt. Nec aliter III.) dicendum eſſe videtur in cauſa, *ſi princeps imperii* auguſtanae confeſſionis vel religionem mutat, vel ſucceſſor catholicus in principatum proteſtantium ſacris addictum ſuccedat.

Ita ex mente paciſcentium et *artic. V. §.* 16. *et* 29. concludendum eſſe reor, non obſtantibus argumentis ex *artic. V. §§.* 25. 27. 29. 32. 33. *iur. publ.*

[redacted]

publ. vniu. deſumtis, *quibus* BOEHMER *in iur. eccl. pub. L. III. tit. XXXVI. §. 8. ſeqq.* contrariam ſententiam tueri conatur, cui ſolide reſpondit P. ODDO SCHVRZ *eod. tit. a. n. 14. ſeqq.*

§. DCXXXV.

Illa ſubiecta ſunt epiſcopo.

Iure communi quodlibet *monaſterium* etiamſi eccleſiis extraneis, vel exemptis ſit vnitum, ſubiectum eſt epiſcopo, in cuius dioeceſi ſitum eſt: ita, vt omnes *iurisdictionis* eccleſiaſticae, et *ordinis* actus in eo recte exerceat. Sunt quidem cuiuis *monaſterio* ſui *generales* et *prouinciales*, quibus incumbit ſua monaſteria viſitare et reformare: ſed id ſaluo iure dioeceſano ordinariorum intelligendum eſt.

Cap. 7. et 8. de relig. dom. cap. 7. de ſtat. mon. cap. 12. 19. de off. iud. ord. can. 10. XVI. q. I. can. 1. *et* 10. *XVIII. q. II.* Add. TRID. *ſeſſ. XXI. c.* 8. Per ſe patet de monaſteriis exemptis aliter dicendum eſſe, WIESTNER *ad tit. de relig. dom. num. 7. ſeq.*

§. DCXXXVI.

Epiſcopo regulariter non licet monaſteria conuertere in eccleſias ſeculares.

Quamuis deficientibus clericis eccleſia ſecularis in regularem, non tamen monaſteria in eccleſias ſeculares conuerti ab epiſcopo poſſunt, quamdiu per regulares ea reformari poſ-

ſe

[redacted]

ſe ſpes adfulget. Sed id epiſcopo licet, ordines religioſorum ab vno monaſterio in aliud transferre, expulſis veteribus colonis alterius ordinis ſocios ſubſtituere, modo in mendicantium mutatione ſpeciatim pontificis auctoritas adhibeatur c. 1. *de relig. dom. cap.* 5. *de eccleſ. aedif. cap.* 7. *ne cler. vel mon. cap. vn. de exceſſ. praelat. in VI.*

§. DCXXXVII.

Iura non hic ex pace Weſtphalica acceſſerunt.

I.) Monaſteria catholicorum in territoriis proteſtantium ſubſunt ſuperioritati territoriali ſuſpenſa iurisdictione eccleſiaſtica, ſaluo tamen eodem monaſteriorum ſtatu, qui anno normali obtinuit. II.) *Ea, quae in auguſtan. confeſſ. ſtatuum territoriis ſita ſunt, in alios religioſorum ordines, quam quorum regulis primitus dicata ſunt, commutari non poſſunt, niſi talium religioſorum ordo plane interierit, tunc enim magiſtratui catholicorum liberum eſt, ex alio in Germania ante diſſidia religionis exorta, vſitato ordine nouos religioſos ſubſtituere.*

Inst. Pac. Osnab. *art. V.* §. 26. *et* 48.

§. DCXXXVIII.

Hoſpitalia definiuntur.

Monaſteriis religioſorum accedunt III.) aliae domus, quae a fine, qui pius eſt, reli-

gioſis merito adcenſentur, et generatim *hoſpitales* dici ſolent, quo nomine comprehendi volumus *omnia loca vſui pauperum, infirmorum, orphanorum, aliarumque perſonarum miſerabilium deſtinata* pro varia eorum deſtinatione, variis etiam nominibus inſignita.

Loca haec *venerabilia* vocantur *in capitular.* I *I. c.* 29. *t. I. col.* 746. ap. BALVZ. et ibidem recenſentur, et explicantur vid. *ſup. tit. XIII. de reb. eccl. alien.* quae omnia in INST. PAC. OSNAB. *art. V.* §. 25. *Hoſpitalia, aliaque bona eccleſiaſtica* dicuntur.

§. DCXXXIX.

Quae epiſcoporum poteſtati ſubſunt.

Apoſtolis, quibus primitus cura pauperum, et diſpenſatio eleemoſynarum a populo fideli concredita, epiſcopi in hanc quo que curam ſucceſſerunt, et tanquam patres pauperum ſemper habiti ſunt. IVSTINIANVS, vt patrum traditionem conſeruaret, ſollicitus, eam auctoritatem variis conſtitutionibus confirmauit.

Can. 10. *XVIII. q. II. l.* 28. 42. §. 9. *l.* 46. §. 3. et 6.

§. DCXL.

Qui etiam ſuper ſubiectione eorum fundatam in iure intentionem habent.

Inde in decretalibus GREGORII IX. expreſſe ſtabilita eſt, communisque interpretum opinio

[redacted]

nio enata, pro epiſcopo fundatam de iure communi ſtare intentionem ſuper ſubiectione, adminiſtratione, et ordinatione hoſpitalium, et omnium piorum locorum ſuae dioeceſis.

Cap. 3. h. t. et FAGNAN. *ad h. c. n. 2.*

§. DCXLI.

Donec probetur exemptio.

Sicut autem tenebroſis illis ſeculis monaſteria ſe a iurisdictione epiſcoporum eximere coeperunt: ita quoque hoſpitalibus praefecti, et clerici, qui ea in titulum beneficii poſſidebant, exemptionis priuilegia impetrare ſtuduere. Inde deperdita res eſt, et in abuſus peſſimos traducta, in quibus abolendis, reſtituendaque epiſcoporum auctoritate generalia concilia laborarunt.

CONCIL. VIENNENS. *in clem. 2. de relig. dom.* TRID. *ſeſſ. VII. cap. 15. et. ſeſſ. XXII. cap. 8. 9. ſeſſ. XXV. cap. 8.*

§. DCXLII.

Haec tamen epiſcoporum auctoritas iura principum ſecularium non excludit.

Verum haec epiſcoporum auctoritas nunquam *regum et principum iura* in eiusmodi fundatione excludere, nunquam eas tanquam a poteſtate politica exemptas reddere potuit: cum

omnem ſuam hac in re poteſtatem epiſcopi a fideli populo acceperint, cuius voluntas imperanti non poteſt non ſemper eſſe ſubdita. Dein ſunt quaedam eiusmodi pia loca ſub immediata protectione principum conſtituta, qualia etiam impoſterum ea omnia erunt, quorum cura epiſcopo, et clero non fuerit expreſſe commiſſa, et permiſſa: licet contrarium ex TRID. CONCIL. colligi poſſe videatur.

Seſſ. XXII. cap. 8. 9.

§. DCXLIII.

Hoſpitalia absque auctoritate epiſcopi erecta non religioſa, ſed profana ſunt.

Hoſpitalia *absque auctoritate epiſcopi* erecta *profana* manere, neque *religioſa* et *eccleſiaſtica* effici cenſent Decretaliſtae. Igitur nec epiſcopali inſpectioni ſubiecta erunt; nec priuilegiis bonorum eccleſiaſticorum gaudebunt. Ex mente tamen concilii tridentini epiſcoporum auctoritas in exigendis ſaltem rationibus ab hoſpitalium quorumcunque adminiſtratoribus indiſtinctim valere deberet.

VAN ESPEN *l. c. cap. II.*

§. DCXLIV.

Adminiſtratores hoſpitalium conſtituendi ſunt.

Qui ſupremam hoſpitalium curam gerunt, *adminiſtratores* conſtituere debent iuxta fundato-

eorum praecipue voluntatem. Olim id munus presbyteris, et diaconis ab epiſcopo eſt commiſſum. Sed hi adminiſtratione abuſi non pauperes alere, ſed in vſus proprios bona adhibere coeperunt.

Concil. Arelatens. *can.* 13. an. 1260.

§. DCXLV.

Et quidem laici.

Vnde Concilivm Viennense voluit: *Ne qua hoſpitalia clericis ſecularibus titulo beneficii darentur, ſed vt eorum adminiſtratio viris laicis, prouidis, bonis, et idoneis, qui ſciant, velint, et valeant loca ipſa, bona ipſorum, ac iura vtiliter regere, et eorum prouentus, et reditus in perſonarum vſum miſerabilium diſpenſare, committeretur.* Quam conſtitutionem Synodvs Tridentina *innouandam duxit, et innouauit cum derogationibus in ea contentis.*

Clement. II. de relig. dom. ſeſſ. VII. cap. vlt. Multa hoſpitalia ex mente fundatorum, religioſorum gubernationi ſubſunt, de quibus vid. van Espen *l. c. cap. III.*

§. DCXLVI.

Quibus idem officium incumbit, quod tutoribus.

1.) De iure tenentur adminiſtratores ad inſtar *tutorum et curatorum iuramentum praeſtare: 2.) quotannis rationes reddere:* 3.) priusquam

quam ergo adminiſtrationi ſe immiſceant, de locorum *ipſorum bonis inuentaria conficiant.*

Cit. Clement. II. lib. 5. *§.* 5. *cod. de curat. furioſ.* iuncta *auth.* ibid. *nouell. CXXIII. cap.* 23. *l.* 82. *cod. de epiſc. et cler. nouell. CXXXI. cap.* 15.

§. DCXLVII.

Huic nec bona alienare nec in quoscunque vſus quis impendere valent.

4.) *Bona alienari non* poſſunt ab ipſis, niſi ex *iuſta cauſa, adhibitis ſolennitatibus*, aut in hoſpitalibus, vt aiunt, profanis absque conſenſu eorum, quibus cura ſuprema incumbit. 5.) Non ſufficit, ſi bona in quoscunque vſus pios impendant, ſed impendenda ſunt, quantum id quidem fieri poteſt, *ad determinatum vſum pium*, ad quem ipſe fundator determinauit.

TRID. *ſeſſ. XXV. cap.* 8. *de reform.* commutationes, fundationum piarum vt omnino validae ſint, auctoritate ſummi Imperantis fieri debere palam eſt. Vid. VAN ESPEN *l. c. cap. IV.*

§. DCXLVIII.

Ad hoſpitalia non omnes, qui petunt, recipiendi ſunt.

In recipiendis ad hoſpitalia non tantum *egeſtatis*, ſed et *vitae probitatis* ratio habenda eſt. Obſeruentur qualitates a fundatoribus prae-

praeſcriptae. Adminiſtratores non recipiant pro ſuo adfectu, vel commodo perſonas, quae non ex egeſtate, ſed vt otio liberius indulgere valeant, recipi petunt. Neque recipiantur mendici validi, ne eorum inertia reditibus hoſpitalium foueri videatur.

L. vn. cod. de mendic. valid. nouel. LXXX. cap. 5. Van Espen *l. c. cap. V.*

§. DCXLIX.

Accatholici tamen vi pacis Weſtphalicae ab iis arceri non debent.

Nulla autem differentia in Germania eſt ſtatuenda *inter catholicos, et auguſtanae confeſſioni addictos;* qui pari pietate cenſendi, nec ab *hoſpitalibus, leproſoriisque arcendi, in quibuscunque hoſpitalibus mediatis Catholici, et auguſt. conf. addicti promiſcue vixerunt, etiam poſthac promiſcue viuere debent, numero prorſus eodem, qui die I. Ian.* 1624. *ibidem repertus fuerit.*

Inst. Pac. Osn. *art. V. §. 26. et 35.*

§. DCL.

Quibus etiam iura ſua, quae antea exercuerunt, in eadem pace integra ſeruantur.

In eodem pacis Oſnabrugenſis inſtrumento praeterea cautum eſt, vt ſi auguſt. conf. addic-

ti in haec a catholicis dicto anno poſſeſſa hoſpitalia, iura *praeſentandi*, *viſitandi*, *inſpectionis*, *confirmandi*, *corrigendi*, protectionis cum ſimilibus exercuerunt, eadem quoque impoſterum exercere debent.

Art. V. §. 26. v. quodſi quoque.

TITVLVS XXXVII.

DE

CAPELLIS MONACHORVM, ET ALIORVM RELIGIOSORVM.

§. DCLI.

Capellarum, ſeu oratoriorum domeſticorum origo antiquiſſima.

Vſitatiſſimum fuiſſe chriſtianis iam ab apoſtolorum aeuo, ſaeuientibus perſecutionibus domi in loco, ad id ſpecialiter deſtinato, orationi vacare, ſacra religionis myſteria celebrare, et ſacroſanctam Euchariſtiam adſeruare: ac inde originem *oratoriorum domeſticorum*, quae ſuperiori aetate *Capella*, vel *Sacella* denominata ſunt, repetendam eſſe, inter antiquitatum eccleſiaſticarum gnaros ſatis conuenit.

THEO-

[redacted]

Thomaſſin. *de vet. et nou. eccl. diſcipl. T. I. P. I. L. II. c.* 92. *ſeqq.* Pignatelli *conſult. can. T. VI. conſult.* 98.

§. DCLII.

Vſus eorundem in ſeculo VI. frequentiſſimus.

Cum tamen adhuc, diuque, ceſſantibus perſecutionibus etiam poſt pacatam eccleſiam vſus celebrandae, adſeruandae, ſumendaeque domi Euchariſtiae perdurauerit, *oratoria* domeſtica longe lateque adeo inualuerunt, vt Ivstinianvs *ſeculo VI.* in his ſacra myſteria publice celebrari prohibuerit, eorundemque vſum ad deuotionem priuatam reſtrinxerit.

Can. 34. *diſt. I. de conſecr. nouell. LVIII. praeſtat.*

DCLIII.

Tam in eccleſia orientali.

Deinde Leo ſapiens imperator *Orientis nouellis IV. et XV.* cuicunque ſacerdoti liberum fecit in domeſticis oratoriis rem diuinam facere, adſerens: iam non optimates tantum, ſed et mediocris ſortis homines oratoria ſuis in aedibus habere. Inde apud Graecos oratoriorum numerus adeo adcreuit, vt cum exinde negligerentur eccleſiae parochiales, Alexivs Patriarcha conſtitutionem ediderit, ne magnates ad oratoria ſua, turbas hominum

admitterent, neue baptiſma, aliáue ſacra myſteria in iis, niſi diebus feſtis adminiſtrarentur.

Extat haec conſtitutio in *iure orientali*. Coniicit THOMASSIN. *l. c. c.* 96. hanc oratoriorum frequentiam apud Graecos inde prouenifſe, quod apud eos olim nonniſi vnum eſſet altare, et in vno altari nonniſi vna miſſa eodem die celebraretur, qua de re, cum ex tanta multitudine hominum plures ſacrificio adeſſe non poſſent, excitabant ſibi oratoria, vbi diuinis rebus vacarent.

§. DCLIV.

Quam in eccleſia occidentali.

Nec minus frequentem in *occidente* fuiſſe oratoriorum in aedibus magnatum extructorum vſum, quae eccleſiarum parochialium loco erant, documenta eccleſiaſtica omni fide digna nos dubitare non ſinunt.

CONCIL. AVREL. IV. *an.* 541. *celebrati can.* 16. *ap.* HARDVIN. *concil. tom. II. col.* 1439. GREGOR. M. *l. VI. epiſt.* 93.

§. DCLV.

Isque ſuccedentibus ſeculis retentus eſt.

Succedentibus ſeculis cum neglectis iam publicis eccleſiis domeſtica oratoria nimium frequentarentur, permiſit quidem CAROL. M. in ſuis capitularibus, *vt qui in domo ſua oratorium habuerit, ibidem orare poſſit; miſſas tamen*

[redacted]

men ſine permiſſu epiſcopi loci celebrare non audeat.

Can. 33. 34. 35. *diſt. I. de conſecrat. capitular. l. V. c.* 38. 3. *et l. VI. c.* 102. ap. Balvz. *t. I.*

§. DCLVI.

Praeſertim ſeculo IX. et X. in Germania et Gallia.

Eo denique *ſeculo IX. et X.* ventum eſt, vt in *Gallia*, et *Germania* nobiles fere omnes ruri degentes ſuum apud ſe presbyterum, capellanumue haberent, qui in oratoriis myſteria celebraret, et diuina officia adminiſtraret. Inde etiam mos praeſertim in Germania inualuit, vt nobiles quemquam e ſeruis ſuis libertate eum in finem donarent, vt obtento presbyteratu in oratorio domeſtico ſacra miniſtrare poſſet.

Cuius moris meminit *canon* Concil. Altheimensis relatus in *cap. nullus* 4. *de ſeru. non ordin.*

§. DCLVII.

Initia oratoriorum palatinorum a Conſtantino M. repetuntur.

Haec de oratoriis domeſticis priuatorum. Quaedam de oratoriis principum in eorum palatiis conſtructis addere lubet. Initium *oratorii Palatini* a Constant. M. principe religioſiſſimo repetimus, quem *in palatio quondam velu-*

[redacted]

veluti eccleſiam conſtituiſſe, et *oratorium exſtruxiſſe* EVSEBIVS et SOZOMENVS fidem faciunt.

EVSEBIVS *in vit. Conſtant. l. IV. c.* 17. SOZOMENVS *hiſt. eccleſ. l. I. c.* 8. Vbi non ſolum oratorii, ſed etiam altaris portatilis fecit mentionem, hiſce verbis: *In palatio extruxit oratorium* (Conſtantinus) *et tabernaculum eccleſiae figuram exprimens, quod, cum contra hoſtes praelio contenderet, ſecum circumferre conſueuit, ad eum finem, vt neque ſibi in ſolitudine vitam agenti, neque exercitui deeſſet aedes ſacra, in qua quidem deberent* DEVM *laudibus efferre, et ſacra myſteria peragere. Nam ſacerdotes et diaconi; qui ſecundum eccleſiae inſtitutum iſta munera obirent, tabernaculum adſiduo ſecuti ſunt.*

DCLVIII.

Quae ad inſtar eccleſiae erant compoſita.

Iam tunc itaque oratorium palatinum fuit ad inſtar eccleſiae compoſitum, vbi cuiuslibet ordinis clerici, et in celebrandis ſacris myſteriis, et in perſoluendis diuinis officiis ſolenni ritu deſeruirent. Cum igitur imperatores, et imperatrices ſibi excitarent oratoria, hinc plura fuere in aula conſtantinopolitana oratoria palatina, ſicut plura erant imperialia palatia.

Fuſe de his agit DU CANGE *in Conſtantinopoli Chriſtiana l. IV.*

§. DCXLIX.

[redacted]

§. DCLIX.

Capellarum nomen et origo exponitur.

Oratorium in Occidente omnium antiquiſſimum occurrit in aula regum Francorum primae ſtirpis, in qua *Cappam S. Martini Turonenſis* ſingulari cura adſeruatam, et inde ab iisdem regibus etiam in bellum euntibus in caſtra deportatam fuiſſe, ſcriptorum coaeuorum teſtimonio conſtat. A quo tempore oratoria palatina deinceps frequentius *Capella* denominari coeperunt, et ab hac *Capellanorum* nomen, et officium inualuit.

Walafridvs Strabo *de reb. eccl. c.* 31. teſtatur *Capellanos eſſe primitus* a Capa S. Martini *dictos, quam reges Francorum ad adiutorium victoriae in praeliis ſolebant ſecum habere.* Conſentit Dvrandvs *in ration. diuin. l. II. c.* 10. *antiquitus*, inquit, *reges Franciae ad bellum capam B. Martini epiſcopi Turonenſis ſecum portabant, quae ſub quodam tentorio ſeruabatur, quod ab ipſa* Capa *dictum fuit* Capella, *et clerici, in quorum cuſtodia ea capella fuit, inde* Capellani *dicebantur: vnde poſtea ad cunctos ſacerdotes nomen illud in quibusdam regionibus peruenit.* Add. du Cange *in gloſſar.* voc. *Cappa.* Reiicienda igitur interpretatio Gloſſographi, qui *in can. concedimus* 30. *diſt. III. de conſecrat.* dictam putat *Capellam, quod caprarum pellibus tabernacula tegerentur*: vt et eorum, qui eiusdem dictionis originem arceſſunt a verbo *capio.*

§. DCLX.

[redacted]

§. DCLX.

Proferuntur varii capellae ſignificatus.

Atque haec eſt huius vocabuli deriuatio, quo deinceps omnes ſacrae aediculae donatae ſunt. Quin et ipſa *ſacra ſupellex* ad rem diuinam faciendam pertinens: vt et *cancellaria* principis *capellae* dictae ſunt, eo quod in oratorio palatino archiuum, diplomata, et regni monumenta ſub cuſtodia ſummi *capellani* adſeruarentur, cui *cancellarii* et *notarii* ſuberant. Denique et illud notandum eſt, *capellam* regis ſenſu proprio, et ſtricto ſumptam, non eſſe ſacram aedem ipſam in loco aliquo conſtructam; ſed coetum clericorum, qui regi ſunt a ſacris domeſticis. Qua de re vbicunque rex fuerit ſiue in ciuitate, ſiue in caſtris, domi, foriſque habet capellam ſuam, quemadmodum vbi rex, ibi aula.

Scriptores noſtri iuris publici Germaniae a ſummo Capellano Archiui cuſtode *Archicancellariorum* noſtrorum in Germania initia deriuant. MASCOV. *princip. iur. publ. l. III. c. VII. §. 8. ſeqq.*

§. DCLXI.

Sub regibus Francorum multiplicatae ſunt capellae palatinae.

Regnante CAROLO M. ſacrarum rerum ſtudioſiſſimo haud facile dictu eſt, quantum *capella palatina* ſplendoris et dignitatis acceperit.

rit. Nec vna erat Francorum regibus *capella palatina*, immo cum plura eis eſſent palatia, plures quoque ipſos habuiſſe *capellas* mirum non eſt: omnium vero celeberrimam fuiſſe *capellam palatii Aquisgranenſis*, hiſtorici noſtri nos docent, quam a Carolo M. excitatam, Leo III. M. *imp*. conſecrauerat. Exemplum pietatis paternae imitatus *Ludouicus pius* in Theodonis-Villa *capellam palatinam* extrui curauit.

Teſtes ſunt Eginhardvs in vita Caroli M. Continvator Reginonis ad an. 839.

§. DCLXII.

Inſignia fuere jura ſummorum capellanorum.

De iuribus priuilegiisque *capellarum regiarum*, et *ſummorum capellanorum*, qui iis praeſunt, pauca quaedam adiicere lubet. Omnium primo conſtat Archicapellanos, qui etiam *apocriſani* et *reſponſales* ſcriptoribus francis dicuntur, primum in miniſterio palatino locum tenuiſſe, clerum palatinum rexiſſe, et in iudicandis cauſis eccleſiaſticis eandem exercuiſſe poteſtatem, qua comites palatii in decidendis cauſis ciuilibus vſos eſſe ſcimus.

Hincmarvs Rhem. Archiep. *in epiſtola pro inſtitutione Carolomani regis ap. Andr. du Cheſne* in ſcriptor. *hiſt. Francor.* T. II. f. 491. et 492. cap. XVI. ſcribit: *Apocriſarium, quem noſtrates capellanum, vel palatii cuſtodem adpellant, omnem Clerum palatii ſub diſpoſitione ſua rexiſſe*, et paulo poſt cap. XIX.

Duos

Duos praecipue ait, *e miniſtris palatii*, id eſt APOCRISARIVM, *qui vocatur apud nos*, CAPELLANVS *vel cuſtos palatii de omnibus negotiis vel miniſtris eccleſiae*; COMITEM PALATII *de omnibus ſecularibus cauſis, vel iudiciis ſuſcipiendi curam inſtanter habuiſſe.* Add. *c. XL. ibid.*

§. DCLXIII.

Aliorumque clericorum palatinorum.

Porro nemo ibit inficias, ſtatuiſſe reges capellis capellanisque ſuis eadem *priuilegia* tribuere, quae ſaepe conferebant, vel conferri curabant in monaſteria, aliasque eccleſias complures. Atque hae quidem exemptiones eo aequius indulgebantur, quod non tam perſonas aut loca, quam reges ipſos reſpicerent. Eccleſia enim omni tempore in gratiam ſummorum principum chriſtianorum eccleſiae nutritiorum, et defenſorum conſueuit de rigore canonum generalique diſciplina aliquid remittere, cuius rei quamplurima poſſent adduci exempla, ſi inſtituti ratio id expoſceret.

CONCIL. MOGVNT. *an.* 813. *habitum can.* 22. in tres claſſes diſtinxit clericos vniuerſos: alios ſub *epiſcopi cura*, alios *Abbatibus ſubiectos*, alios in *ſeruitio regis* conſtitutos, quo ipſo innuit clericos palatinos ſubductos epiſcoporum poteſtati.

§. DCLXIV.

§. DCLXIV.

Adprobantibus SS. pontificibus.

Quam vero acceptum eſſet ſummis pontificibus munus ſummi in palatio regio capellani, ex eo colligere licet, quod epiſcopos, qui huic officio a regibus admouebantur, ab obligatione in ſuis dioeceſibus reſidendi ſoluerent, et licentiam *propter vtilitates eccleſiaſticas adſidue in palatio verſandi indulgerent.*

CONCIL. FRANCOFORD. de an. 794. *can.* 55. ap. HARDVIN. *tom. IV. col.* 909.

§. DCLXV.

Et ipſis conciliis generalibus.

Nec illud ſilentio praetereundum eſt, quod patres tridentini nimiis exemptionibus locorum, et perſonarum arctiores limites ponendo capellis et capellanis regum priſtinam immunitatem conſeruarint. Cum enim concilium decreuiſſet eccleſias licet exemptas, ab epiſcopo viſitandas, tum etiam alia loca pia; ſubiecit hanc exceptionem: *non tamen, quae ſub regum immediata protectione ſunt ſine eorum licentia.*

Seſſ. XXII. c. 8.

[redacted]

§. DCLXVI.

Priuilegia exemptionum capellanis regum data confirmantur.

Eadem ſynodus quoad *capellanos regios* confirmauit decretalem INNOCENTII III. relatam *cap. cum capella, de priuilegiis. Quod ad capellanos regios* (ait concilium) *iuxta conſtitutionem* INNOCENTII III. *cum capella ſubiecti exiſtant epiſcopo tanquam ſedis apoſtolicae delegato.* Ea decretalis iubet ſeruanda exemptionum priuilegia capellanis principum data, qui tamen, ſi ab epiſcopo praefecti ſint eccleſiis parochialibus, quoad hanc curam animarum eidem ſubiiciuntur.

Seſſ. XXIV. c. 2.

§. DCLXVII.

Hodierna eccleſiae praxis traditur.

Nec ab hodierna eccleſiae praxi alienum eſt, vt *capellani maiores* regum, variis titulis condecorari, et a ſede apoſtolica charactere epiſcopali eum in finem inſigniri ſoleant, vt in capellis regiis functiones epiſcopales peragere valeant.

BENEDICTVS XIV. *ſynod. dioeceſ. L. XIII. c.* 8. §. 11. *et* 12.

§. DCLXVIII.

§. DCLXVIII.

Recenſentur aliae capellarum ſignificationes.

Vſu loquendi hodierno receptae ſunt et aliae *capellae* ſignificationes. Etenim *capellae* vocabulo veniunt etiam 1.) altare in aede ſacra extructum 2.) aliquando ſacellum ſine aedicula ſacra omnino a templo ſeiuncta, aut 3.) iſti adhaerens et contigua: immo 4.) in ipſo vel eius crypta aedificata, vnum vel plura altaria ambitu ſuo complexa, ac ſaepe cancellis circumſepta; non raro 5.) eccleſia per ſe exiſtens, etiam parochialis.

Wiestner *inſt. can. h. t. num.* 2.

§. DCLXIX.

In capellas monachorum inquiritur.

Inſcriptio tituli praeſentis nos monet, vt de *capellis monachorum, aliorumque religioſorum* quaedam ſubiungamus. Intelligi autem hoc loco nomine *capellae* non ſolum *oratoria* monachorum priuatae deuotioni deſtinata, ſed *prioratus*, *praepoſituras*, *parochias*, aliasque *eccleſias* et *beneficia curata* et *non curata*, quae a monaſteriis vel aliis locis, et religioſis tanquam acceſſorium a ſuo principali dependent, recte monent decretalium interpretes.

[redacted]

§. DCLXX.

Olim monachi nulla habebant ſeparata oratoria.

Olim quidem monachi, cum nil aliud fuerint, quam *laici* perfectionis chriſtianae conſequendae cauſa in vnum coetum congregati, in temporalibus principi politico, et in ſpiritualibus parocho ſuo ſubditi nulla habebant ſeparata oratoria.

§. DCLXXI.

Quae demum ſeculo VI. inualuere.

Cum autem ſucceſſu temporis hae communitates fuerint valde multiplicatae, *ideo vt non ſit neceſſitas monachis vagandi foras, quia omnino non expedit animabus eorum*, vt loquitur S. BENEDICTVS *in regul. cap. LXVI.* obtinuere *iam ſeculo VI.* priuilegia ab epiſcopis, vt poſſint habere loca ſacra ſeparata, vſui et deuotioni monachorum vnice deſtinata, quae dicebantur *oratoria* vel *capellae*, vt adeo hae capellae ſpectata origine fuerint oratoria mere priuata.

§. DCLXXII.

Eaque poſtea in ampliſſimas eccleſias mutata ſunt.

Sed ab iis temporibus; quibus monachatus caput ſuum altius tollere, omniaque cle-

rica-

ricatus ſibi munia vendicare coepit, capellae monachorum pedetentim in ampliſſimas, et non raro parochiales eccleſias mutatae ſunt. Immo et circumiacentes monaſteriis eccleſiae aliaque beneficia curata, et non curata eorum curae et pietati concredita ſunt. Igitur ſi monaſteriis, quae a religioſis incoluntur incorporatae et vnitae ſint tales eccleſiae, ſiue *parochiales*, ſiue *prioratus*, ſiue *praepoſiturae* ſint, in libris decretalium *capellae monachorum* nominantur.

Qua occaſione monaſteriis parochiae, aliaque beneficia curata, et non curata obuenerint, quam acerbae colliſiones inter epiſcopos et monaſteria hac de re fuerint exortae, et quomodo tandem in concilio claramontano eae fuerint compoſitae, prolixius narrat DE MARCA *in not. ad can. VII. concil. claramont.* et GONZALEZ, *in comment. ad c. I. h. t.* add. GRATIAN. *can.* 41. *q.* 3. *et can.* 116. *q. II.* Summa compoſitionis claramontanae eo redit, vt eccleſiae beneficia vel altaria, quae vocabula illis temporibus idem denotabant, a monaſteriis a 30. annis poſſeſſa, penes ipſa ita impoſterum permaneant, vt ſublatis quibuscunque penſionibus, altariumque redemtionibus, vt vocabantur, epiſcopo a monaſteriis non ſine horum graui onere praeſtari ſolitis, ſola vicariorum a monaſteriis conſtitutorum *inſtitutio* ad epiſcopum etiam impoſterum inconcuſſa pertineat.

§. DCLXXIII.

Capella ſeu eccleſia parochialis vnitur monaſterio vel quoad temporalia tantum.

De quibus licet cautum ſit, ne populus per monachos regatur; adtendendum tamen

 eſſe

[redacted]

eſſe puto ad modum, quo eccleſia quaedam parochialis monaſterio coniuncta eſt. Si nempe I.) capella vel eccleſia parochialis monaſterio vnita ſit *quoad temporalia tantum*, praeficiendus ei eſt ſacerdos ſecularis ad monaſterii praeſentationem ab epiſcopo inſtituendus.

Sed et aliquando ſine praeſentatione monaſterii, dum hoc potius dismembrationis, quam incorporationis iure ſolos reditus temporales percipit. ESPEN *diſſert. de priſtinis altarium et eccleſ. incorporat.* c. 2. *tom. II.*

§. DCLXXIV.

Vel pleno iure.

Quod ſi II.) *iure pleno* parochia monaſterio vnita ſit, praeter ius percipiendi reditus etiam ſpiritualium adminiſtratio, et cura animarum in monaſterium translata eſt, quae *incorporatio menſa praelati* dici ſolet, et abbas principalis rector eccleſiae cenſetur, cui ius conſtituendi *vicarium*, ſiue *ſecularem*, ſiue *regularem* competit, niſi literae vnionis aliud exprimant. Licet autem hoc in caſu eccleſia abbati ſubdatur cum iure percipiendi temporalia, et exponendi vicarium, populus tamen non deſinit ſubeſſe epiſcopo, et ideo ab eo vicarius quoad ea, quae ad curam animarum pertinent, eſt adprobandus, eiusque iurisdictioni, viſitationi et correctioni ſubiacet.

Can. 6. XVI. q. 2. CLEM. *vn. de exceſſ. praelat.* CONCIL. TRID. *ſeſſ. VII. c. 7. et ſeſſ. XXV. c. 12. de regul.* ESPEN

[redacted]

ESPEN. *in cit. diſſ. c. 3. §. 8. et in comment. ad. cit. cauſ. XVI. q. 2.* Huc quoque pertinet conſtitutio ab auguſtiſſima noſtra pro Marggrauiatu Morauiae 28. Febr. 1756. lata et promulgata, et ad regnum Bohemiae 14ta decemb. 1764. extenſa, vtraque extat in CORP. NOST. IVR. ECCLES. BOH. a pag. 128. ſeqq. ſub rubr. **Ob und wann** *beneficia eccleſiaſtica* **denen weltlichen oder Ordensgeiſtlichen verliehen werden ſollten.**

§. DCLXXV.

Vel pleniſſimo iure.

Si III.) *iure pleniſſimo* illa vnio facta ſit, tunc diuina peragi debent in eccleſia ſic vnita per clericum ſecularem, vel regularem iuxta tenorem fundationis, vel receptam conſuetudinem. Et quia monaſterii praelatus in tali eccleſia exercet iurisdictionem quaſi epiſcopalem, quoad clerici inſtitutionem, deſtitutionemque, adprobationem, viſitationem quidquam iuris epiſcopus dioeceſanus in ea non habet.

BENEDICTVS XIV. BVLLA FIRMANDIS §. XII. in prouinciis haereditariis auſtriacis nutu regio adprobata et recepta. Vid. cit. CORP. IVR. ECCLES. BOH. *p.* 40. *ſeqq.*

§. DCLXXVI.

Monaſteria eccleſiae parochiali haud ſubiecta ſunt.

Extra hos caſus actus parochiales in eccleſiis conuentualibus exercere monachi nequeunt,

nec retrahere laicos ab eccleſiarum ſuarum frequentia. Confeſſiones tamen quorumcunque ex priuilegio ordinis quidam, praeuia epiſcopali conceſſione audire non prohibentur. Inde quoque monaſterium nullum *titulo*, hoc eſt, eccleſiae parochiali eſt ſubiectum, licet intra limites parochiae alicuius ſitum fuerit, vt parochus actus nullos parochiales in illud exercere valeat.

CLEM. I. *de priuil. cap.* 2. *de capell. monach.*

§. DCLXXVII.

In grangiis iura noſcuntur ex priuilegio.

Quaeri poteſt, an in *grangiis* regularium oratoria habere et in iis miſſam celebrare liceat? Pro *Grangia* intelligi ſolet locus, in quo paruus conuentus a monaſterio aliquo dependens degit, vel etiam domus aliqua voluptuaria ruri extructa, ad quam regulares animi cauſa nonnunquam excurrunt. In his iure communi ante concilium tridentinum regulares cum venia epiſcopi miſſas dixiſſe patet ex *c. vlt. de cenſibus.* An eodem iure hodiedum adhuc vtantur, ex tenore priuilegii adparere debet.

Vid. FAGNAN in opuſcul. de grangiis n. 2. ſeqq. VINCENT. PETRA *in comment. ad conſt. apoſtol. T. II. p.* 473. *num.* 5.

TI-

[redacted]

TITVLVS XXXVIII.

DE IVRE PATRONATVS.

§. DCLXXVIII.

Connexio.

Neglecta methodo compilatores tractationem huius tituli hucusque diſtulerunt. Pertinet enim ad eam, quae ſupra incepta eſt, de beneficiis doctrinam. Collator ſaepe in conferendo beneficio adſtringitur ad nominationem et praeſentationem alterius. Is, cui ius nominandi ſeu praeſentandi competit, *patronus eccleſiae* dicitur; inde *ius patronatus* deſcendit.

§. DCLXXIX.

Nominis patroni, et iuris patronatus origo.

Vtrumque antiquiſſimum eſt, ſed non in eo ſenſu, quo ad materiam noſtram pertinet. Ius patronatus Romulum inuexiſſe in vrbem DYONIS. HALICAR. *antiq. rom. L. II.* teſtatur: exactis regibus *in XII. tab.* migrauit. SERV. *ad Virgil. Aeneid. VI. v.* 609. Dein patronum iura romana illum dicunt, qui ſeruum ſuum manumiſit, prout etiam ſumitur *in can.* 61. *XII. q. II.* aliter in *l.* 14. §. 1. *D.*

 de

[redacted]

de iudic. cauſarum aduocatum denotat. Illud hic notes velim, iure noſtro auſtriaco inter ius *nominandi* et *praeſentandi* inſignem intercedere differentiam, quam clariſſimis verbis ſuppeditat *conſtitutio noſtra* de iure patronatus oder geiſtlichen Lehenſchaften, inſerta noſtro CORP. IVR ECCL. AVSTR. §. 9. *ſeq.*

§. DCLXXX.

Definitio iuris patronatus.

Eſt igitur *ius patronatus ius ſingulare praeſentandi clericum ad beneficium vacans, competens perſonis tam eccleſiaſticis, quam laicis, qui ſacra et venerabilia loca aedificarunt, vel reſtaurarunt, vel dotarunt, comprehendens alias ſimul in compenſationem huius pietatis praerogatiuas.*

Variantes et dubias huius iuris definitiones vid. ap. BOEHM. *h. t.* §. 4. Plurimi nempe hoc ius ita definiunt, vt eſſentiam eius vnice fere *in praeſentatione* conſtituant. Alii dein ad *nudam praeſentationem* illud haud adſtringunt. Inde etiam FRANCISC. FLORENS. *tract. de antiq. iur patron.* illud definit, quod *ſit ius ſingulare moribus receptum, ei benigne conceſſum, qui aedificauit, dotauit, vel reſtaurauit ſacra et venerabilia loca.*

§. DCLXXXI.

Patronorum nomen olim fuit incognitum.

Nomen ipſum *iuris patronatus* eo ſenſu, quo hic et paſſim a canoniſtis et theologis accipitur,

pitur, apud antiquos canonum et legum auctores haud reperitur; licet res ipſa non omnino incognita fuerit. *Fundatoris* enim et *fundationis* nomine veteres quidem vtebantur, ſed ea fere iis tribuebant iura, quae ipſis hodie *patronis* tribuuntur: et fundatio exſtructioque eccleſiarum hodie adhuc pro fundamento huius iuris collocatur. Ergo ante omnia videndum, quale ius fundatoribus olim in eccleſias fundatas tributum fuerit.

Occurrit quidem mentio *patroni* in *cap.* 1. *et* 2. *h: t.* Sed in collectione prima et in integris canonibus, qui extant in *concilio cabilonens. II.* ſub Carolo M. et *triburienſi* ſub Arnulpho deeſt. Igitur vocabulum *patroni* a Raymundo in loc. cit. adiectum eſſe dicendum eſt. Florens. *tract. cit.*

§. DCLXXXII.

Fundatoribus tamen eccleſiarum iura quaedam honorifica conceſſa ſunt.

Iſtud primis ſeculis obtinuit, vt eccleſiarum fundatoribus iura quaedam honorifica ex *gratitudine* concederentur. Sic nomina et elogia fundatorum templis inſcribi, ipſasque eccleſias eorum nominibus inſigniri voluerunt ſancti patres. *can. 6. X. q. I. cap. 24. de iur. patron. Seculo dein V.* iuris quoque praeſentandi aliqua deprehenduntur veſtigia, dum *epiſcopo* in aliena dioeceſi eccleſiam aedificanti conceditur, *vt quos deſiderat clericos in re ſua videre, teneatur epiſcopus ordinare, aut ſi ordinati iam ſint, adquieſcere.*

Con-

[redacted]

CONCIL. ARAVSIC. I. an. 441. Can. 10. ap. HARDVIN. *tom. I. col.* 1785.

§. DCLXXXIII.

Seculo V. et VI. epiſcopo aedificatori ius praeſentandi indultum.

Verum id *ſolum aedificatori epiſcopo reſeruandum* eſſe patres crediderunt. CONCIL. ARELATENS. II. *de an.* 451. *can.* 39. *ap.* HARDVIN. *tom II. col.* 776. Tandem ſeculo VI. poſtquam anno 506. in SYNOD. AGATH. *can.* 14. *ap.* GRATIAN. *can.* 35. *diſt. I. de conſecr.* conceſſum fuerat, extra parochias *oratoria aedificare*, ſtatuit paulo poſt CONCILIVM AVRELIAN. IV. an. 524. *can.* 6. *Vt in his oratoriis domini praediorum, minime contra votum epiſcopi peregrinos clericos intromittant, niſi forſitan, quos probatos ibidem diſtrictio pontificis obſeruare praeceperit.* Quod decretum IVSTINIANVS IMP. in *Nou.* 123. *cap.* 18. confirmauit, et quod de *contrariis priuatorum* cautum fuerat, ad *eccleſias publicas* extendit. *Nou.* 57. *cap.* 2. *add. can.* 31. *XVI. q. XCI. can.* 4. *XVIII. q. II.*

§. DCLXXXIV.

Idque ſec. VII. etiam ad alios fundatores extenſum eſt.

Altiores *ſeculo VII.* radices egit *ius patronatus.* Nam Hiſpania, quae in CONCILIO TO-

LE-

LETANO IV. *an.* 633. nihil aliud patronis conceſſerat, quam vt aduerterent in conſeruationem locorum, a ſe vel parentibus in eccleſiam collatorum, et vt fundatores, ſi ad egeſtatem redigerentur, alimenta ab eccleſia fundata perciperent, tandem in CONCILIO TOLETANO IX. *an.* 655. celebrato conſtituit, vt fundatores rectores idoneos in fundatis a ſe baſilicis *ipſi offerant ſeruituros.*

CONCIL. TOLET. IV. *can.* 32. *ap.* GRAT. *can.* 60. *XVI. q. I.* CONCIL. TOLET. IX. *can.* 1. *ap.* GRAT. *can.* 31. *XVI. q. VII.* CONCIL. TOLETAN. *IV. can.* 37. *ap.* GRAT. *can.* 30. *XVI. q. VII.* Huc ſine dubio reſpexit quoque pontifex *in cap.* 25 *in fin. h. t.* CONCIL. TOLETAN. IX. *can.* 2. *ap.* GRAT. *can.* 32. *XVI. q. VII.*

§. DCLXXXV.

Quibus etiam alia iura honorifica exhiberi ſolent.

Inſuper ſtatuit CONCILIVM EMERIT. in Hiſpania an. 666. celebratum, vt presbyteri in ſacrificio Miſſae recitent nomina eorum, qui eccleſias, in quibus Miſſa legitur, aut exſtruxerunt aut dotarunt. Denique et illud iuribus honorificis antiquioribus adnumerari debet, quod presbyteri thuris ſuffitum, in ſignum eminentiae, patronis exhibere conſueuerint.

CONCIL. EMERIT. *can.* 19. *ap.* HARDVIN. *tom. III. col.* 1005.

§. DCLXXXVI.

[redacted]

§. DCLXXXVI.

Vſus iuris patronatus ſec. VIII. in Germania iam cognitus fuit.

Seculo autem VIII. nihil prorſus circa iura patronis competentia aut ademtum aut additum inuenio, niſi quod hoc ſeculo S. BONIFACIVS miſſus a GREGORIO II. P. in Germaniam epiſcopus, deinde archiepiſcopus moguntinus in ſuis conſtitutionibus pro Germania vetet, *presbyteros ſine conſenſu epiſcopi beneficiis praeponere.* Ex quo patet, hoc ſeculo etiam in Germania noſtra *ius patronatus* iam viguiſſe.

CONCIL. NICAEN. II. oecumen. VIII. omne *ius patronatus* ſeculare prohibere videtur in *can.* 3. Sed *electio* ibi pro *ordinatione* ſumitur, vti notat BALSAMON. *ad can. cit.* In conſtitutionibus in Germania circa an. 745. emiſſis *conſtit. VI. et VII. ap.* DACHER. *in ſpicileg. tom. IX.* adpend. et in collect. COLETI. *tom. VIII. col.* 310. legimus: *vt laici presbyteros non eiiciant de eccleſiis, nec mittere praeſumant ſine conſenſu ſuorum epiſcoporum: vt laici omnino non audeant munera exigere a presbyteris propter commendationem eccleſiae.*

§. DCLXXXVII.

IX. Seculo nomen quoque patronorum inualuit, auctoritas tamen eorum ob multos abuſus admodum infracta eſt.

Seculo deinde *ſequenti* primus in antiquis documentis vſus nominis *patroni,* quo fundatores

tores inſigniri ſolebant, occurrit, licet rarius. Praeterea *patronorum* auctoritas hoc tempore adeo exorbitanter creuerat, ad imitationem certe illorum, quibus reges eccleſias in feudum conceſſerant, vt in praeficiendis clericis epiſcoporum conſenſum et ordinationem non amplius ſpectarent; ſed indignos ſaepe ſimoniaca quadam nundinatione praeponerent; contra quae facta iniqua plurium ſynodorum et pontificum decreta hoc ſeculo inſurrexerunt, queis legitima ſimul *patronorum auctoritas* admodum infracta, eorumque iura diuerſimode reſtricta ſunt.

Licet rarius fuerit hoc adhuc ſeculo *patroni* nomen, aliquis tamen vſus eius deprehenditur, qui deinde obliterato ſenſim nomine *fundatoris*, in conſtantem quaſi legem abiit. Inſignis locus eſt apud Hincmar. ſeculi huius ſcriptorem *in cap.* Synod. Rhemens. an. 874. *in eius oper. tom. I. pag.* 737. Contra patronorum iniurias graues motas fuiſſe querelas *ex can.* 57. 38 *XVI. q. VII. et cap.* 3. *de inſtit.* manifeſtum eſt: vbi abuſus coercentur, et praecipitur, ne abſque conſenſu epiſcopi cuilibet presbytero eccleſia detur. Interim tamen, ſi laici clericos probabilis vitae et doctrinae epiſcopis ordinandos, et ſuis in eccleſiis conſtituendos obtulerint, vt eos epiſcopi nulla qualibet occaſione reiiciant, praecipit Synod. Wormat. an. 868. *cap.* 49.

§. DCLXXXVIII.

Etymologia vocis patroni inueſtigatur.

Vnde iam nomen *patroni*, eccleſiarum fundatoribus adtributum, deſcendat, in dubium

bium vocatur. Quidam; fundatores eccleſiarum exinde *patronos* adpellatos fuiſſe exiſtimant, quod eccleſiarum veluti domini fuerint, ea fere ratione, qua dominus feudi *patronus* olim dictus fuit. Nam haec adpellatio eo potiſſimum tempore audita fuit, quo patroni ampliſſimam ſibi in eccleſias poteſtatem, et quaſi proprietatem, vindicarunt. Alii vero illud a *patrocinio* deriuant, quaſi fundatores patrocinium eccleſiis praeſtare teneantur.

ROSENTHAL. de feud. *cap. I. concluſ. VI, num.* 8. BOEHMER. diſſert. laud. §. 18. FRANCISC. DRAKEN *lib. V. de eccleſ. miniſt.* INNOCENT CIRON. *paratitl. ad h. t.* §. 14.

§. DCLXXXIX.

Differunt a patronis eccleſiarum aduocati.

Quidquid ſit, id certe negari non poteſt, primis et mediis ſeculis datos fuiſſe eccleſiis ſpeciales defenſores, qui et dein *aduocati* dicti ſunt, a fundatoribus et hodiernis patronis plane diuerſos, eum in finem, vt in cauſis ciuilibus defenſionem et patrocinium eccleſiarum ſuſciperent, quod epiſcopis et clericis in foro litigare minus conueniens videbatur, *qui ad ſolam laudem* DEI *et bonorum operum actionem conſtituuntur.* Primo quidem ex corpore cauſidicorum lecti ſunt: mox, cum potentia magis quam facundia aduerſus potentum oppreſſionem eccleſiae indigerent, e proceribus et optimatibus electi, nonnumquam ab ipſis fundatoribus deſignati ſunt, *ne ali-*

quando

quando ſecularis potentiae homines aliqua perſuaſione vel iniuſta dominatione quietem fratrum perturbent.

Atque hi ſunt, qui a recentioribus ſcriptoribus vocantur *eccleſiarum aduocati*, *vice-domini*, *cuſtodes*, *et guardias habentes* in cap. 23. h. t. Gonzalez in comment ad h. t. omnino conferri meretur. Vid. Capitvl. Reg. Franc. *l. VII. cap.* 392. *l.* 46. *eod. theod. de decur. l.* 38. *eod. de epiſc. et cler.* Mirae *in cod. piar. donat. cap.* 32. dv Cange *in gloſſar.* voc. *aduocati p.* 20.

§. DCXC.

Quorum varia diuerſis temporibus ratio et conditio fuit.

Eorum autem varia diuerſis temporibus ratio et conditio. Aliqui, lingua et manu etiam armata, patrimonium eccleſiae defendebant, eius cauſas perorabant, inique eccleſiis ſubtracta repetebant etc. nonnunquam bonorum adminiſtrationem, vel etiam iudiciariam poteſtatem in eccleſiae ſubditos nacti fuerant.

Inde dicebantur die Kaſtenvögte. Diſtingui quoque debet *protectio*, quae nudam defenſionem dicit, *ab aduocatia*, quae iurisdictionem infert: germanice Vogtey. Vid. Corp. Ivr. Eccl. Avstr. *de aduocat. eccleſ.* oder geiſtlichen Vogteyen *pag.* 20. *ſeqq.* Quam legislator noſter ſolicite diſtinguit a *iure patronatus* oder geiſtlichen Lehenſchaft ibid. *pag.* 289. et inde etiam adparet, quaenam ſint iura *patroni* des Lehenherrn, et quaenam *aduocati* des Vogtherrn.

[redacted]

§. DCXCI.

Hisque iura certa conſtituta ſunt.

Ac, ne gratis operam ſuam praeſtarent, certa ipſis iura conſtituta ſunt, ſed hiſce non contenti bona eccleſiarum inuadere, et variis praetextibus iura ſua augere coeperunt. Ideo frequentes occurrunt propter hos exceſſus querelae. Cumque teſte experientia, neque canones, neque principum edicta, neque fundatorum leges ſufficerent quorumdam iniurias coercere, tandem eccleſiae pleraeque variis modis et priuilegiis ab aduocatiae iugo liberare ſe ſtuduerunt.

Cap. 23. h. t. MARTIN. MAGER. *de aduocat. armat.*

DCXCII.

Ius patronatus I.) eſt eccleſiaſticum et laicum.

Multis ſeculis vnius duntaxat generis *ius patronatus* fuit, neque differentia vlla inter *eccleſiaſticum* et *laicum* in antiquis canonibus vel IVSTINIANI nouellis nota. Sed ſenſim non tam canone, quam conſuetudine inualuit, vt diſtinguatur *patronus*, nec non ius ei competens in *eccleſiaſticum* et *laicum*, quorum *illud* dicitur, quod vel ratione eccleſiae, vel dignitatis, ſeu beneficii competit, quamuis forſan illud a laico primitus originem habeat, qui deinde id vel vltima voluntate, vel etiam titulo in-

[redacted]

inter viuos eccleſiae conceſſit: *hoc* vero adpellatur, quod non tantum laico, ſed etiam clerico ratione proprii patrimonii competit, licet primitus ex bonis eccleſiaſticis fundatum ſit. In dubio autem potius cenſetur eſſe laicum, quam eccleſiaſticum.

Cap. vn. h. t. in VI. Vnde ius patronatus non ſemper eccleſiaſticum eſt, quod perſonae eccleſiaſticae competit, nec quod ex prouentibus eccleſiaſticis adquiritur: niſi clericus, eccleſiam ex eiusmodi prouentibus exſtruens, expreſſis verbis teſtetur, ſe eccleſiam illam fundare ex bonis alterius eccleſiae, quam tenet, eique *ius patronatus* addicat. Van Espen *l. c. cap. II.* §. 1. *ſeqq.* Franc. de Roye *in prolog. ad tit. de iur. patron. cap.* 6. Vtrum ius patronatus, *academiae competens*, laicale ſit, an eccleſiaſticum? Vid. Renat. Choppin *de dom. reg. gall. lib. III. tit.* 27. §. 12. Gonzalez *ad h. t.* Van Espen *l. c.* §. 28. *ſeq.*

DCXCIII.

Mixtum ius patronatus definitur.

Quodſi vero contingat, vt vnius eiusdem beneficii duo ſint patroni, alter eccleſiaſticus, alter laicus, qui ſimul iure repraeſentandi gaudent, *mixtum ius patronatus* dicitur. Et hoc caſu propter communionem non priuilegiatus ſortitur naturam priuilegiati, ſociusque per ſocium conſequitur, quod per ſe non poteſt. Hinc in mixtis praeualet qualitas magis fauens, et per quam ius alterius non laeditur ex communione, etiamſi qualitates contrariae ſint numero plures.

Cap. vn. h. t. in VI. arg. l. 10. D. *quemad. ſeruit. amitt.* FAGNAN. *ad cap.* 27. *h. t. num.* 59. Idem dicendum, ſi plures ſint patroni vel eccleſiaſtici vel laici. Nec minus *mixtum* hoc in caſu ius patronatus manet, licet alternis vicibus ſiue per turnum, ſecundum *Clem. II. h. t.* praeſentatio fieri debeat, modo vtriusque patroni nomine praeſentatio fiat. Quod ſecus ſe habet, ſi ſingulus turnarius in ſuo turno ſeorſim, nulla compatroni facta mentione, praeſentat; tunc enim ius patronatus in turno patroni laici *mere laicale*, in eccleſ. turno *mere eccleſiaſticum* habendum erit. VAN ESPEN. *l. c.* §. 19. *ſeq.* non tamen ita, vt, ſi pro huius turno beneficium vacaret in menſe apoſtolico, illud ſub reſeruationem papae cadat, et tamen patronus eccleſ. turnum ſuum conſumat. COVARRVV. *pract. quaeſt.* 36. *n.* 5. eo quod quoad praeiudicium, quod eccleſ. iuri patronatus inferri poteſt, illud laicale omnino cenſendum ſit.

§. DCXCIV.

II.) Reale et perſonale.

Altera partitione patronatus ius aliud *reale*, aliud *perſonale* dicitur. *Illud* bonis ſeu praediis inhaeret, et cum illis ad quemlibet poſſeſſorem tranſit. *Hoc* citra vllum ad praedia reſpectum haeredes ſequitur, eosque vel omnes, tam extraneos, quam legitimos, quod *haereditarium in ſpecie*; vel duntaxat legitimos, quod ius patronatus *gentilitium* dicitur, et certis perſonis e familia reſeruatum eſt. Licet autem poſterius priori multo ſit antiquius, tamen prius, ſcilicet *reale*, hodie multo frequentius eſt: quum *perſonalis* ſiue haereditarii rariora

riora occurrant exempla; adeo vt in dubio magis *reale* quam perſonale cenſeatur.

Cap. 1. 2. 3. 7. 13. *h. t. can.* 31. *XVI. q. VII.* Van Espen *l. c.* §. 11. *ſeq.* Boehmer *ad h. t.* §. 106. *ſeq.*

DCXCV.

Ius patronatus ex ſua natura mere temporale.

Quaeritur, an ius patronatus *ſpirituale* ſit, an *temporale*? Si dicendum, quod res eſt, illud iuribus temporalibus recte adnumerabis. Etenim tam fundatio, exſtructio, dotatio, per quos actus adquiritur, quam praecedentia in proceſſionibus, penſionem in fundatione reſeruatam, et alimenta in neceſſitate percipiendi, atque clericum idoneum epiſcopo offerendi *iura*, ſicut et *obligatio* defendendi eccleſiam, et ad eius reparationem concurrendi, in quibus *totum ius patronatus* conſiſtit, nihil profecto iuris ſpiritualis inuoluunt. Nam illud *ſolum* ius ſpirituale dici meretur, quod clericis competit vi ſui officii, ſeu cuius ratio ſufficiens in ſolo ſtatu clericali continetur. Atqui nihil eorum, quae recenſita ſunt, neceſſariam cum notione clerici connexionem habet.

Lamentatur Anton. Dadin. Altesserra *lib. VI. de iuriſdict. eccleſ. p.* 229. Quod Galli nihil ſpirituale hactenus in hoc iure inuenerint. Forte etiam fuiſſet lamentatus, ſi legiſſet conſtitutionem *de iure patronatus* oder geiſtlichen Lehenſchaften in auſtria noſtra vigentem.

§. DCXCVI.

Iure vero decretalium iuri ſpirituali adnexum eſt.

Sed ex quo id actum eſt, vt laicorum (quales fere omnes fuerant) patronorum auctoritas reſtringatur, abuſus coerceantur, et ab omni eo, quod vel remote clericum ſpectaret, homines profani arceantur, coeperunt nouam plane iuri patronatus formam dare. Statuebant ergo illud eſſe *rem ſpiritualem*, vel *ſpirituali adnexam*, adeoque iure ſtricto, ne quidem de bonis laicorum eſſe; perſonamque laici tantum ex priuilegio pontificis, ad id eſſe habilem redditam ſolam eccleſiam de controuerſiis, circa ius patronatus occurrentibus iudicare poſſe.

Cap. 19. *h. t. in I. decretal.* ap. ANT. AVGVST *reſcrip. Innocent. IV.* ap. MATH. PARIS. *in hiſt. Angl. in additam. p.* 104. *cap.* 16. *h. t. cap.* 3. *de iudic.* Ius hoc *mere ſpirituale* eſſe adſerit SVAREZ *tom. I. de relig. lib. IV. de Simon. cap.* 28. *num.* 7.

DCXCVII.

Omnes, et ſoli chriſtiani iuris patronatus capaces cenſentur.

Iuris patronatus capaces ſunt *omnes et ſoli chriſtiani fideles*; non ſolum laici, ſed perſonae eccleſiaſticae quoque; neque mares tantum ſed et foeminae. Neque intereſt, an legiti-

gitime nati ſint, an non? quia hactenus nemo a iure exceptus reperitur, ſcilicet, vt eo maior ſit eorum numerus, qui ad fundandas eccleſias allicerentur.

Can. 26. 27. 29. 30. *XVI. q. VII. cap.* 19. *de haeret. in VI. cap.* 3. 7. *h. t.* arg. *cap. fin. de conceſſ. praeb. can.* 13. *XVI. q. VII.* In Germania cum non habeamus haereticos in ſenſu politico, hoc ius exercent proteſtantes aeque ac catholici Inst. Pac. Osnab art. V. §. 31. P. Wiestner *art.* 3. *num.* 44. *h. t.*

§. DCXCVIII.

Adquiritur ius patronatus a.) modo originario, et quidem 1.) ordinarie fundatione, dotatione, exſtructione.

Ius patronatus conſideratur vel primo, *quatenus adquirendum*, vel ſecundo; *quatenus iam adquiſitum, in alios transferendum.* Quod ad *prius* adtinet, hoc ius *ex fundatione, exſtructione, vel dotatione* alicuius eccleſiae adquiritur; nec deſideratur, vt illud expreſſis verbis in ipſa fundatione vel dotatione excipiatur, vel reſeruetur; eſt enim lex, ſiue conditio, quae tacite huic dotationi ineſt, modo epiſcopi dioeceſani conſenſu, eccleſia aedificata fuerit, et cathedralis, vel collegiata non ſit; hoc enim in caſu reſeruatio expreſſa neceſſaria eſt.

Gloss. *ad can.* 6. *diſt. I. de conſec. patronum faciunt : dos, aedificatio, fundus cap.* 25. *h. t. cap.* 41. *de teſt. cap.* 3. *de eccleſ. aedif. vel repar.* Francisc. de

Royr *l. c. cap. XV.* Florens. *l. c. p.* 304. Barbosa *I. E. lib. II. cap. XII. num.* 46. Concordat *ius auſtriacum §.* 17. *in cit. conſtit. p.* 249.

§. DCXCIX.

Fundatio, dotatio, exſtructio definiuntur.

Fundaſſe autem eccleſiam dicebatur, qui ſolum vel fundum, in quo aedes ſacrae erigi et aedificari poſſent, conceſſit. *Exſtruxiſſe* autem, qui eccleſiam ſuis ſumptibus aedificauit. Et denique *dotaſſe*, qui ſufficientes annuos reditus adſignauit.

Can. 32. 33. *XVI. q. VII. can.* 4. *XVIII. cap.* 25. *h. t.* Modica et qualiscunque dos non ſufficit. Synodvs Trid. *ſeſſ. XXV. cap.* 9. *de reform.* Adeoque qui eccleſiae non ſatis dotatae augmentum dotis conferunt, aut ſucceſſu temporis ad inopiam redactae ſuccurrunt, non ſtatim patroni, verum *benefactores* dici poſſunt.

§. DCC.

Plures ſimul ad haec tria concurrere poſſunt.

Quemadmodum vero ad adquirendum ius patronatus haec tria ſimul requiruntur, nec ſola *fundi donatio*, ſeu conceſſio ſufficit (qui enim fundum duntaxat dono dat, magis benefactor, quam patronus dicendus eſt) niſi quoque et *exſtructio et ſufficiens dotatio accedat*: Nihil tamen intereſt, vtrum vnus haec tria

ſolus

[redacted]

ſolus praeſtiterit, an plures. Sufficit enim, ſi vnus fundum dederit, alius exſtruxerit, et alius dotauerit, modo haec tria requiſita ſimul adſint, et quidem, ſi vnus ſimul fundauerit et exſtruxerit, ac dotauerit eccleſiam, ſibi ſoli ius patronatus adquirit, licet ex tribus diuerſis titulis. Quod ſi autem plures concurrant, omnes hoc ius adquirunt in ſolidum, quamuis vnus plus altero ad dotem contulerit modo reditus adſignati ſufficientes ſint.

Can. 6. de conſec. diſt. I. nouell. 67. cap. 2. can. 31. XVI. q. VII. TRID. *ſeſſ. XIV. cap. 12. de reform.* FRANCISC. DE ROYE *l. c. cap.* 13. Si ergo patronus de dotanda eccleſia iam aedificata interpellatus, eam dotare recuſet, dum tamen neceſſitas, aut euidens eccleſiae vtilitas dotem aut certe eius augmentum requirat, eaque haberi nequeat, niſi eam offerenti ius patronatus annuatur; non adparet, cur epiſcopus ius patronatus huic dotanti annuere non poſſet, ſaltem vt cum fundatore concurrat. VAN ESPEN *l. c. cap. III.*

§. DCCI.

Collapſam eccleſiam reaedificans ius patronatus nanciſcitur.

Idem etiam obtinet, ſiue quis eccleſiam in ſuo ſolo propriis ſumptibus reſuſcitet, atque reſtituat; ſiue eccleſiam in cineres redactam, vel alio modo vaſtatam et dirutam; poſtea vero e ruderibus ſuis denuo exſtructam ponas, etenim ius patronatus, non reuiuiſcit, ſed omnino extinctum manet; quia ex deſtructa eccleſia noua eccleſia fit, nec in ea priſtinum

[redacted]

ius ſeruatur. Hinc etiam, eccleſia reaedificata, prior patronus ius patronatus amittit, et aedificans ſibi illud adquirit.

Ian. a Costa *in comment. ad. c.* 1. 2. 36. *pag.* 549. qui tamen diſtinguit, vtrum ius patronatus competat ex *exſtructione* et *dotatione* ſimul, vel ex *dotatione tantum*: priori in caſu iniquum cenſet patronum iure ſuo privari, quia dotatio eccleſiae remanet, quae ad adquirendum ius patronatus in eccleſia iam exſtructa ſufficit. *Poſteriori* vero caſu gloſſae et DDbus adſtipulatur.

§. DCCII.

2.) *Extraordinarie, praeſcriptione.*

Hiſce ius patronatus ab initio et primitus adquirendi modis, tanquam *ordinariis*, addi vulgo etiam ſolent *duo extraordinarii: praeſcriptio* nimirum et *priuilegium.* Et quidem, quod ad prius adtinet, hodie extra omnem dubitationis aleam poſitum eſt, hoc ius vtique praeſcriptionem admittere; cum temporale ſit inſtar aliorum iurium, et quidem ita, vt praeſcriptio non tantum contra patronum, ſed et illa, quae immemorialis vocatur, contra ipſam eccleſiam liberam, de quo caſu proprie hic ſermo eſt, locum inueniat, ſiue praeſcribens laicus ſit, ſiue clericus.

Cap. 11. *h. t. cap.* 24. *de elect. cap.* 1. *de praeſcript. in* 6. Trid. Synod *ſeſſ. XXV. cap.* 9. *de reform.* Idem obtinet de Ivre Avstr. §. 18. *cit. conſt. p.* 299. Ian. a Costa *cit. loc. pag.* 587. Van Espen *l. c.*

c. §. 15. *ſeqq.* Sed de hoc paulo poſt plura dicemus.

§. DCCIII.

3.) *Priuilegio.*

Praeterea ius patronatus ex *priuilegio* contra ius commune adquiri decretaliſtae adſerunt; ſi nimirum papa alicui, qui neque fundauit, neque extruxit, neque dotauit eccleſiam, hoc ius vi *poteſtatis de camera*, vti loquuntur, concedat. Eſt haec concluſio neceſſaria ex eo principio, quod papa ſit *ordinarius ordinariorum*, et beneficiorum omnium liberrimus diſpenſator, quod cum lubrico fundamento nitatur, ſimul patet, quid de exorbitantibus eiusmodi priuilegiis ſentiendum ſit.

Van Espen *l. c. ſ.* 33. *ſeqq.* Levren *in for. benef. P I. cap. I. q.* 15. Pirrhing. *l. C. ad h. t. ſect. I ſ.* 2. *num.* 11.

§. DCCIV.

β.) *modis deriuatis 1.) ſucceſſione.*

Nunc etiam illi modi, quibus *hoc ius iam conſtitutum in alios transfertur*, recenſendi veniunt. Tranſit autem *ſucceſſione* iuris vniuerſi ad ſucceſſores quoscunque, nimirum tam ad haeredes directos, quam fideicommiſſarios, nec non bonorum poſſeſſores, et qui in iure ciui-

ciuili ſub formula: *ad quos ea res pertinet*: comprehenduntur, ſiue ex teſtamento, ſeu ab inteſtato, ſiue vt conſanguineus ſiue vt extraneus ſucceſſerit, cuiuscunque conditionis ſit ita, vt etiam in foeminam ius patronatus per ſucceſſionem tranſeat.

L. 53. §. 1. *D. de O. et A. cap.* 13. *h. t.* Gloſſ. in *Clement. II. h. t.* WIESTNER. *artic. III. ad.* h. t. circa deciſionem quaeſtionis, vtrum ius patronatus in fideicommiſſarium tranſeat? quam maxime inter ſe diſſentiunt DD. ſed tu vid. FLORENS. *l. c. opuſ. P. II. pag.* 263. BOEHMER. *ad h. t.* §. 117. Plura vid. ap. IAN. A COSTA *cit. loc. pag.* 577. Praecipue in decidenda hac quaeſtione prae oculis haberi debet diſtinctio inter ius Patronatus *reale et perſonale.*

§. DCCV.

Si plures exiſtant patrono haeredes, ſinguli in ſolidum ſuccedunt.

Quum vero ius patronatus diuiſionem haud admittat, ideo et illud pluribus quidem competit, ſed in ſolidum. Proin ſi plures exiſtant patrono haeredes, *ſinguli ſuccedunt in ſolidum*, licet in inaequalibus partibus ſint haeredes inſtituti, ita vt omnes patronatus effectus ſingulis competant haeredibus, praeter praeſentationem, ad quam omnes concurrere debent. Sed cum difficile ſit, in vnum presbyterum ſimul omnes conuenire, quem major pars nominauerit, praefertur, dummodo ſit idoneus.

Arg. cap. 1. h. t. arg. l. 3. D. quod cuiusque vniuerſ. nom. cap. 3. h. t. Haeres vniuerſalis in teſtamento inſtitutus IVR. AVST. omnes olim excludit §. 19. *cit. conſt. p.* 299. add. §. 6. *ibid. p.* 292.

§. DCCVI.

Ad euitandas vero lites praeſentatio per turnum permittitur.

Quo autem lites ac diſcordiae inter plures haeredes euitentur, permiſſum eſt, vt *patroni inter ſe libere conueniant de rectore ab eis alternis vicibus praeſentando.* Vel: *vt plures ad vacantem eccleſiam poſſint eo modo praeſentare perſonas, quod vna ex iis eligi per epiſcopum valeat et admitti.* Quo in caſu praeſentatio candidati nihilo ſecius omnium fit nomine, quia nec ius patronatus nec praeſentatio per id diuiduntur, ſed ſaltem haeredes in nominando clerico eo facilius conueniunt.

Clement. 2. *h. t.* FRANCISCVS ROYE *l. c. cap. IX.*

§. DCCVII.

Plures vnius patroni haeredes vocem duntaxat vnius habent in praeſentatione.

Quum igitur ius patronatus apud ſingulos haeredes ſit in ſolidum, non immerito quaeritur: vtrum, vno ex pluribus patronis decedente eius haeredes vocem duntaxat vnius habeant an plurium? vel vtrum ſucceſſio fiat in capi-

[redacted]

capita an in ſtirpes? reiecta aliorum ſententia a CLEMENTE V. ſtatutum eſt, *vt plures ab vno ex patronis eccleſiae relicti haeredes, vocem duntaxat vnius habeant in praeſentatione.*

Cap. 1. *h. t.* CLEMENT, 2. *h. t.* FLORENS. *l. c. pag.* 264. Idem ſtatuit IVS AVSTR. *in cit. conſt.* §. 7. *p.* 293.

§. DCCVIII.

2.) *Donatione.*

Ad adquiſitionem huius iuris, quae fit *donatione*, progredior. Et 1.) quidem notandum, quod patronus ſiue laicus, ſiue clericus ſit, poſſit ius patronatus, quod ei iure proprio competit, libere, et ſine conſenſu epiſcopi, eccleſiae vel religioſo loco donare. 2.) Poteſt quoque eccleſiae patronus compatrono ſuo, tam laico quam clerico, donare hoc ius pariter, non requiſito epiſcopi conſenſu. 3.) patronus, cui ius hoc iure priuato et proprio competit, illud quidem alteri laico concedere poteſt, ſed nonniſi adhibito conſenſu epiſcopi, quo ſcilicet, vtrum haecce mutatio patroni eccleſiae non praeiudicet, examinare poſſit.

Cap. 8. *h. t. cap. vn. eod. in* 6. GLOSSAR. in *cap.* 14 *h. t.* Quoad donationem eccleſiae, monaſterio, aut alteri loco religioſo factam, diſtinguunt: vtrum donatum ſit ius patronatus, an vero eccleſia patronata. Et *priori* in caſu donationem ſine epiſcopi conſenſu ſubſiſtere; in *poſteriori* vero neceſſario epiſcopi conſenſum requiri, et abſque illo

illo donationem nullam, atque irritam eſſe deſumitur ex *cap.* 5. 11. 17. *h. t.* Sed eiusmodi iura in odium patronorum laicorum eſſe inuenta, adcurate oſtendit Io. SALOM. BRVNQVELL. in *diſſert. de mod. adquir. ius patron.* §. 24. *ſeq.*

§. DCCIX.

3.) *Permutatione.*

Quod ius patronatus vti donari, ita et *permutari* poſſit, non eſt dubium. Illud autem non procedere adſerunt, niſi cum alio ſimili iure permutatio fiat, et quidam accedente epiſcopali conſenſu; quia ius hoc res eſt ſpirituali adnexa, ideoque alia res, vel ius temporale cum eo non poteſt permutari. Quod autem ad ius patronatus *reale* adtinet, illud, quatenus caſtro vel praedio cohaeret, vna cum eo permutari poteſt, ſicut etiam vnus patronus cum altero, licet ex diuerſis cauſis ipſis ius patronatus competat, illud permutare poteſt, etiam ſine conſenſu epiſcopi.

Cap. 5. 6. *et fin. de rer. permut.* Eodem iure vtimur in Auſtria vi *cit. conſt.* §. 21. *p.* 300. FLORENS. *l. c. pag.* 287. An ius patronatus in feudum, in pignus dari poſſit? An in conductorem, creditorem maritum ſequeſtrem, B. F. poſſeſſorem tranſeat. Vid. BRVNQVELL. *diſſert. laud.* §. 32. *ſeq.* BÖCKN. *ad h. t. n.* 30. 35. Subiungere lubet deciſionem quorumdam dubiorum IVRE NOSTRO AVSTR. hac de materia §. 20. *p.* 300. factam his verbis: Wann ein Herrſchaft, Stadt, Markt, Dorf, oder anderes Gut, wie auch ein geſammte Erbſchaft verkauft, in Verſatz, oder Beſtand überlaſſen wird, wobey ſich eine geiſtliche Lehenſchaft befindet, ſo iſt ſelbige auch unter

unter dem Verkauf, Verſatz, oder Beſtand acceſſorie, jedoch ohne Taxirung und Anſchlag um Geld oder Geldeswerth zu verſtehen, wofern ſie nicht ausdrückentlich davon ausgenommen, wie denn auch ſonſten nicht zugelaſſen, eine geiſtliche Lehenſchaft allein und abſonderlich zu verkaufen, oder zu verſetzen noch in Beſtand zu laſſen, noch auf einige Weis um Geld oder Geldeswerth zu veräußern.

§. DCCX.

4.) *Venäitione.*

Ius patronatus per *venditionem* tranſire, et vna cum caſtro vel villa, cui cohaeret, vendi poſſe, omnes canoniſtae ſtatuunt; quia tunc emptio cenſetur inita ſuper illa re, tanquam temporali, non vero ſuper iure patronatus, quod, tanquam acceſſorium, ſuum principale ſequitur. Illud autem ſolitarie, ſeu vt a caſtro vel villa ſeparatum, vendi poſſe, negant, et pernegant; aiunt enim tale quid molientem, et rem ſpiritualem ſeu ſpirituali adnexam, quae aeſtimationem pariter atque pretium reſpuit, vendentem, criminis ſimoniae reum fieri, talemque contractum ipſo iure nullum eſſe, nec conſenſu epiſcopi, cum contra leges fiat, confirmari poſſe.

Cap. 6. *et* 16. *h. t.* Vtrum vero hoc in caſu eccleſia cenſeatur facta libera ab onere patronatus, an vero ius patronatus ad venditorem, qui pretium reſtituere tenetur, redire debeat, optime expoſuere IAN. A COSTA *ad cap.* 6. *et* 15 *h. t. pag.* 539. *et* FLORENS. *l. c. pag.* 257. In CONCIL TRIDENT. *ſeſſ. XXV*, *cap.* 9. *de reform.* haec contro-

ver-

uerſia ſublata, ſtatutumque fuit, ne venditor ius patronatus retineat, nec emptor pretium hoc in caſu repetat. Add. ad hanc materiam van Espen *l. c. cap. IV.* cui ex aſſe ſe conformat Ivs Avstr. *cit. conſt. §.* 22. *p.* 301. Quamuis autem haec iure communi et auſtriaco ita ſe habeant, ab utroque tamen ius Bohemicum recedit, et ius patronatus certo pretio taxari et vendi permittit.

§. DCCXI.

Patronorum iura ſunt I.) honor eis competens.

Olim quidem epiſcoporum arbitrio reliquerunt canones, quem honorem ſuis ſenioribus tribuerent; ſed ſenſim quotidiano vſu definitae ſunt quaedam honoris ſpecies, quibus eccleſia fideles quosdam coleret; praecipuè autem quoad patronos receptum eſt, vt iis dignior ſedes, in ſuſcipienda pace et thurificatione, in oblatione palmarum, candelarum aliisque ſimilibus actibus praerogatiua praebeatur.

Francisc. de Roye *lib. I. de iur. honorif. cap.* 2. Barbosa *I. E. lib. III. cap.* 12. *num.* 215. Iuris patronatus effectus duobus verſiculis Gloſſa in *cap.* 25. *h. t.* expreſſit.

Patrono debetur honos, onus, vtilitasque,
Praeſentet, praeſit, defendat, alatur egenus.

§. DCCXII.

In ſpecie honor proceſſionis.

Plerique credunt,[1] honoris, quo patroni publici agminis cultu ſolent excipi, iam me-

 mi-

miniſſe Gelaſium. Sed licet hi pontificis ſenſum non intellexiſſe videantur, tamen ab hac interpretatione *ius proceſſionis* dimanauit. Hic honos autem duobus potiſſimum modis patrono deferri poteſt: primo: vt ei *proceſſionaliter*, id eſt, ſupplicantium ritu obuiam eatur, ſi *talis ac tantus ſit;* dein cedendo ipſi honoratiorem locum in ipſa ſolenni ac publica proceſſione.

GELAS. ap. Gratian. *can.* 26. 27. *XVI. q. VII. cap.* 25. *h. t.* FLORENS. *l. c. pag.* 84. DE ROYE *l. c. cap. VII.* VAN ESPEN. *l. c. cap. VII.* Eodem iure vtitur patronus in Auſtria *cit. conſt.* §. 12. *pag.* 296.

§. DCCXIII.

II.) Perceptio alimentorum.

Patronis ad inopiam redactis ab eccleſia patronata alimenta *ipſo iure* debentur, non tantum *paupertatis*, ſed praecipue *beneficentiae* in eccleſiam collatae intuitu, adeoque non ratione iuris *praeſentationis*, ſed titulo *fundationis* aut *dotationis*. Praeſtanda autem alimenta ſunt ſecundum qualitatem patroni, adtentis ſimul eccleſiae facultatibus, ita tamen, vt ei, qui plus contulit, licet ius patronatus, ad ſingulos in ſolidum pertineat, magis quoque ſuccurrendum ſit.

Can. 30. *XVI. q. VII. cap.* 23. *h. t.* Idem de IVRE AVSTRIACO *cit. conſt.* §. 13. *pag.* 296. Poteſt inſuper fundator non tantum ſibi vel ſucceſſoribus ſuis, ſed etiam alicui tertio *cap.* 16. *de cenſ.* penſionem

[redacted]

ſionem aliquam annuatim, etiam extra neceſſitatis caſum, ſoluendam reſeruare *cap.* 23. *h. t.* poteſt quoque in fundatione adponi, vt fructus eccleſiae vacantis patrono cedant. Van Espen *l. c. cap. VI.*

§. DCCXIV.

III. Praeſentatio, cuius fundamentum oſtenditur.

Ius patronorum praecipuum in iure *praeſentationis* clerici ad vacantem eccleſiam conſiſtere expeditum eſt. Olim patronus offerebat clericum ordinandum. Poſtquam autem hodie beneficiorum collatio ab ordinatione ſeiuncta eſt, non ordinandos, ſed in beneficiis vacantibus inſtituendos epiſcopo offerunt patroni. Haec oblatio vocari ſolet *praeſentatio* ex cura et ſolicitudine, quam fundatores, eorumue ſucceſſores eccleſiis a ſe fundatis impendere debent, deducenda.

Cap. 1. *de praebend. in* 6. *can.* 32. *XVI. q. VII.* Grat. poſt *can.* 30. *XVI. q. VII. Ius praeſentandi* et *ius patronatus* inter ſe diſtincta ſunt *cap.* 1. *h. t.* in collect. II. ap. Ant. Avgvst. poteſt enim patronus habere iura honorifica, licet ius praeſentationis non habeat, vt ſi ei renunciauit aut alteri ceſſit. Hodie tamen talis non *patronus*, ſed *fundator* dici ſolet.

[redacted]

§. DCCXV.

Tempeſtiue praeſentatus ab epiſcopo inſtituendus.

Praeſentatum a patrono epiſcopus *inſtituere* debet, niſi probauerit, eum abſolute inidoneum eſſe. Quod quam difficile et quam raro fieri queat, notum eſt. Inſtitutio igitur, quae patroni praeſentationem ſequi ſolet, recte vocatur *collatio neceſſaria.* Cum iam ex patronorum praeſentatione praecipue eccleſiarum prouiſio pendeat, admonentur patroni, vt *tempeſtiue* idoneos clericos praeſentarent, ne ex diuturniore vacatione eccleſiis diſpendium inferatur.

SYNOD. ROM. *ſub Eugen. II. can.* 24. *ſub Leone IV. can.* 24. CONCIL. TRID. praecipit patrono eccleſiaſtico, vt digniorem inter probatos ab examinatoribus epiſcopo praeſentet, etſi iuris patronatus laicorum beneficium ſit, praeſentatus ab epiſcopo non inſtituatur, *niſi idoneus repertus fuerit. Seſſ. XXIV. cap.* 18.

§. DCCXVI.

Praeſentatio facienda intra certum tempus.

An autem certum tempus patronis olim fuerit praefixum, non conſentiunt DD, quidquid ſit: ad canones citatos CONCIL. ROMAN. reflexiſſe videtur CONCIL. LATERANENSE ſub ALEXANDRO III. *can.* 17. vbi decernit, vt ordinet antiſtes eccleſiae, ſicut viderit melius ſecun-

ſecundum Devm ordinandum, *ſi de iure patronatus quaeſtio emerſerit inter aliquos, et cui competat, intra* tres *menſes non fuerit definitum.* Cum dein in nonnullis canonis huius editionibus legeretur qvatvor, etiam a nonnullis dari coepit ſpatium *quatuor menſium*, idque iure noſtro eſt receptum in *cap.* 3. *h. t.*: idem vero concilium pro collatione beneficiorum ſpatium sex menſium definiuit. Mox id tempus ad praeſentationem perſonarum ad eccleſias vacantes extenſum eſt in *cap.* 22. *h. t.*

Cap. 2. *de conceſſ. praeb.* a Costa *in comment. ad c.* 12. 22. *et* 27. *pag.* 574.

§. DCCXVII.

Et quidem ſi ius patronatus eccleſiaſticum fuerit intra 6. ſi laicum intra 4. menſes.

Quamuis iam ex textu *cap.* 22. *cit.* non adpareat, de quo patronatu, *laico* an *eccleſiaſtico* agatur, nihilominus commentatores vt hunc locum cum *cap.* 3. *cit.* conciliarent, coeperunt hanc decretalem interpretari de patronatu *eccleſiaſtico*, alteram vero de patronatu *laico*. Atque ita a DD. recepta eſt ac inuenta, hactenus ignota, inter patronum eccleſiaſticum et laicum differentia, quae tandem a Bonifacio VIII. probata fuit in *cap. vn. h. t. in* 6.

Vid. diſſert. Brvnqvell. *de diuerſ. patron. eccleſ. et laic. iure.* a Costa *in comment. ad c.* 12. 22. *et* 27. *p.*

p. 574. Hanc differentiam agnouit et recepit IVS AVSTR. §. 3. *p.* 291.

§. DCCXVIII.

Tempus iſtud currit etiam pendente lite.

Spatium legitimum, ad praeſentandum conceſſum, currere tantum incipit ab eo tempore, quo probabiliter cognoſcere potuerunt patroni, vacaſſe beneficium. Si dein contingat, inter plures controuerſiam moueri, cui ius patronatus competat, atque ob eam diutius differatur prouiſio eccleſiae, *fas ſit epiſcopo adpellatione remota in eadem eccleſia perſonam idoneam inſtituere, ita quod repraeſentetur ab eo, qui ius euicerit patronatus.* Inde concludunt, tempus praeſcriptum ad praeſentandum etiam currere lite pendente, *cum propter diſcordias laicorum non debeat eccleſiis praeiudicium generari.* Quod tamen intelligendum non eſt de caſu, quo inter ipſum epiſcopum et patronum controuerſia eſſet.

Cap. 12. 17. *h. t.* A COSTA *in comment. ad haec cap. pag.* 574. Inſtructionem lite inter plures patronos exorta ab epiſcopo faciendam eſſe tantum prouiſoriam declarat IVS AVSTR. *loc. cit.* §. 6. *pag.* 193 hiſce verbis: Wann die geiſtliche Lehenſchaften zwiſchen zween oder mehreren in poſſeſſorio mit der Einſetzung eines Prieſters, bis zum Auftrag des Streits zu warten nicht ſchuldig, ſondern wann er immitels einen Prieſter auf die Pfarr oder beneficium prouiſorio modo ſetzet, iſt ſodann der obſiegende Theil dem dahin geſtellten Prieſter dabey zu laſſen nicht verbunden, jedoch ſolle er demſelben ohne erhebliche Urſachen die praeſentation nicht verweigeren.

[redacted]

§. DCCXIX.

Patronus laicus variare poteſt, non vero eccleſiaſticus.

Altera inter patronum *eccleſiaſticum* et *laicum* differentia itidem communi Doctorum interpretatione inualuit; quod nempe patronus laicus intra tempus praefixum *rebus integris* variare poſſit, non vero eccleſiaſticus. Hanc licitam variationem *adcumulatiuam* vocare ſolent, eiusque hanc adſignant rationem: *quia clerici patroni pinguius ius habent quam laici*, id eſt, ex praeſentatione *clerici* plus iuris tribuitur praeſentato, quam ex praeſentatione *laici*, cum *illius* praeſentatio vicem electionis habeat; *huius* nullum prorſus ius intuitu patroni praeſentato tribuat. Vnde patronum laicum non ſemel tantum, ſed pluries variare poſſe videtur.

Cap. 24. *h. t.* concordat Ivs Avstriacvm *cit conſtit.* §. 5. *p.* 291.

§. DCCXX.

Hic indignum praeſentans amittit ius patronatus, ille non item.

Ex hac differentia alia inualuit. Quod ſi patronus eccleſiaſticus clericum inidoneum praeſentauerit, pro hac vice amittet ius ſuum praeſentandi. Si vero laicus indignum praeſentet, ne quidem pro ea vice iure praeſen-

[redacted]

§. DCCXXIV.

Si plures ſunt patroni, a pluribus praeſentatus ceteris praeſerendus eſt.

Si plures ſint patroni, ipſique collegium et corpus conſtituant, tunc praeſentatio fieri debet *collegialiter*, quo in caſu eam praecedit ſpecies quaedam electionis, in qua ea quoque, quae in electione collatiua canones obſeruari praecipiunt, fere obſeruanda ſunt. Si autem ius patronatus competat pluribus *diuiſim*, ſiue vt *ſingulis*, tunc etiam ſeparatim praeſentare poſſunt. Et ſi ad plures, quam duos, praeſentatio ſpectet, tunc, qui a pluribus praeſentatur, ceteris praeferendus erit.

Cap. 3. *h. t.* VAN ESPEN *l. c. cap.* *V.* Conſonat ius AVSTRIACVM *cit conſt.* *§.* *6. p.* 292.

§. DCCXXV.

IV. *Defenſio eccleſiae.*

Hiſce iuribus accedit obligatio defendendi eccleſiam, ne a potentioribus opprimatur, ne dos, vel eius bona male alienentur, aut in alios quam a fundatore deſtinata ſunt, vſus conuertantur. Quae cauſa eſt, cur patronus quandoque *eccleſiae aduocatus* nominetur. Is tamen non poterit aliquam iurisdictionem in eccleſiae beneficiatum, eius bona aut ipſam eccleſiam exercere, aut ab illo geſtae adminiſtrationis, et praeſertim curae animarum ra-

[redacted]

rationem exigere; multo minus occupare eius bona, aut quacunque occaſione in perceptionem fructuum ſe ingerere ſub poenis excommunicationis et interdicti.

Can. 31. 32. 18. 25. *XVI. q. VII. cap.* 23. 24. *h. t. cap.* 12. *de poenis.* Trident. *ſeſſ. XXIV. cap.* 3. *ſeſſ. XXV. cap.* 4. *de reform.*

§. DCCXXVI.

Ius patronatus amittitur vel ſine.

Legitime conſtitutum et adquiſitum ius patronatus amittitur et extingitur 1.) *libera ceſſione* epiſcopo, vel eccleſiae facta. 2.) Si eccleſiam monaſterio, vel alteri eccleſiae *acceſſorie vniri* patronus permittat. 3.) *Non vſu*; dum ſcilicet patronus ad eccleſiam vacantem neminem praeſentauit tempore ad libertatem contra ipſum praeſcribendam, requiſito, et interea clericus in ea ſine praeſentatione bis ſaltem fuit inſtitutus 4.). *Deſtructione eccleſiae* vniuerſa, aut interitu dotis reſpectu, dotantis niſi de nouo dotem conferre velit.

Cap. vn. h. t. 6. Barbosa *I. E. lib. III. cap.* 12.

§. DCCXXVII.

Vel cum delicto.

5.) *Extinctione familiae totius*, ſi ſit ius patronatus familiare. 6.) *Caede rectoris* aut al-

[illegible] clerici eccleſiae, per ſe vel alium [illegible]. 7.) Si patronus *contra decretum* [illegible] ingerere in perceptionem fructu[illegible] vſurpare, patronatus ius in alios [illegible] praeſumat modo illegitimo. 8.) Cri[illegible] et 9.) *laeſae maieſtatis*, vel [illegible] crimine, confiſcatione bonorum, [illegible] acceſſorie adnexum eſt.

[illegible] X. *Iure noſtro Auſtriaco* ex [illegible] *ius patronatus* praeuia [illegible] *cit. conſt.* §. 22. *ſeqq.*

§. DCCXXVIII.

[illegible] ſpectato iure decre[illegible] eſt eccle[illegible]ſticus.

[illegible] decretalium dubium [illegible] de iure patronatus [illegible] eccleſiaſticum perti[illegible] ſi non mere ſpiri[illegible] adnexum. Vix obti[illegible] ſaltem iudicem laicum [illegible] hoc ius ex ſua natu[illegible] improbari non poteſt [illegible], qua, ſiue in pe[illegible] agatur, cauſae iu[illegible] iudice laico ventilan[illegible]

[illegible] ſaepe in *cit. conſtit.* §. 25.
[illegible] Streit, und Berechtigungen
die

die geiſtliche Lehenſchaften betreffend von der Nied. Oeſtr. Regierung unmittelbar fürgenommen werden ſollen.

§. DCCXXIX.

Modus probandi ius patronatus priuatis a Tridentino praeſcriptus.

Cum autem *in dubio* beneficia eccleſiaſtica praeſumantur liberae eſſe collationis probare in iudicio ius patronatus tenetur is, qui ius praeſentandi ſibi competere adſerit. Eſt autem modus probandi ſecundum normam a CONCILIO TRIDENTINO praeſcriptam duplex inter homines *priuatos* et inter perſonas *morales* ſeu *communitates* et uniuerſitates atque Magnates: et de illis ita diſponit, vt *titulus iuris patronatus ſit ex fundatione vel dotatione, qui ex authentico documento, vel aliis iure requiſitis oſtendatur, ſiue etiam ex multiplicatis praeſentationibus per antiquiſſimum temporis curſum, qui hominum memoriam excedat, aliasque ſecundum iuris diſpoſitionem.*

Seſſ. XXV. c. 9.

§. DCCXXX.

Qui triplex eſt.

Poteſt igitur probatio iuris patronatus a priuatis fieri triplici modo 1.) *ex documento authentico* ſeu inſtrumento publico, aliaque ſcrip-

[redacted]

ſcriptura authentica 2.) ex *multiplicatis praeſentationibus* ſine interruptione continuatis legitime probatis et 3.) *aliisque ſecundum iuris diſpoſitionem.* Quae verba complecti videntur omnes alios modos, quibus alia iura in litem deducta probari ſolent.

§. DCCXXXI.

Modi quibus alia iura in litem deducta probari ſolent, etiam ad probandum ius patronatus pertinent.

Admittenda ergo eſt in iudicio probatio iuris patronatus. 1.) Per *famam* aliis adminiculis vti 40. vel plurium annorum quieta poſſeſſione ſuffultam 2.) *per praeſcriptionem quadragenariam* cum titulo colorato fundationis, aut hoc deficiente, tanti temporis, cuius initii non extat memoria 3.) ex *literis*, quibus ordinarius fatetur, alicui ius patronatus competere 4.) ex *libris viſitationum*, ſi in iis eccleſia viſitata patronatui ſubiecta adſeratur 5.) ex *ſententia* pro patrono in iudicio lata, quae in rem iudicatam tranſiit 6.) ex *monumentis antiquis* puta, ex literis marmori aut aeri inciſis, ex armis gentilitiis ſeu inſignibus ſculptis vel adfixis altari, columna, parieti eccleſiae vel capellae, in qua beneficium eſt erectum.

Non videtur tam ſtricta probatio eſſe neceſſaria eo in caſu, quo ius patronatus non eſt probandum aduerſus ipſam eccleſiam, ſed aduerſus quemdam tertium illud pariter ſibi vindicantem; cenſetur enim TRIDENTINUM tam exactam probationem in fauorem duntaxat eccleſiae ſtatuiſſe, pro qua

ſtat

ſtat praeſumtio, eam a ſeruitute iuris pratronatus eſſe liberam.

§. DCCXXXII.

Modus id probandi communitatibus a Concilio Trid. praeſcriptus.

Alter modus probandi patronatum, quem communitates, vniuerſitates et potentiores ſibi competere contendunt, hiſce verbis determinatur a Synodo Trid. cit loc. *In iis vero perſonis ſeu communitatibus vel vniuerſitatibus, in quibus plerumque ex vſurpatione potius quaeſitum praeſumi ſolet, plenior et exactior probatio ad docendum verum titulum requiratur, nec immemorialis poſſeſſio eis aliter ſuffragetur, quam ſi praeter reliqua, ad eam neceſſaria, praeſentationes etiam continuatae non minori ſaltem, quam quinquaginta annorum ſpatio, quae omnes effectum ſortitae ſint, authenticis ſcripturis probantur.*

DCCXXXIII.

Reliqui patronatus exceptis nonnullis a Trid. abrogantur.

Pergit deinde vlterius *cit.* Synodus *ead. ſeſſ. et cap.* Declarando reliquos patronatus omnes *in totum prorſus abrogatos et irritos, exceptis iis, qui ſuper cathedrales eccleſias competunt, et exceptis aliis, qui ad Imperatorem et Reges, ſeu regna poſſidentes, alioſque ſublimes ac ſupremos Principes, iura imperii*

in

in dominiis ſuis habentes pertinent, et qui in fauorem ſtudiorum generalium conceſſi ſunt.

§. DCCXXXIV.

Uterque modus probandi limitatur.

Ne tamen rigor in probando patronatu in fauorem eccleſiae, a CONCIL. TRID. introductus in infinitum extendatur, ratio iuris et mens Tridentini omnino ſuadent, vt patronus ſiue ſit priuatus, ſiue communitas poſt probationem ſemel ad normam decreti Tridentini factam, a tam moleſto probandi onere impoſterum liberetur, et oppoſita exceptione ſententiae, et rei iudicatae ab vlteriori iudiciali perſecutione penitus abſoluatur.

TITVLVS XXXIX.

DE CENSIBVS, EXACTIONIBVS, ET PROCVRATIONIBVS.

§. DCCXXXV.

Definitio et diuiſio cenſus.

Cenſus hoc loco eſt *penſio annua ex reditibus eccleſiaſticis ſoluenda in ſignum vel ſubiectionis, vel alterius iuris.* Eſt vel *antiquus*, qui ſtatim initio et tempore fundationis exemtio-

tionisue, vel vt onus reale eccleſiae impoſitus eſt, vel ex iure communi debetur: vel *nouus* qui primum ex poſt facto imponitur. *Vterque* eſt vel *perpetuus*, vel *temporalis* ad certos nimirum annos conſtitutus.

§. DCCXXXVI.

Variis ex cauſis perſolui debet.

Non in eundem; ſed varium finem ſoluuntur cenſus. Etenim 1.) quandoque in ſignum *protectionis* ſingularis promiſſae debentur, quam monaſteria a ſede papali ſibi adquiſiuerunt: quandoque 2.) in ſignum *exemtionis*, et *libertatis* etiam ab epiſcopis conceſſae: 3.) nonnunquam in ſignum *ſubiectionis*, quem in finem regna ſibi cenſualia efficere ſtuduere pontifices: 4.) rurſus reſeruati ſunt cenſus ob *factam vnionem*, *eccleſiarum conſecrationem*, vel *aliam quamcunque* gratioſam conceſſionem, aut iuris alicuius quaeſiti remiſſionem: ob fundationem quoque 5.) patroni ſibi ex bonis dotalibus cenſum moderatum aliquando reſeruarunt.

Cap. 8. *de priuil. cap.* 10. *eod. in VI. cap.* 6. *de relig. dom.* Teſte Polydoro Vergilio *l. IV. hiſt. angl. p.* 118. *regnum angliae vectigale fecit romano pontifici* Inas *rex occidentalium Saxonum ſingulis argenteis nummis, quos denarios vocant, in ſingulas domos impoſitis. Fecit idem eius exemplo, vt oninor, ductus* Offa *Merciorum rex, qui non multo poſt id tempus regnauit. Fuit is annus ſalutis circiter* 740. *Hoc vectigal auxit* Atvlphvs *rex, qui totius fere inſulae imperium obtinuit. Omnis Anglia hoc tempore iſtud vectigal pietatis et religionis cauſa romano pontifici pendit*

domeſticatim collatum, et nummi illi argentei vocantur vulgo DENARII D. PETRI, *quos pontificius quaeſtor, quem non inſcienter collectorem nuncupant, exigit. Nos hanc olim quaeſturam aliquot per annos geſſimus, eiusque muneris obeundi cauſa primum in Angliam venimus. Hoc ipſe* vt addit BARONIVS *ad an.* 740. §. 15. *ſcribens ad Henricum VIII. tunc regem anno redemtoris* 1533. *cum Londini eſſet.*

§. DCCXXXVII.

Antiquus ſiue conſenſu papae vel epiſcopi nequit; nouus a ſolo papa imponitur.

Exinde colligitur, quod *cenſum antiquum* imponat 1.) *papa*, 2.) *epiſcopus*, 3.) *patronus* in limine fundationis cum conſenſu epiſcopi. Ergo cenſum nemo eccleſiis imponere poteſt ſine conſenſu papae, vel epiſcopi: hinc qui cenſum exigit, eius cauſam, finemque ac tempus ſoluendi probare debet. *Noui cenſus* eccleſiis ne quidem ab epiſcopo imponi poſſunt, nec veteres augeri ſine magna cauſa.

Cap. 2. 3. 5. 7. 15. 16. *h. t. cap.* 23. *de iur. patr. can.* 30. *XVIII. q. II.* De quantitate cenſus praeſtandi ſi dubium ſit, id quod minus eſt, debetur *l.* 9. *et* 34. *D. de R. I. cap.* 18. *h. t.*

§. DCCXXXVIII.

Cathedraticum definitur.

Ex lege dioeceſana epiſcopi alia adhuc exigunt a beneficiis et eccleſiis tributa, tum *ordina-*

inaria tum *extraordinaria.* Ad illa pertinet *thedraticum*, quod ab omnibus eccleſiis epi- opo praeſtari ſolet ſingulis annis in ſignum biectionis et honorem cathedrae. Nullum abemus canonem, qui primum onus cathetra- ci imponat; multos autem et antiquos, qui is iſtud epiſcoporum ſupponunt, eiusque ob- ruantiam vrgent.

p. *fin. de cauſ. poſſeſſ. et propr. cap.* 9. 20. *h. t. cap.* 7. *de donat. can* 1. *X. q. III.* dicitur etiam *ſynodati- cum*, eo quod in ſynodis ſolutum fuerit. Syno- dis non celebratis, tempore viſitationis exhibe- batur; ne autem videretur pecunia dari ratione viſitationis, quod prohibet Trident. *ſeſſ. XXIV. cap.* 3. *de reform.* hodie in noſtris dioeceſibus paſ- ſim colligitur, quando archidiaconi, vel decani rurales conuentum celebrant. Zech *de iur. rer. ſect. III. tit. XII.* §. 177.

§. DCCXXXIX.

d hoc ſoluendum omnes eccleſiae tenentur, non tamen monaſteria.

Tenentur ad ſoluendum cathedraticum om- ia beneficia, capellae, et eccleſiae etiam fi- les, quae beneficium ſeparatum ſub ſpeciali tulo complectuntur. Poſtquam inter legem *risdictionis*, et legem *dioeceſanam* diſtinctio ualuit, et eccleſiae monaſteriorum ab hac nmunes eſſe nullo iure praetenderunt, etiam c immunes eſſe cenſentur. Non tamen eccle- e monaſteriis incorporatae ad hanc deciſio- m trahendae ſunt. Ab antiquo in duobus ſo-

lidis conſiſtebat: ſed cum in variis locis diuerſa huius cenſus quantitas recepta deprehendatur, reſpiciendum erit ad conſuetudinem ſingularem dioeceſium.

Can. 8. *X. q. III. can.* 34. *XVI. q. I. can.* 5. *XVIII. q. II. cap.* 16. *de off. iud. ord. cap.* 12. *de praebend.* Clement. I. *h. t. cap. fin. de capell. mon. cap.* 20. *h. t.* Barbosa *de off. et poteſt. epiſc. P. IIII. alleg.* 36. *num.* 44.

§. DCCXL.

Definitur exactio, eiusque ſpecies ſubſidium charitatiuum.

Ad extraordinaria pertinet *exactio*, quae hic denotat penſionem, quae extra ordinem ab epiſcopis ex iuſta cauſa exigitur de reditibus eccleſiaſticis. Praecipua eius ſpecies eſt *ſubſidium charitatiuum*, quando praelatus eccleſiaſticus ex *manifeſta ac rationabili cauſa* cum charitate moderatum a Beneficiatis auxilium poſtulat, ex obligatione ab his praeſtandum, vtpote qui debere ſe, quod ſponte tribuunt, exiſtimant.

Cap. 16. *de off. iud. ord. cap.* 6. *h. t. cap.* 1. *de donat.* Ad ſubſidium charitatiuum etiam pertinet illa penſio, quae ſtabilitur in Trident. *ſeſſ. XXIV. cap.* 18. *de reform.* pro erigendis et conſeruandis ſeminariis clericorum. Van Espen *p. I. tit.* 17. 18.

§. DCCXLI.

[redacted]

§. DCCXLI.

Exigi hoc non poteſt ſine iuſta cauſa et conſenſu capituli.

Exigere illud poteſt papa, epiſcopus, et qui habet iurisdictionem quaſi epiſcopalem. Item qui habet adminiſtrationem epiſcopatus, vti capitulum ſede vacante: non tamen Archidiaconus, Decanus, aut Vicarius Generalis niſi ex ſpeciali mandato. Archiepiſcopus poteſt quidem ſuffraganeos ſuos, et eorum ſubditos ad ſubſidium ſibi concedendum *charitatiue* monere, non tamen compellere. Qualiscunque autem praelatus id facere non debet absque conſenſu capituli. *Cauſa iuſta* et *rationabilis* eſt vtilitas et neceſſitas eccleſiae, non epiſcopi: in dubio haec non praeſumitur, cum iura exigant cauſam *manifeſtam.*

Cap. 6. §. PROHIBEMVS *et in fin. h. t. cap.* 1. *de poenit. in VI.*

§. DCCXLII.

Regulariter exigere iſthoc poteſt epiſcopus ab omnibus clericis et eccleſiis ſuae dioeceſeos.

Subſidium hoc exigere poteſt epiſcopus a clericis, et eccleſiis ſuae dioeceſis; et a capitulo cathedralis: non tamen a clericis pauperibus, neque ab iis, qui ex patrimonialibus ſuis viuunt, nec a monaſteriis, niſi ratione eccleſiarum ſecularium monaſterio ſubiecta-

rum. Quantitas quidem videtur aliquo modo determinata, ſed vſus hodiernus reſpicit magis proportionem neceſſitatis.

EXTRAVAG. *vn. inter com. h. t.* WIESTNER *ad h. t. artic. III.*

§. DCCXLIII.

Viſitationis epiſcopalis ſumma eſt neceſſitas.

Neceſſaria luſtratio eſt in omni ſocietate; et multo magis eccleſiaſtica, vt ſedulo obſeruetur, quo finis religionis cultusque chriſtiani obtineatur, abuſusque in herba ſupprimantur. Hinc Synod. Triden. infinitis propemodum canonibus inſiſtens decreuit: vt *patriarchae, primates, metropolitani et epiſcopi propriam dioeceſin per ſe ipſos, aut ſi legitime impediti fuerint, per ſuum generalem vicarium aut viſitatorem, ſi quotannis totam, propter eius latitudinem viſitare non poterunt, ſaltem maiorem eius partem; ita tamen, vt tota biennio per ſe, vel viſitatores ſuos compleatur, viſitare non praetermittant.*

Seſſ. XXIV. cap. 3. *de reform.* Ex eo autem hic minime ſequitur, quod epiſcopi annua vel biennali viſitatione obligationi ſuae ſemper ſatisfaciant; ſed ſynodus conſcientiae epiſcoporum permiſit, num plures, quam annuae viſitationes ſint neceſſariae. CARD. DE LVCA *diſc. V. ad concil. Trid.*

§. DCCXLIV.

§. DCCXLIV.

Scopus eius eſt religionis cultusque diuini promotio.

Viſitationum autem omnium iſtarum praecipuus ſit ſcopus, ſanam orthodoxamque doctrinam expulſis haereſibus, inducere, bonos mores tueri, prauos corrigere; populum cohortationibus et admonitionibus ad religionem, pacem, innocentiamque accendere: cetera prout locus, tempus, et occaſio feret, ex viſitantium prudentia ad fidelium fructum conſtituere.

Synod. Trident. *l. c.*

§. DCCXLV.

Viſitationi nec conſuetudo nec exemtio opponi poteſt.

Ea eſt viſitationis cum officio epiſcopali connexio, vt communiter tradunt Canoniſtae, et recte quidem: *perſonalem viſitationem praelatorum eſſe de iure diuino.* Hinc nulla conſuetudine, nullo priuilegio epiſcopus a viſitatione impediri poteſt, quae exigitur, vt animas ſibi commiſſas regere, ac dirigere poſſit. Vt ergo epiſcopus nulla obſtante exemtione, aut alio quocunque titulo excludi nequeat, a viſitatione eccleſiarum omnium, quibus cura animarum perſonarum ſecularium adnexa eſt, ſaltim quoad ea, quae curam animarum concernunt.

[redacted]

FAGNAN. *ad cap.* 8. *de cler. non reſid.* CONCIL. TRIDENT. *ſeſſ. VII. cap.* 7. 8. *ſeſſ. VI.* 4. *ſeſſ. XXI.* 8. *ſeſſ. XXII.* 8. *ſeſſ. XXIV.* 9. 10. *ſeſſ. XXV.* 6. 11. *de regul. ſeſſ. XIV.* 4. *de reform.* VAN ESPEN *p. I. iur. eccl. vniu. tit. XVII. cap. III. et IV.*

§. DCCXLVI.

Procurationes definiuntur.

Nomine *procurationum* veniunt neceſſarii ſumtus ac expenſae, quibus epiſcopi vel alii, illorum loco viſitantes dioeceſim vel eccleſias, indigent pro ſuſtentatione competenti. Iuſtiſſima et ſumme neceſſaria ſemper fuit canonum ſollicitudo, ne populus et clerus hac occaſione nimium grauetur, ſed potius omnem viſitationem grato animo ſuſcipiat.

Veterem inquiſitionis formulam, iuxta quam epiſcopi aliique inferiores praelati olim viſitationem ſuam dirigere debebant, edidit curia ſecul. X REGINO PRVM. ABB. *de eccleſ. diſc. l. I. cap.* 5. 12. VAN ESPEN. *l. c. tom. III. de collect. Regin. Abb.*

§. DCCXLVII.

Epiſcopo viſitanti vltra victualia ſibi ſuisque neceſſaria accipere quidquam prohibitum eſt.

Itaque ſtatutum eſt 1.) vt epiſcopi caueant, ne inutilibus ſumtibus cuiquam graues oneroſiue ſint: ne ergo quidquam cauſa viſitationis etiam vltro oblatum a viſitationibus recipiatur,

ne

ne quidem pro viſitatione teſtamentorum ad pios vſus: non obſtante quacunque conſuetudine etiam immemoriali: non enim quae mundi ſunt, ſed animarum ſalutem quaerere eos conuenit. *II.* Cor. *XII.* 14. 2.) accipere autem poſſunt victualia, quae ſibi, ac ſuis frugaliter moderateque pro temporis tantum neceſſitate et non vltra erunt miniſtranda. Immo neque ea prohibentur accipi, quae ex relictis piis epiſcopo iure communi debentur.

Trid. *ſeſſ. XXIV cap.* 3. *XXV. I. de reform.*

§. DCCXLVIII.

Duas parochias eodem die viſitans vna procuratione contentus eſſe debet.

Ergo indubie omnis luxus conuiuiorum et epularum abundantia excluditur; et ſi vna die epiſcopus viſitet duas parochias, contentus eſſe debet vna procuratione: cum eidem ſufficere debeat, et temporalia metat ex locis perſonaliter viſitatis pro diebus, quibus eis ſpiritualia adminiſtrat. Neque viſitans eccleſias ciuitatis cathedralis poteſt praetendere procurationem, cum viſitatione expleta poſſit domi ſuae victum ſumere.

Cap. 3. *h. t. in VI.* Fagnan, *ad cap.* 24. *h. t.*

[redacted]

§. DCCXLIX.

Permiſſum eſt eccleſiis viſitatis victualium loco ſoluere antea conſuetam taxam pecuniariam.

Vt tolerabiliores adhuc eſſent procurationes in optione eorum eſſe permiſſum eſt, qui viſitantur, an malint antea conſuetam taxam pecuniariam ſoluere, an vero victualia ſubminiſtrare: vbi autem conſuetudo eſt, vt nec victualia nec pecunia, nec quidquam aliud a viſitatoribus accipiatur, ſed omnia gratis fiant; id ibi obſeruetur. A laicis quidquam exigere omnino vetitum eſt.

§. DCCL.

Poenae decernuntur in eos, qui amplius quid ab eccleſiis viſitatis accipere praeſumunt.

Si quisquam vel ipſe viſitans, vel eius familiares et miniſtri amplius in ſupradictis caſibus accipere praeſumpſerint; is *praeter dupli reſtitutionem intra menſem faciendam*, *aliis* etiam *poenis* iuxta conſtitutionem concilii generalis lugdunenſis, nec non et aliis poenis in ſynodo prouinciali arbitrio ſynodi absque vlla ſpe veniae *mulctetur*.

Cap. 1. *et* 2. *h. t. in* 6. *cap.* 6. *et* 21. *h. t. et cap.* 1. *et* 2. *eod. in* 6. VAN ESPEN *l. c. cap. II.*

TI-

[redacted]

TITVLVS XL.

DE CONSECRATIONE ECCLESIARVM, VEL ALTARIVM.

TITVLVS XLVIII.

DE ECCLESIIS AEDIFICANDIS, VEL REPARANDIS.

§. DCCLI.

Ad res ſacras eccleſiae et altaria pertinent.

Eas *res*, quae mediante conſecratione aut benedictione commercio hominum exemtae diuino cultui dedicatae ſunt, *ſacras* et *ſanctas* adpellare ſolent iuris noſtri interpretes. Huc ergo pertinent *eccleſiae* et *altaria*, de quibus nunc agendum erit.

§. DCCLII.

Eccleſiarum definitio et diuiſio.

Eccleſiae hic non coetum fidelium, ſed aedes ſacras publico pietatis exercitio deſtinatas

tas

[redacted]

tas ſignificant. Earum diuerſae ſunt ſpecies. Ab eo tempore, quo plures extrui eccleſiae coeperunt, orta eſt diſtinctio 1.) inter *cathedrales*, *parochiales* et *capellas* ſeu *ſacella*, et *oratoria publica*. Parochialium propagatio, immo et vnio dedit 2.) *matrices* et *filiales*. Inualeſcente monachiſmo atque clericatu cum eo coniuncto prodierunt 3.) aliae *regulares* eaeque *conuentuales* vel *abbatiales*, itemque, quae in iure canonico *capellae monachorum* audiunt: aliae *ſeculares*, et inter has *collegiatae*; quibus tandem depreſſa epiſcoporum auctoritate 4.) *exemtae*, ac *non exemtae* acceſſerunt.

P. ZECH. *de iur. rer. ſect. I. tit. I. §.* 14. *ſeqq.* Diuerſis nominibus inſignitae ſunt aedes religioſis conuentibus deſtinatae. Apud GENTILES dicebantur *templa*, *fana*, *delubra*. Apud IVDAEOS *tabernaculum*, *ſanctuarium*, *ſancta*, *ſancta ſanctorum*, *oracula*. Apud CHRISTIANOS *eccleſiae*, *baſilicae*, *memoriae*, *tituli*, *oratoria*, *capellae* etc. vid. IOS. BINGHAM *op. vol. III. lib. VIII. cap. I. de diuerſ. nom. eccleſ. inter chriſt. §§.* 1. *ſeqq.*

§. DCCLIII.

Origo earum inter chriſtianos.

Quamuis diuinitas loco non concludatur, verique adoratores DEVM, qui ſpiritus eſt, nec in manufactis templis habitat; in ſpiritu et veritate ſine locorum differentia adorent: Ipſa tamen ratio templorum neceſſitatem ac vtilitatem ſatis euincit. Igitur primos ſtatim chriſtianos *tribus prioribus ſeculis* diſtincta cul-

cultus diuini loca habuiſſe dubitandum non eſt, cum ex S. ſcriptura veterumque ſcriptorum locis innumeris id euidenter pateat.

Ioan. IV. 23. 24. Timoth. I. *act.* XVII. 24. *I.* Cor. XI. 18. 22. S. Basil. Reg. Brev. interrog. 30. S. Avgvstin. *quaeſt.* 57. *in leuit.* Van Espen *iur. eccl. vniu. p. II. ſect. II. tit. I. cap. I.* §. 4. *ſeq.* Ios. Bingham. *l. c.* §§. 13. *ſeq.* Vbi teſtimonia de eccleſiis I. II. et III. ſeculi luculentiſſima exhibet. Corruit ergo eorum opinio, qui ex male intellectis quorundam patrum locis contrarium adſerere auſi ſunt. Quod enim religionis chriſtianae propugnatores negarent ſe *templa* habere, id de *ethnicorum templis* ad ſacrificia et cultum falſis diis exhibendum deſtinatis intelligendum eſt. Bellarm. *lib. III. de cult. ſanct. cap. IV.*

§. DCCLIV.

Idem.

Hactenus autem eccleſiae erant non tam ſplendidae, ac magnificae, tam opulentae, vti plurimae in ſubiectis ſeculis, ſtatui nempe ac conditioni conuerſorum conuenientes. Imperatoribus autem chriſtianam religionem amplexis dici non poteſt, quantum ipſorum tum liberalitas ad noua aedificia cultus chriſtiani erigenda; tum edicta de gentilium templis in eccleſias chriſtianas conuertendis contulerint, vt nihil eſſet, quod quidem ad eccleſiarum maieſtatem deſiderari poſſet.

Ios. Bingham. *l. c. cap. II.* Forma templorum nec omni tempore, nec in omni loco erat eadem. Pro

[redacted]

Pro intelligendis diuerſis canonibus, antiqui templi ſtructura explicanda hic eſſet. Sed vid. GVIL. BEVEREG. *in can.* II. *concil. nicaen.* IOS. BINGHAM. *l. c. cap. III. et ſeqq. de diuerſ. antiq. eccleſ. form.* EVSEB. *hiſt. eccleſ. lib. X. cap. IV.* PAVL. SILENTIAR. *deſcript. eccl. S. Sophiae cum comment.* CAR. DV FRESNE. Ex iisdem fontibus *hanc rem* illuſtrauit P. ZECH. *l. c.* §. 8. *ſeq.*

§. DCCLV.

Nouas eccleſias absque conſenſu epiſcopi aedificare prohibetur.

Immo tot paſſim aedificari coeperunt eccleſiae, vt ipſi primi impp. chriſtiani modum earum extructioni ponere ſint coacti, ne quis ſcilicet eas impoſterum absque conſenſu dioeceſani epiſcopi aedificet. Multi enim ſimulantes fabricare quaſi orationis domos ſuis medentur languoribus, non orthodoxarum eccleſiarum aedificatores facti, ſed ſpeluncarum illicitarum *can.* 10. *XVIII. q. II. nouell.* 67. *cap.* 1. *capitul. reg. franc. lib. V. cap.* 382. Oratorii quidem priuati pro ſua deuotione conſtruendi facultatem quilibet habet, modo nec miſſae ibi celebrentur, nec ſacramenta adminiſtrentur absque auctoritate epiſcopi.

§. DCCLVI.

Hic tamen facultatem concedere non debet, niſi iuſta ex cauſa.

Epiſcopus autem in admittendis nouis eccleſiis primo examinare debet, num *iuſta cau-*

ſa

ſit aedificandi eccleſiam. Qua in quaeſtio-
: aliter, ſi de eccleſiis parochialibus: aliter
ro ſi de ſacellis ſeu capellis ſermo ſit, re-
ondendum eſt. Has quod adtinet imprimis
ltendi debet, ne per haec populus a parochia-
eccleſia nimium abſtrahatur, atque inde rei
tigioſae ignorantia oriatur. Praeterea cauen-
ım eſt, ne quaeſtus cauſa, aut in vllum ec-
eſiae parochialis praeiudicium extructio fiat.

ıa. 10. *diſt. I. de conſecr.*

§. DCCLVII.

laxime ſi noua ſit eccleſia parochialis erigenda.

Noua eccleſia parochialis erigi nequit, ni-
vna erigatur noua parochia. Haec autem
ınſtitui nequit, niſi de veteri parochia, in
uius limitibus noua conſtruitur, aliquid dece-
at. Eo magis ergo hic rationabilis cauſa ex-
;itur. Inter cauſas legitimas imprimis eſt il-
ı, *ſi ſine magno incommodo* parochiani ad
am eccleſiam accedere nequeant. Et gene-
atim quotieſcunque ſalus populi nouae paro-
hiae erectionem exigit.

ap. 3. *de eccleſ. aedif.* Trident. *ſeſſ.* 21. *cap.* 4. *de ref.* Card. de Lvca. *diſcurſ.* 16. Fagnan *ad cap* 3. *cit.*

§. DCCLVIII.

§. DCCLVIII.

Et audito rectore eccleſiae aliisque, quorum intereſt.

Cum autem per nouae eccleſiae parochialis conſtructionem facile iura rectoris aliorumque miniſtrorum aut patronorum veteris eccleſiae laedi poſſent, ad conſtructionem epiſcopus procedere non poteſt, niſi *rectore eccleſiae,* nec non *aliis intereſſe habentibus auditis,* qui tamen, ſi conſentire renuant, et tamen erectio illa neceſſaria iudicetur; poterit etiam tunc *illis inuitis* procedi, modo de competenti ſimul dote proſpiciatur.

Cap. 3. *de eccleſ. aedif.* VAN ESPEN *l. c. cap. III.*

§. DCCLIX.

Eccleſiarum conſecratio antiquiſſima eſt.

Eccleſia aedificata eius celebranda eſt dedicatio ſeu *conſecratio*, cuius vt *antiquitatem* demonſtremus; non puto neceſſarium eſſe: cum clariſſima eam probent ſcriptorum veterum et SS. patrum teſtimonia. Sed rituum conſecrationis nec in omnibus eccleſiis, nec omni tempore idem vſus et ratio fuit.

Cap. fin. de conſecr. eccleſ. EVSEB. *hiſt. lib. X. cap.* 3. S. ATHANAS. *apolog. II. ad Conſtantin.* Extant adhuc patrum ſermones, quos in ipſa templorum

dedi-

dedicatione habuere ap. Evseb. *l. c. cap.* 4. S. Avgvst. *edit. nou. tom. V. ſerm.* 336. *ſeq.*

§. DCCLX.

Ea facienda ab epiſcopo loci, in quo eſt eccleſia.

Cum autem conſecratio eccleſiae inter ea, quae *ordinis* non autem iurisdictionis epiſcopalis ſunt, recenſeatur, nullus niſi *epiſcopus loci*, in quo eſt eccleſia, eam *conſecrare*, neque is alteri, quam epiſcopo id delegare poteſt. Peragi debet ritu ſolenni ac ſolet diebus dominicis ac feſtiuis, licet de iure quouis tempore fieri poſſit. Ritus hodierni in Pontificali Romano deſcribuntur, qui tamen non eodem tempore adhibiti, ſed recentiores cum antiquis mixti ſunt.

Trident. *ſeſſ. VI. cap.* 5. *de ref. cap.* 2. *de conſecr.* Barbosa *de off. epiſc. alleg.* 27. FF. Minoribus ab Honorio IV., Carmelitis a Ioanne XXII., Ieſuitis a Pavlo III. priuilegia conceſſa fuiſſe docent, vi quorum epiſcopo dioeceſano conſecrationem humiliter poſtulatam vltra IV. menſes differente pro ea ad quemcunque epiſcopum recurrere poſſunt. An olim annua dedicationis feſtiuitas celebrata fuerit, incertum eſt. Hodie autem velut vna e praecipuis feſtis habetur *can.* 16. *Diſt. I. de conſecr.* Verum vna cum feſtiuitate conuiuiorum ac comeſſationum abuſus paſſim vbique inualuit. Hinc et conciliorum decretis, et Principum edictis cautum eſt, vt vno eodemque die in vnaquaque prouincia dies dedicationis anniuerſaria celebretur Add. van Espen. *l. c. cap. IV.*

§. DCCLXI.

Ab hac tamen differt benedictio.

Si ante conſecrationem diuina officia in templo celebrari oporteat, debet ſaltim adhiberi eiusdem *Benedictio*, quae licet non nunquam confundatur cum conſecratione, ab eadem tamen differt. Nam benedictio ſolum praeparat eccleſiam ad conſecrationem, et conſtituit eo in ſtatu, vt poſſit inſeruire functionibus ſacris, dum commodo tempore conſecretur. Dein ſoli Epiſcopi conſecrare ſolent; *Benedictio* autem plerumque a *ſimplicibus ſacerdotibus* ab Epiſcopo ad hoc deputatis peragi poteſt.

GIBERT *Corp. Iur. Canon. Tom. II. Tract. poſt. de eccleſ. Tit. XV.* WIESTNER *ad lib. III. tit. 40. num.* 10. *ſeq.*

§. DCCLXII.

Eccleſia rite conſecrata, reconſecrari non debet, etſi crimine profanata.

Eccleſiam ſemel ſolenni ritu conſecratam denuo *reconſecrari non poſſe* quocunque crimine profanatam expeditum eſt: quia nec templum ſpirituale ſemel per baptiſmum conſecratum, licet poſtea peccato fuerit violatum, poteſt iterato per baptiſmum reconſecrari. Idem obtinet; etſi eccleſia in aliquibus partibus deſtructa ſit, modo parietes illaeſi maneant, eo quod parietes praecipuam eccleſiae

par-

partem conſtituant, iisque ſaluis eadem manere eccleſia cenſeatur.

Can. 3. Diſt. LVIII. Can. 20. diſt. I. de conſecr. cap. 6. de conſecr. eccleſ.

§. DCCLXIII.

Et ut per partes ſucceſſive etiam tota reparata ſit.

Ergo eccleſia licet per partes ſubinde fuerit reparata, idque tam frequenter, et in tam multis partibus, vt reuera totum tandem aedificium conſtet per partes renouatum; tamen ſi ſemper manſerit idem aedificium, non erit denuo conſecranda. Principali altari euerſo, totam eccleſiam eſſe conſecrandam olim ſtatuebant, ſed cum altaris conſecratio plane ſeparata ſit ab eccleſiae conſecratione, contraria diſciplina inualuit.

Can. 19. 24. diſt. I. de conſecr. cap. 1. de conſecr. eccles. BARBOSA *de off. epiſcop. alleg. 37.* WIESTNER *l. c. num. 23. ſeq.*

§. DCCLXIV.

Conſecratio tamen reiteranda eſt, orto de conſecratione dubio.

Verum ſicut Baptiſmus denuo reiterari poteſt, ſi dubitetur, an valide collatus fuerit, ita

[redacted]

ita quoque conſecratio eccleſiae reiteranda eſt, ſi de ea dubitetur.

Can. 18. diſt. I. de conſecr.

§. DCCLXV.

Facta eccleſiae execratione.

Iteranda quoque erit eccleſiae conſecratio, ſi ea *execretur*, quod duobus modis contingit: 1.) Cum ea incendio ita exuritur, vt parietum etiam non corruentium cruſta interior maiori ex parte tollatur vel abradatur. Parietum enim non collapſorum incruſtatione interiori integra manente, noua conſecratione opus non eſt, quia ea cruſtae parietum inhaeret. 2.) Cum eccleſiae aedificium totum vel ſaltem parietes maiorem partem corruunt ac deſtruuntur, vt licet maneat eadem materia, noua tamen extructione indigeat.

Can. 20. 24. diſt. I. de conſecr.

§. DCCLXVI.

Ab execratione deſumi debet pollutio eccleſiae.

Pollui eccleſia dicitur, cum materiali eius forma integra manente ac proinde conſecratione non ſublata, in ea accidit aliquid, quod a loci ſanctitate maxime eſt alienum, et in fidelium animis generat horrorem; vt in illius

dete-

deteſtationem diuina in ea celebrari eccleſia vetuerit, donec ſacris ritibus fuerit reconciliata.

Cap. fin. de conſecr. eccleſ. cap. 11. *de priuil.* et *cap.* 18. *de ſent. excom. in VI.*

§. DCCLXVII.

Quae variis modis fieri poteſt.

Contingit autem eccleſiam pollui 1.) ſepultura infidelis nondum baptiſati. 2.) Sepultura excommunicati vitandi. 3.) Iniurioſa et voluntaria humani ſanguinis effuſione vel homicidio. 4.) Humani ſeminis voluntaria et illicita effuſione. Aliis vero criminibus etiam grauioribus eccleſiae non polluuntur.

Can. 27. 28. *diſt. I. de conſecr. cap.* 12. *de ſepult. cap.* 4. 7. *et fin. de conſecr. eccleſ. cap. vn. ibid. in VI.* Barbosa *l. c. alleg.* 28. Wiestner *lib. III. tit.* 40. *artic. II.* Polluta eccleſia coemeterium, ſi ei fuerit contiguum, cenſebitur quoque pollutum; ſecus ſi remotum fuerit ab eadem. At e conuerſo polluto coemeterio, non cenſetur propterea polluta eccleſia tametſi contigua *cap. vn. de conſecr. in VI.* Sed licet altaria non ſemper cum eccleſia execrentur; polluta tamen ea, et ipſa polluuntur.

§. DCCLXVIII.

Polluta eccleſia reconcilianda eſt.

In polluta eccleſia, donec reconcilietur, non peraguntur diuina officia. Haec *Reconcilia-*

[redacted]

ciliatio ſit mediante *aqua Gregoriana*, quae ſicuti a ſolo epiſcopo conſecranda, ita et eccleſiae reconciliatio non niſi per epiſcopum fieri poteſt. Dicunt autem, quod ideo reconcilietur eccleſia, vt videntes locum ſacrum ſeu inanimatum templum nullo peccato obnoxium lauari et purificari, delicti horrore concutiantur et recogitent, quantum pro expiatione delictorum, et viuo DEI templo ſit elaborandum.

Cap. 4. 9. *de conſecr. eccleſ.* VAN ESPEN *l. c. cap. V.* Haec pauca de hac materia dicta ſufficiant.

§. DCCLXIX.

Reparatio eccleſiarum facienda ex bonis fabricae deputatis.

Templa ſemel aedificata et conſecrata, vt ſarta tecta conſeruentur, curandum eſt. Hunc in finem certam partem prouentuum eccleſiaſticorum in reparationem fabricae reſeruarunt canones. Et licet hodie non obtineat quadripartita illa bonorum eccleſ. diuiſio, tamen quae pro frabrica ſpecialiter ſint deputata ex antiqua diſciplina, et hodie in reparationem eccleſiarum impendenda ſunt.

Can. 30. *XII. q. II.*

§. DCCLXX.

[redacted]

§. DCCLXX.

His deficientibus rector eccleſiae aliique beneficiati nec non patroni ad eam contribuere debent.

Si proprios aut ſuperfluos prouentus fabrica non habeat, contribuere ad reparationem debet eccleſiae Rector et alii eius beneficiati de reditibus, qui congruae ſuſtentationi ſuperſunt. His deficientibus patroni, quamuis non percipiant alia emolumenta, quam omnibus patronis communia, et omnes alii, qui fructus aliquos ex dictis eccleſiis prouenientes percipiunt, ad eam tenentur.

Cap. 1. 4. *de eccleſ. aedif.* Trident. *ſeſſ.* XXI. *cap.* 7. *de reform.*

DCCLXXI.

Nec his ſufficientibus recurrendum ad decimatores, atque ad ipſos demum parochianos.

Horum inſufficientia recurrere nos cogit ad decimatores, exceptis iis, qui decimas ſecularizatas poſſident. Demum ipſos parochianos ad aedes parochiales reficiendas compellendos eſſe ſtatutum eſt. Sed nunquam credo adeo indigebit aerarium *eccleſiae*, vt populi ſubſidiis extraordinariis opus ſit.

[redacted]

Quid ſi opus eſſet? nulla niſi principum auctoritate ad hanc pietatem redigentur.

Nomine eccleſiae hoc loco intelliguntur etiam aedes habitationi parochi vel beneficiati deſtinatae. Van Espen *l. c. cap. VI.*

DCCLXXII.

Altarium definitio et diviſio.

Altaria ſunt menſae lapideae ſacrae ad ſacrificium Euchariſtiae in eis offerendum deſtinatae: ſuntque alia *fixa*, ſeu immobilia, quae loco adhaerent. Alia *portatilia* ſeu *viatica*, quae cum exiguae molis ſint, a loco in locum moueri poſſunt. Quia ſunt res ſacrae, non dubium eſt, quin conſecrari debeant ad normam in pontificali romano expreſſam. Ergo et polluuntur, et reconciliantur, et nonnunquam ipſam conſecrationem perdunt.

Quod hodie Altare dicimus, SS. Patres *Menſam myſticam*, *tremendam*, *ſpiritualem*, *diuinam*, *aram incruentam* vocant. Ios. Bingham. *l. c. cap. VI.* §. 14.

TITVLVS XLI.

DE
CELEBRATIONE MISSARVM, ET SACRAMENTO EVCHARISTIAE, ET DIVINIS OFFICIIS.

§. DCCLXXIII.

Officium ſacrum vel late accipitur.

Officium ſacrum ſeu *Liturgia* denotat complexum omnium precum ſtatarum atque rituum in cultu externo peragendo; et imprimis in celebratione Euchariſtiae receptorum, et in libris liturgicis praeſcriptorum.

Liturgiae vocabulum proprie ſignificat quoduis miniſterium. Cassavbon. *ad Baron. Ex XVI.* §. 41. Poſtea vero inualuit, vt vniuerſus cultus ſacer per excellentiam liturgia diceretur, idque ex diſciplina Graecorum, Latini dixerunt *officium*, et inde *diuinum officium.*

§. DCCLXXIV.

Vel ſtricte.

Magis *ſtricte* per *officium diuinum* hoc loco intelligitur *certa ratio laudandi Deum mente ſimul et voce, auctoritate eccleſiae inſtituta.*

Primo diuiditur in *Diurnum* et *Nocturnum*, et dein in *ſeptem horas*. *Nocturnum* complectitur Matutinum cum laudibus. *Diurnum* habet horam primam, tertiam, ſextam, nonam, veſperas et denique completorium. Singulae ex iſtis horis conſtant precibus, *pſalmis*, hymnis rite ordinatis.

Cap. 9. *h. t.* Ord. Rom. de offic. diuin. MICROLOG. *de eccleſ. obſeru.* Mos hic laudandi DEVM eſt antiquiſſimus, et a temporibus Apoſtolorum deriuatur. *Act. II.* 15. *X.* 9. *III.* 1. *XVI.* 25. CARD. BONA *de diuin. Pſalmod. cap. I.*

§. DCCLXXV.

Eſt vel publicum, vel priuatum.

Officium hoc vel recitatur *publice* a tota aliqua communitate, vel *priuatim* et a ſingulis. Immo diuinas laudes non plena ſolum voce, ſed *modulato* etiam *cantu* in eccleſiis plurimis perſoluere ſolent, quem morem et recta ratio, et tota antiquitas comprobat.

S. AVGVSTIN. *epiſt.* 55. *alias* 119. *cap.* 18. BARON. *Annal. ad an.* 60. *num.* 24. *ſeq.* CHRIST. WOLF. *Iur. Nat. P. I. §.* 12.12. 47.

§. DCCLXXVI.

Munus recitandi officium praecipue ad clericos pertinet.

Munus cantandi, et recitandi *publice* horas canonicas pertinet quidem ad peculiares eccle-

ſiae

ſiae miniſtros, ſed non ita clericis proprium eſt, vt non poſſint alii etiam ad hoc miniſterium deputari. Vnde non ſolum per clericos, ſed etiam per laicos, et religioſos clericali ordine non initiatos, immo etiam per foeminas horae canonicae publice recitantur.

§. DCCLXXVII.

Quorum aliqui ad publicam recitationem.

Et quidem ex praecepto eccleſiae *publice* recitari debent a perſonis choro deputatis in omnibus eccleſiis cathedralibus, et collegiatis tam regularibus, quam ſecularibus, immo etiam parochialibus. Verum hac in re locorum conſuetudo praecipue ſpectanda et obſeruanda eſt.

Can. fin. diſt. 92. *cap.* 1. *et* 9. *h. t. cap.* 1. Clement. *h. t.* Svarez. *lib. IV. de hor. canon. cap.* 10. *num.* 2.

§. DCCLXXVIII.

Alii tantum ad priuatam obligantur.

Priuatim ad horarum recitationem quotidianam obligantur, 1.) *Clerici* in ſacris conſtituti, licet ſint ſuſpenſi, depoſiti &c. 2.) *Religioſi* ad chorum profeſſi vi generalis conſuetudinis religionum. 3. *Beneficiati*, licet tenue duntaxat habeant beneficium.

Cap. 1. *et* 9. *h. t. cap.* 15. *de reſcript. in VI.*

§. DCCLXXIX.

§. DCCLXXIX.

Negligentes puniuntur.

Pro clericis et religioſis, qui nullum habent beneficium, horas canonicas negligentibus, nulla conſtituta eſt in iure poena. *Beneficiati* vero culpabiliter penſum horarum non perſoluentes tenentur ad reſtitutionem fructuum pro rata, quae reſtitutio facienda eſt fabricae eccleſiae, cui deſeruiunt, vel pauperibus etiam ante ſententiam declaratoriam iudicis. Sub qua lege etiam parochi et alii curati ratione fructuum breuiario reſpondentium, comprehenduntur.

Bullae LEON. X. *et* PII V EX PROXIMO &c. P. ENGEL *ad h. t. num.* 23. *ſeq.*

§. DCCLXXX.

Tenenda in recitando officii forma et ritus noui breuiarii romani.

In recitando officio teneri debet forma et ritus noui breuiarii romani, a qua obligatione illi ſolum excipiuntur, qui ex inſtitutione a ſede apoſtolica adprobata, vel conſuetudine ducentos annos ſuperante in ritibus ſuis diuerſis ſuſtinentur. Idioma latinum eſt, neque eccleſia hucusque in alia lingua id fieri permiſit.

Tridentinum curam breuiarii pontifici romano reliquit ſeſſ. XXV. contin. Inde *Miſſale romanum*, *Pon-*

Pontificale romanum, *Cerimoniale epiſcoporum*, et *Breuiarium romanum* habemus. SARP. *hiſt. Concil. Trident. lib. VI. pag.* 498. *ſeq.* Linguam vernaculam praeoptant FLEVRI *hiſt. eccleſ. tom. XIII. Diſcurſ. praelim.* §. 24. *in fin.* LVD. ELLIES DV PIN *dans la biblioth. eccleſ. tom. XIX. pag.* 118.

§ DCCLXXXI.

Miſſa definitur.

Miſſa eſt ſacrificium incruentum quod fit conſecratione, oblatione et communione corporis et ſanguinis Chriſti, ſub ſpeciebus panis et vini, ac repreſentatione paſſionis dominicae ad ſalutem fidelium, et remiſſionem peccatorum.

Iſtud variis nominibus adpellatur, *Liturgia*, *Synaxis*, *Oblatio*, *Collecta*, *Miſſa*. Eius prima pars vſque ad offertorium olim vocabatur *Miſſa Catechumenorum*, qua completa iſti dimittebantur. Altera *Miſſa fidelium*. Qua finita dimittitur populus per verba Diaconi: *Ite Miſſa eſt*. Nomen *Miſſa* ergo latinum eſt deriuatum a miſſione ſiue dimiſſione populi. CARD. BONA *lib. I. rer. Liturg.* DV CHANCE *in gloſſar.* voc. *Miſſa*. Add. TRIDENT. *ſeſſ. XXII. cap. IX. de Sacrif. Miſſ.*

§. DCCLXXXII.

Partes eius vel eſſentiales ſunt, vel accidentales.

Miſſae partes vel ſunt *eſſentiales*, vel *accidentales*. Eſſentiales ſunt, conſecratio corpo-

[redacted]

poris et ſanguinis Chriſti, et oblatio. Accidentales ſunt cerimoniae, quibus conſecratio ipſa, et oblatio perficitur.

Chriſtus quidem ſacrificium hoc, vti in *S. Scriptura* expreſſum eſt, ſimpliciter celebrauit; Apoſtolis tamen eorumque ſucceſſoribus ritus ordinandi, ac immutandi poteſtatem dedit. Itaque ſingularum eccleſiarum ritualia ſeruanda ſunt, neque cuiquam priuata auctoritate ritum praeſcriptum mutare licet.

§. DCCLXXXIII.

Miſſa in publicam et priuatam diuiditur.

Miſſa priuata hodie dicitur illa, quae fit ſine cantu et ſolenni pompa a ſolo ſacerdote, vno alteroue miniſtro reſpondente. Miſſa vero *ſolennis* ac *publica* hodie vocatur omnis illa, quae fit cum cantu et aliquali ſaltem ſolenni cerimoniarum adparatu, tametſi etiam pauci adſiſtant, et nemo praeter ſacerdotem celebrantem communicet. Olim vt Miſſa diceretur *ſolennis* ac *publica* exteriori pompae addebant *frequentiam populi offerentis et communicantis.* Hinc Miſſae, quae in monaſteriis etiam cum cantu et exteriori pompa, atque circumſtante monachorum conuentu fiebant, *priuatae* dicebantur.

CARDIN. BONA. *Rer. Liturg. Lib. I. cap.* 13. Quantum ad *communicantes*, certum eſt, Miſſam primitus ſic inſtitutam, omnesque orationes ita eſſe ordinatas, vt non tantum ſacerdos, ſed et adſtantes

tes communicare ſupponantur, immo ſoli fere communicantes ſacrificio intereſſe ſinebantur. Microlog. *de eccleſ. obſeru. cap.* 15. Tepeſcente autem feruore, communio illa quotidiana ſub ſingulis Miſſis redacta eſt ad ſacros miniſtros altari adſiſtentes non improbante, ſed pietatem priſtinam optante eccleſia. Trident. *Seſſ. XXII. cap. 6. de Sacrif. Miſſ.* Dein et *frequentia populi* deſiderabatur. Aſt ſeculo IX. inualuit hodiernum genus *Miſſae priuatae*, quae a quibusdam *ſolitaria* dicta fuit, eo, quod ſacerdos ſolus nemine miniſtrante aut praeſente eam perageret. Hae Miſſae primum in monaſteriis a monachis frequentatae, ſenſim etiam ad presbyteros ſeculares tranſierunt. Sed mox improbatae ſunt, tanquam primario Miſſae inſtituto, ritibusque eccleſiaſticis parum conſonae. Concil. Mogvntin. *an.* 813. *can.* 43. Concil. Pariſiens. VI. *Lib. I. cap.* 48. Igitur receptum eſt, vt ſaltem vnus et mas ſacerdoti miniſtrans adſiſtat. Reprobat omnino conſuetudinem ad talem functionem pueros quoſcunque petulantiſſimos admittendi van Espen *Iur. eccl. vniu. P. II. ſect. I. tit. V. cap. III.*

§. DCCLXXXIV.

Diebus dominicis et feſtis ſolennioribus miſſas celebrare tenentur quicunque ſacerdotes.

Ratione ordinis et officii ſacerdotalis ſacerdoti cuiuis incumbit, vt diebus ſaltem dominicis, et feſtis ſolennioribus Miſſas celebret. Plurimi quoque ſimul hac obligatione tenentur ratione beneficii et officii eccleſiaſtici; quales ſunt parochi aliique beneficia curata obtinentes, diebus illis praecipue, quibus ad Miſſae audi-

auditionem populus chriſtianus ex praecepto eccleſiaſtico obligatur.

Luc. XXII. 19. Trident. *ſeſſ.* XXII. *cap.* 1. *de Sacrif. Miſſ. ſeſſ.* XXIII. *cap.* 14. *de reform. cap.* 9. *h. t.* Gonzalez. in *cap. cit.* Epiſcopis quidem quotidiana celebratio commendatur *cap. fin. de priuileg. in VI.* Satisfaciunt tamen ipſi ceterique eccleſiarum praelati, ſi curent, vt in eccleſiis ſuis quotidie ſaltem vna Miſſa celebretur. *Cap.* 11. *h. t.*

§. DCCLXXXVI.

Non tamen omnes promiſcue admittendi ſunt.

Plane ferendum non eſt, vt ignoti et vagantes ſacerdotes ad ſacra myſteria celebranda paſſim admittantur. Hinc Synod. Trid. ſtatuit: *Nullus clericus peregrinus ſine commendatitiis ſui ordinarii literis ab vllo epiſcopo ad diuina celebranda, et ſacramenta adminiſtranda admittatur.*

Seſſ. XXIII. *cap.* 16. Add. *Decret. de obſer. et euit. in celebr. Miſſ.* Id in eccleſiis etiam regularium licet exemptis obtinere dubium non eſt. Ergo nullus ex aliena dioeceſi ſine literis Ordinarii ſui, in quibus non tantum ordinum ſuſceptorum, ſed et vitae morumque teſtimonium perhibeatur, ad ſacra celebranda admittendus eſſet et nec iſtis quidem inſtructus ſine ſpeciali parochi licentia. Van Espen *l. c. cap.* IX.

§. DCCLXXXVII.

DCCLXXXVI.

Hodie ſacerdotibus extra natalem Domini ſemel tantum eodem die ſacrificare permiſſum eſt.

Sacrificare ſacerdotes licet ob eorum paucitatem olim eodem die et praeſertim maioribus anni feſtiuitatibus pluries potuerint; cum tempore tamen numero presbyterorum inualeſcente et feruore remittente cautum eſt, vt ſingulis diebus *ſemel tantum* ſinguli ſacrificarent, praeterquam in ſolennitate natalis Domini, qua trium Miſſarum celebratio cuiuis ſacerdoti permiſſa eſt.

Can. 11. *diſt.* 2. *de conſecr. can.* 52. *diſt.* 1. *de conſecrat. cap.* 3. *et* 12 *h. t.*

DCCLXXXVII.

Miſſam regulariter nec ante aurorae initium, nec poſt meridiem peragere licet.

Certa hora Miſſae celebrationi a iure non determinata, vſu tamen receptum eſt, vt extra Natalem Domini regulariter ante aurorae initium non peragatur, et poſt meridiem non inchoetur ſecluſo priuilegio. *Locus* de iure communi et ordinarie eſt eccleſia, vel conſecrata aut ſaltim benedicta, inque ea altare conſecratum.

Can. 1. 11. 12. *diſt.* 1. *de conſecr.* TRIDENT. *Decret. de obſeru. in celebr. Miſſ. et conſtit.* CLEMENT. XI. *de an.* 1703.

§. DCCLXXXVIII.

Sacerdoti ſacrificanti ſtipendium conferri conſueuit.

Oblationi panis et vini, inter miſſarum ſolennia antiquitus a laicis fieri ſolitae, ſucceſſit eleemoſyna pecuniaria presbytero celebranti ante vel poſt miſſam collata, quam *honorarium* aut *ſtipendium miſſae* hodie vocamus. Hinc factum eſt, vt ob modicam hanc ſtipem quiuis ſingulas miſſas pro ſe, vel alio ſpecialiter celebrari, et adplicari poſtularet, crederetque. Coepit haec opinio *ſeculo VIII. magis ſeculo IX. tandem vbique paſſim ſeculo XII.* inualuit.

VAN ESPEN *l. c. cap. IV.* MABILLON *in praefat. ad p. I. ſecul. III. benedictin. num.* 62. CHRODEG. *epiſcop. metens. in reg. cap.* 32. ap. HARDVIN. *tom. IV. col.* 1196. PETR. DAMIANI *l. V. epiſt.* 15.

§. DCCLXXXIX.

Cuius intuitu plura inculcanda populo.

Sed ſollicite inſtruendus et monendus eſt populus 1.) ne honorarium illud habeat tanquam pretium ſacrificii, ſed vt voluntariam oblationem. 2.) Ne in numero et magnitudine honorariorum nimium confidat, quaſi eorum ſola oblatione virtutem ſacrificii conſequatur.

3.)

3.) Vt potius ſatagat fidem et charitatem piumque cordis adfectum in ſe excitare, quam adcumulare nummos, quibus multa ſacrificia pro ſe offerri curet. 4.) Quod pauperes non ſecus ac diuites ſe ſacrificii participes facere poſſint. 5.) Quod nullibi praeceptum ſit, vt quis miſſam pro ſe celebrari curet; bene vero quod eccleſia a ſuis primordiis rigide mandauerit, diebus dominicis feſtisque miſſarum ſolenniis deuote adſiſtere.

Van Espen. *l. c. cap. V.* Trident. *ſeſſ. XXII. cap. 2. de ſacrif. miſſ.*

§. DCCXC.

Plura ipſis etiam ſacerdotibus obſeruanda ſunt.

Sacerdotes vero obſeruare debent, 1.) ne ſuo agendi modo de honorariis *mercari* videantur 2.) ne ordinari cupiant pro vtilitate ſua non eccleſiae, adeoque ne de celebratione miſſae artem faciant de pane lucrando, 3.) ne regulares, qui ex honorariis miſſarum victum quaerere ſolent, omnes, modo aetatem adtigerint, ad ſacerdotium mittant, honorarii quotidiani lucrandi cauſa. Inſuper 4.) meminerint, ea tanquam fidelium oblationes, et eleemoſynas in ſuſtentationem miniſtrorum eccleſiae factas, non ſecus, ac alias oblationes bonis eccleſiaſticis eſſe adnumerandas, adeoque falſam eſſe doctorum ideam, qui ea quaſi *patrimonialibus* clericorum adcenſent.

BOET EPO *ad cap.* 1. *de teſtam. num.* 80. TRIDENT. *in decret. de obſeru. et euit. in celebr. miſſ. conſuetudo non obſtantibus quibusdam canonibus paſſim permittit omnibus ſacerdotibus etiam diuinitus accipere eleemoſynam pro miſſa celebrata*, ait P. ZECH *de iur. rer. ſect. II. tit. V.* §. 244. De ſtipendiis ſeu honorariis miſſarum late agit BENEDICTVS XIV. *de ſynod. dioeces l. V. c.* 8. 9. 10. et in *inſtit. eccleſ.* 56. et 92. item *de ſacrif. miſſae ſect. II.* §. 19. et 20.

DE

SACRAMENTO EVCHARISTIAE.

§. DCCXCI.

Nomen euchariſtiae declaratur.

Euchariſtia vox graeca latinis ſignificat *gratiarum actionem*. Ideo autem Sacramentum *corporis et ſanguinis Chriſti* dictum eſt euchariſtia, quod ſaluator noſter illud inſtituendo *gratias egiſſe* DEO patri perhibeatur.

Communio vox olim generalis fuit, complectens omnes ſpecies communionis, quibus aliquis quocumque modo communioni fidelium aut Sacramento reſtituebatur; quod cum per euchariſtiam perfectiſſime fieret, per eam dicebatur quis perfectiſſime communioni reſtitui, eaque *communio perfectiſſima* adpellabatur. ALBASPINAEVS *lib. I. obſ. cap. I.*

§. DCCXCII.

§. DCCXCII.

Exponitur, quid de hoc ſacramento moderna fidei profeſſio habeat.

De hoc Sacramento ità habet hodierna fidei profeſſio: *profiteor in ſanctiſſimo euchariſtiae Sacramento eſſe vere, realiter et ſubſtantialiter corpus et ſanguinem vna cum anima et diuinitate Domini noſtri JESV Chriſti, fierique conuerſionem totius ſubſtantiae panis in corpus, et totius ſubſtantiae vini in ſanguinem, quam conuerſionem catholica eccleſia* TRANSSVBSTANTIATIONEM *adpellat. Fateor etiam ſub altera tantum ſpecie totum atque integrum Chriſtum verumque Sacramentum ſumi.*

TRIDENT. *ſeſſ. XIII. cap. VIII. can.* I. 2. 3. PALLAVICIN. *hiſt. concil. trident. cap.* II. *num.* 15.

§. DCCXCIII.

Panis triticeus et vinum de vite materia huius ſacramenti ſunt.

Materia huius Sacramenti eſt *panis triticeus et vinum de vite.* Quid ſit *panis triticeus,* quid *vinum de vite,* ex vulgari aeſtimatione et iudicio petendum. Illud autem ſat certum, vtrumque panem tam *azymum* quam *fermentatum* eſſe veram, et ſufficientem huius Sacramenti materiam, ipſumque *diuerſum vſum* eſſe vnum de punctis diſciplinae. Vnusquisque tamen hac in re tenetur ritum et morem ſuae

eccleſiae ſeruare, adeoque presbyteri in ecclesia latina non poſſunt vti pane *fermentato* ſub poena amiſſionis officii et beneficii.

Cap. fin. h. t. decret. EVGEN. IV. *pro armen.* CARD. BONA *lib. I. rer. liturg. cap.* 23.

§. DCCXCIV.

Formam eius conſtituunt verba ſaluatoris, quibus hoc confecit ſacramentum.

Forma eius ſunt verba ſaluatoris, quibus hoc confecit ſacramentum. Liturgiae omnes tam orientales quam occidentales antiquae et modernae hac in re conſpirant. Non iisdem tamen verbis in omnibus liturgiis exprimitur forma conſecrationis tam panis quam calicis, atque ipſa hodierna conſecrationis forma latinorum, praeſertim calicis, non eſt tota ac integra de eſſentia ſacramenti. Nihilominus tamen neceſſario ab omnibus ſeruanda.

S. THOMAS 3. *part. q.* 78. *artic.* 1. *et* 3. BENIGN. BOSSVET. *in explicat. quarumd. difficul. circa preces ſacrif. miſſ. num.* 45. VAN ESPEN *iur. eccl. vn. p. II. ſect. I. tit. IV. cap. I. §.* 10. 11 *ſeq.*

§. DCCXCV.

Miniſter quoad confectionem ſolus eſt ſacerdos.

Si ipſius ſacramenti confectionem ſpectemus, eius miniſter eſt ſolus ſacerdos legitime or-

ordinatus. Si autem euchariſtiae iam confectae adminiſtrationem ſpectemus, ea aliquando etiam Diaconis competiit, tanquam epiſcoporum et ſacerdotum miniſtris. Sed hodie ſoli presbyteri euchariſtiam adminiſtrant: et quidem non omnibus, ſed ſolis parochis competit, vt ſuis parochianis eam praebeant; cum ſicut aliorum ſacramentorum, ita et huius ordinarii ſunt miniſtri.

Concil. Nicaen. *can.* 18. Ivstin. Mart. *apolog. II.* Constit. Apost. *lib. VIII. cap.* 28. Concil. Carthag. IV. ap. Grat. *can.* 18. *diſt.* 93. Conformiter ad hoc parochorum ius aliquando vetitum erat religioſis euchariſtiam ſine conſenſu parochi populo diſtribuere. Clement. 1. *de priuileg.* Sed poſtquam etiam in religioſorum eccleſiis, et aliis ſacellis *publicae miſſae* celebrari coeperunt, ſimul etiam inualuit, vt non tantum religioſi, ſed quicunque presbyteri ſine vlla ſpeciali parochialis presbyteri licentia quibusuis petentibus euchariſtiam ſaltem extra tempus paſchale adminiſtrarent. Van Espen *l. c.* §. 21. *ſeq.*

§. DCCXCVI.

Euchariſtia hodie iis tantum praebenda eſt, qui vſu rationis gaudent, et rite ſunt inſtructi.

Olim recenter baptizatis etiam, infantibus data eſt euchariſtia. Id etiamnum hodie apud graecos ſeruatur. Eccleſia vero latina tametſi nec antiquam latinorum patrum diſciplinam, nec modernam graecorum improbet; nihilominus ob reuerentiam tanto ſacramento debi-

tam, contrariam diſciplinam ſeculo XII., et ſequentibus ſenſim inductam merito declarauit, eſſe retinendam. Hinc *non admittuntur hodie pueri, niſi ad vſum rationis pertigerint*, et rite ſint inſtructi.

TRIDENT. *ſeſſ.* 21. *cap.* 4. *de comm.*

§. DCCXCVII.

Publici peccatores a ſacra communione repellendi ſunt.

Porro non tantum priſtina, ſed etiam moderna diſciplina eccleſiae vult, vt a ſacra communione repellantur *publici* et *notorii peccatores*, licet etiam publice eam petant, et abſolutionis acceptae teſtimonium adferant. *Occultos* vero *peccatores*, ſi occulte petant, et eos non emendatos agnouerit ſacerdos, repellat: non autem ſi publice petant, et ſine ſcandalo ipſos praeterire nequeat.

VAN ESPEN *l. c. cap. II. §.* 18. *ſeq.*

DCCXCVIII.

In primaeua eccleſia fideles ſingulis diebus communicabant.

In primordiis eccleſiae fideles quotidie communicabant, et in eccleſia latina etiam vſque *ad ſeculum V.* in aliquibus ſaltem eccleſiis feruor iſte perdurauit. Sed mox refriguit ita, vt non tantum inuitari, ſed et vrgeri, immo-

mo et poenis, quodammodo conſtringi debuerint, idque non, vt quotidie, ſed vt ſaltim in praecipuis feſtiuitatibus hoc diuino alimento reficerentur fideles.

Act. II. et IV. S. Hieron. *epiſt. V. ad Pammach.* Cardin. Bona *l. c. cap.* 17. *num.* 2. In Synod. Agathens. *ſeculo VI.* decretum eſt *can.* 18. ſeculares, qui in *natali Domini*, *paſcha*, *et pentecoſte* non communicauerint catholici non credantur, nec inter catholicos habeantur ap. Grat. *can.* 9. *diſt.* 2. *de conſecr.* Add. *can.* 16. *ibid.*

§. DCCXCIX.

Hodie paſcalis ſaltem communio praecepta eſt.

Tandem labente per vniuerſum orbem pietatis ſtudio, coacta fuit eccleſia praeceptum ſuum *ad annuam communionem* reſtringere. Factum id eſt in concilio lateranenſi anno 1216; cuius canonem prae oculis habens Synod. Trident. declarat: *Si quis negauerit omnes et ſingulos Chriſti fideles vtriusque ſexus, cum ad annos diſcretionis peruenerint teneri ſingulis annis ſaltem in paſcate ad communicandum, iuxta praeceptum S. matris eccleſiae, anathema ſit.*

Cap. 12. *de poenit. et remiſſ. ſeſſ. XIII. can.* 9. *de euchar.* Add. *ſeſſ. XXII. cap.* 6. *de ſacrif. miſſ.* Benedictus XIV. *lib. VII. de ſynod. dioeces cap,* 12. Eugenius IV. in bull. fide digna etc.

§. DCCC.

Eaque facienda in propria parochia.

Haec communio paſchalis in *propria parochia* fieri debet, atque ad eam tenentur omnes generaliter Chriſti fideles, niſi forte de conſilio proprii ſacerdotis ob aliquam rationabilem cauſam ad tempus ab eius perceptione quis duxerit abſtinendum. Quiuis enim qui habet poteſtatem confeſſionem excipiendi in paſchate, etiam habet poteſtatem tempus communionis paſchalis reſpectu ſui poenitentis prorogandi.

§. DCCCI.

Negligentes arcentur ab ingreſſu eccleſiae, et mortuis denegatur ſepultura eccleſiaſtica.

Poena autem non communicantis in paſchate eſt, vt *viuens ab ingreſſu eccleſiae arceatur*, et *moriens eccleſiaſtica careat ſepultura.* Hic duo notanda ſunt: 1.) ambiguum ſatis eſſe, an haec poena *latae*, an *ferendae* ſit ſententiae: 2.) licet iam pridem SS. patres fideles ad S. communionem hortarentur, eamque praecepiſſet eccleſia, tamen nequaquam legimus ante concilium lateranenſe ad eam ſub comminatione cenſurarum fuiſſe adactos. Id autem certum eſt, non habere parochos poteſtatem, poenam hanc exequendi, ſed duntaxat deferendi ad epiſcopum, qui re maturius examinata hominem

dela-

delatum vel abſoluat, vel ad poenam canone decretam condemnet.

§. DCCCII.

Infirmorum duplex eſt communio.

Duplex eſt infirmorum communio euchariſtica, vna per modum *viatici*, altera ex *deuotione*. Inter vtramque haec notatur diuerſitas, quod poſſit quidem viaticum *breui morituris* dari non *ieiunis*: ceteris autem infirmis, qui ex deuotione in aegritudine communicant, danda ſit euchariſtia ante omnem cibum et potum. Similiter aliam formam diſtribuendi euchariſtiam per modum viatici, aliam per modum deuotionis ritualia praeſcribunt.

Viaticum olim dicebatur id omne, quod morituris prodeſſe poſſet, vt ſecurius in alteram vitam proficiſcerentur Albaspinaeus *l. c.* Hodie vero nomine viatici ſola communio euchariſtica morituris adminiſtrata intelligitur.

§. DCCCIII.

Vtraque a ſolo parocho diſtribuenda.

Illud vtrique communioni infirmorum commune eſt, quod etiam iuxta modernam diſciplinam a parocho ad infirmos deferenda atque a *ſolo parocho* iis diſtribuenda ſit, et nemo alius extra caſum neceſſitatis ad domos infirmorum eam ſine parochi licentia deferre poſſit. Hinc

pri-

[redacted]

priuilegia data regularibus hac in re, intelligi debent de adminiſtratione huius Sacramenti in propriis ſuis eccleſiis. Quodſi vltra progredi adtentent, excommunicationi ſubiacebunt.

TRIDENT. *ſeſſ. XXIV. cap.* 13. *de ref. clement.* 1. *de priuileg.* AVG. BARBOSA *de off. paroch. p. II. cap.* 20. *num.* 8. Parochus autem omni tempore paratus eſſe debet adminiſtrare infirmis hoc Sacramentum, tam noctu, quam interdiu, licet noctu hoc Sacramentum deferri non debeat, niſi neceſſitas vrgeat.

§. DCCCIV.

Seruato ritu ab eccleſia praeſcripto.

Quo ritu olim ad aegros euchariſtia fuerit delata, non ſatis eſt expeditum. Hodie mandatur ſacerdoti, *vt eam in decenti habitu ſuperpoſito mundo velamine ferat, et referat manifeſte ac honorifice ante pectus, cum omni reuerentia et timore ſemper lumine praecedente, cum ſit candor lucis aeternae, vt ex hoc apud omnes fides et deuotio augeatur.*

Cap. 10. *h. t.*

§. DCCCV.

Circumgeſtatio euchariſtiae olim incognita, ſerius in eccleſia inualuit.

Incertum eſt, quando in eccleſia SS. euchariſtiae Sacramentum publice per plateas ſolenni

lenni pompa circumferri, atque *proceſſiones* frequentari coeperint. Certe primis decem ſeculis huiusmodi circumgeſtationes euchariſtiae fuerunt penitus ignotae. Veriſimile eſt, eas *ſeculo XIV. et XV* paulatim inualuiſſe, citius in quibusdam, in aliis eccleſiis ſerius ad ſolennitatem inſtitutae feſtiuitatis *corporis Chriſti* augendam.

MARTIN. V. *in bull.* INEFFABILE. CHRIST. LVP. *in tract. de ſacr. proceſſ. cap.* 2. Plures credunt, hodiernas cum Venerabili proceſſiones inſtitutas fuiſſe ſub VRBANO IV., qui anno 1264. ſolennitatem corporis Chriſti feria quinta poſt octauam pentecoſtes celebrandam inſtituit edita bulla: TRANSITVRVS etc. quae a IOANNE XXII. ſub nomine CLEMENTIS V. in *concilio vienneſi* inſerta eſt *in clement. cap. vn. de reliq. et vener. ſanct.* Sed id nulla ſolida ratione probari poteſt. VAN ESPEN *l. c. cap. V.* §. 4. *ſeqq.* Add. ANT. SANDINI in vitis pontificum de VRBANO IV. *in ſchol.* 2.

§. DCCCVI.

Nullibi tamen praecepta eſt.

SYNODVS TRIDENTINA de hoc proceſſionum vſu tum in eccleſia latina ſtabilito declarat, *pie et religioſe admodum in* DEI *eccleſiam inductum fuiſſe hunc morem, vt ſingulis annis peculiari quodam et feſto die praecelſum hoc, et venerabile ſacramentum ſingulari veneratione ac ſolennitate celebraretur, vtque in proceſſionibus reuerenter, et honorifice illud per vias et loca publica circumferretur.*

Seſſ. XIII. cap. 5. *de euchar.*

§. DCCCVII.

§. DCCCVII.

Vſus etiam expoſitionis huius ſacramenti recentior.

Euchariſtia multis ſeculis etiam *in eccleſia* extra ipſius ſumtionem, et miſſarum ſolennia publice populo ad adorandum expoſita non fuit. Sed *recepto ſeculo XV. Oſtenſoriorum* ſiue *monſtrantiarum* vſu hoc ſacramentum primum in illis poſitum *viſibiliter* in proceſſionibus delatum; dein etiam publice extra proceſſiones in altari ad adorandum expoſitum fuit; idque primum durante officio diuino, aut eius aliqua parte in feſto corporis Chriſti; dein integro illo die; poſtmodum per eius octauam, ac tandem nonnullis aliis diebus et ſolennitatibus, atque ita ſenſim ad modernam diſciplinam delapſi ſumus.

§. DCCCVIII.

Fidei tamen verae conformis eſt.

Licet iam fatendum ſit, recentiorem eſſe hanc diſciplinam, ea tamen *nihil* ipſius *euchariſtiae inſtitutioni, aut fidei eccleſiae catholicae contrarium* continet, immo eius legitimus vſus ex ipſa fide eccleſiae probatur. Illud vero ab epiſcopis, et eccleſiarum praelatis attendendum, quorum ſicuti eſt publicas venerabilis Sacramenti circumgeſtationes aliasque proceſſiones, ita quoque publicam euchariſtiae expoſitionem ordinare et dirigere, ne eius frequen-

quentia minuat reuerentiam, ne ad cuiuslibet pene deuotionem, et priuatis ſaepe ex cauſis palam ſpectanda exhibeatur.

TRIDENT. *ſeſſ. XIII. cap.* 4. 5. *de euchar.* VAN ESPEN *l. c. cap. V.* §. 10. *ſeq.*

TITVLVS XLII.

DE

BAPTISMO ET EIVS EFFECTV.

TITVLVS XLIII.

DE

PRESBYTERIS NON BAPTIZATIS.

§. DCCCIX.

Baptiſmus deſcribitur.

Baptiſmus graecum nomen alias omne ablutionis genus ſignificat; hic vero quatenus ad iurisprudentiam ſpectat, deſcribi poteſt, quod ſit Sacramentum regenerationis, quo fit ablutio hominis ſub forma a Chriſto praeſcripta, aliisque ſolennibus facta, quibus mediantibus quis in eccleſiam recipitur, et abhinc certis effectibus ſpiritualibus et ciuilibus vtitur.

Pri-

Primum et maxime neceſſarium Sacramentum eſt Baptiſmus atque aliorum Sacramentorum ianua et fundamentum. SYNOD. TRID. *ſeſſ. VI. de iuſtificatione et ſeſſ. VII. de baptiſmo cap.* 2. *de cogn. ſpir. in VI.*

§. DCCCX.

Solus baptiſmus fluminis verus eſt baptiſmus.

Verus et proprius baptiſmus eſt tantum vnicus, et dicitur *baptiſmus fluminis*, quem theologi definiunt *Sacramentum regenerationis per aquam in verbo.* Huic tamen addunt Baptiſmum *flaminis* et *ſanguinis.* *Ille* in perfecta peccatorum deteſtatione ex DEI amore, et deſiderio recipiendi Sacramentum baptiſmi conſiſtit. *Iſte* autem fit per martyrium pro Chriſto toleratum.

CATHECHESIS CONCIL. TRID. *lib. II. cap.* 2. *et* 3. *de presb. non bapt. can.* 34. 37. *diſt. IV. de conſecr.* S. AVGVSTIN. *lib. III. de ciuit.* DEI *cap.* 7. Licet baptiſmus ſanguinis et flaminis ſuppleat vices Sacramenti, neuter tamen eſt Sacramentum, neque verus baptiſmus, ſed ſolus baptiſmus aquae ſiue fluminis rationem veri Sacramenti nouae legis habet. Ad EPHES. *V.* 26. *ad tit. III.* 5. IOAN. *III.* 5. MARC. *vlt.* 16.

§. DCCCXI.

Forma eius exponitur.

Forma baptiſmi conſiſtit in verbis, quibus exprimatur actus baptizantis, perſona baptizandi,

-zandi, et diſtincta inuocatio perſonarum Trinitatis in vna eſſentia. Eccleſia latina vtitur hac formula: *Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus ſancti.* Graeci alia eodem tamen modo ſufficiente.

Cap. 1. *de bapt.* EVGEN. IV. *in decret. vnion. armen.* MORIN. *de poenit. lib. III. cap.* 16. VAN ESPEN. *p. II. iur. eccl. vniu. ſect. I. tit. II. cap. II.*

§. DCCCXII.

Materia conſiſtit in aqua naturali.

Materia baptiſmi eſt *aqua naturalis*, vnde ſaliuae adſperſio non ſufficit ad baptiſmum. Quo modo aqua adhibeatur ſiue per immerſionem, ſiue per adſperſionem, ſiue per infuſionem aquae parum intereſt. Seruandus hic eſt eccleſiae cuiusuis ritus.

Cap. 5. *de bapt.* TRIDENT. *ſeſſ. VII. can.* 2. *de bapt* VAN ESPEN. *l. c. cap. I.*

§. DCCCXIII.

Miniſter ordinarius praeter epiſcopum eſt parochus vel cum licentia eius alius ſacerdos.

Miniſter baptiſmi ordinarius praeprimis eſt *epiſcopus*: poſt hunc parochus et hodie quidem iure proprio et ordinario, vel alius ſacerdos a parocho vel ordinario delegatus; immo et diaconis ſolennis baptiſmi adminiſtratio dele-

gari poteſt, non autem inferioribus clericis aut laicis: ſine cerimoniis et in caſu neceſſitatis, non tantum presbyteris et diaconis et clericis, ſed et laicis in caſu neceſſitatis; quin immo etiam haereticis et paganis ius eſt baptizandi, immo et mulieribus.

TERTVLLIAN. *lib. de bapt. cap.* 16. *et* 17. S. AVGVSTIN. ap. GRAT. *can.* 20. 21. 23. 24. 28. 29. 34. *diſt. IV. de conſecr. item can.* 10. *I. q. I. et can.* 4. *XXX. q. III.* CONCIL. LATERANENS. IV *c.* 1. CONCIL. FLORENTIN. *in decret. pro armen. can.* 23. 24. *diſt. IV. de conſecr.* Sed nemo ne quidem in caſu neceſſitatis ſe ipſum baptizare poteſt *cap.* 4. *de bapt.*

§. DCCCXIV.

Baptiſmus conferendus in propria parochia.

Quemadmodum olim pene ſoli epiſcopi baptiſmum ſolennem conferebant, ita in ſola eccleſia epiſcopali, vel certe baptiſterio illi iuncto baptiſmus ſolennis adminiſtrabatur. Multiplicato fidelium numero etiam in vna ciuitate plura baptiſteria conſtrui coepere, non tamen niſi in principalioribus eccleſiis, aut prope eas, quas propterea *baptiſmales* dixerunt. Dum dein parochi facti ſunt ordinarii miniſtri baptiſmi, tunc quoque contigit, vt omnes paſſim erectae parochiales eccleſiae baptiſterium acceperint. Itaque parochiani ſinguli in ſua reſpectiue eccleſia parochiali baptizandi ſunt.

CHRIST. LVP. *de afric. eccleſ. appell. cap.* 28. DV CANGE *gloſſar.* verb. *baptiſterium.* Igitur CLEMENS V. in

in clementina vnica h. t. prohibuit, *ne quis de cetero in aulis vel cameris, aut aliis priuatis domibus; ſed duntaxat in eccleſiis, in quibus ſunt ad hoc fontes ſpecialiter deputati, aliquos (niſi regum vel principum, quibus valeat in hoc caſu deferri, liberi extiterint, aut talis neceſſitas emerſerit, propter quam nequeat ad eccleſiam abſque periculo propter hoc acceſſus haberi) audeat baptizare.* Neque in eccleſiis conuentualibus baptiſmus recte confertur *can.* 7. *XVIII. q. II. clem.* 2. *de priuileg.*

§. DCCCXV.

Quocunque tempore.

Olim ſolenni baptiſmo duo tempora, ſcilicet *paſchatis* et *pentecoſtes* praeſcripta erant, et conſuetudo extra illud tempus conferendi baptiſmum non ſemel fuit improbata, ita tamen vt ſemper exceptus fuerit *caſus neceſſitatis.* Quia vero tandem inualuit, vt vix alii quam infantes ad baptiſmum veniant, hinc quoque factum eſt, vt baptiſmus etiam ſolennis non tantum infantibus, ſed etiam adultis conferri quouis tempore coeperit. Plura tamen adhuc hodie ſuperſunt veteris ritus veſtigia.

Tertvllian. *l. c. cap.* 19. Siricivs *ad* Himer. Tarracon. *cap.* 2. ap. Grat. *can.* 11. *diſt. IV. de conſecr.* S. Leo *ad epiſc. ſicil.* ap. Grat. *can.* 12. 13. 14. 15. 17. 18. *l. c.*

§. DCCCXVI.

Etiam infantes baptiſmo offerri poſſunt.

Non ſolum *adulti*, ſed etiam *infantes* recte *baptizantur*, et parentes quidem chriſtiani a-

digi poſſunt ad liberos lauacro huic offerendos. Non autem monſtrum vel foetus mortuus, niſi quod in dubio adhiberi poſſit conditio. Debet autem *infans* baptizandus iam eſſe natus nec baptizatus cenſetur in vtero, ſi mater praegnans baptizetur. In *adultis* requiritur intellectus et voluntas, et ſedula praeparatio. Hinc cum olim per cathechiſmum praeparandi erant, *cathecumenorum* nomen geſſerunt.

Can. 7. 8. 74. 76. 110. 114. 129. 130. 138. *diſt. IV. de conſecr. cap.* 3. *in fin. de presb. non bapt. c.* 2. *et* 3. *de bapt.* RECES. IMP. *de an.* 1529. §. 6.

§. DCCCXVII.

Cerimoniae hodie continua ſerie adplicantur.

Cerimoniae in adminiſtratione baptiſmi adhiberi ſolitae ſunt antiquiſſimae, et a primis eccleſiae ſeculis deriuatae. Olim adultis, dum cathecumeni erant, diuerſis ſucceſſiue diebus adplicabantur, vt in vigilia paſchatis et pentecoſtes ablui poſſent. Hodie infantibus recens natis quouis die continua ſerie adplicantur.

De ritibus baptiſmi praeter VAN ESPEN *l. c. cap. IV.* ordinatim exponit P. ZECH. *de iur. rer. ſect. II. tit. II.* §. 198. *ſeq.* Additque vtiliſſima quaedam a parochis circa baptiſmum euitanda et praecauenda §. 203.

§. DCCCXVIII.

Baptiſmo etiam patrinos adeſſe oportet.

Adſunt etiam baptiſmo *patrini*, qui *ſuſcipere* dicuntur infantem ex lauacro, qui *ſpon-*

ſo-

ſores, *teſtes*, *ſuſceptores*, *fideiuſſores*, quarum adpellationum propriae ſunt rationes, vocantur. De eorum origine varie ſentiunt eruditi. Quidquid ſit, eorum ſumma ſemper fuit ratio, et officium grauiſſimum, quod S. AVGVSTIN. *can.* 105. *de conſecr. diſt. IV.* deſcribit.

GERH. VAN MASTRICHT. *de ſuſcept. infant. ex bapt. pag.* 16. BOEHMER. *iur. eccl. publ. ad h. t.* §. 35. *ſeq.* VAN ESPEN *l. c. cap. V.*

§. DCCCXIX.

Non tamen omnes ad hoc officium admittendi ſunt.

Hac de cauſa merito delectus in patrinis rogandis, et admittendis ſeruandus eſſet. Igitur excluduntur 1.) qui *nondum baptizati*, nec *confirmati.* 2.) *Abbates*, *monachi*, *moniales*; 3.) *excluſi a ſacro commercio*; quales ſunt excommunicati, et in ſtatu poenitentiae conſtituti: 4.) *haeretici*, 5.) *parentes* quoque tandem excluſi ſunt, poſtquam cognatio ſpiritualis oriri coepit.

Can. 102. 103. 3. *diſt. IV. de conſecr.* Numerus patrinorum in ſe quidem arbitrarius eſt, reſtrictus tamen eſt iure canonico ad duos tantum patrinos diuerſi ſexus *cap. fin. de cogn. ſpirit. in VI.* TRIDENT. *ſeſſ. XXIV. c.* 2. *de ref. matrim.*

§. DCCCXX.

Effectus baptiſmi ſunt vel interni, vel ſpirituales, vel externi et ciuiles.

Effectus ſunt vel *ſpirituales*, et *interni*, vel *ciuiles et externi*. De illis theologi agunt. Ad ciuiles vero referri debent: 1.) efficit membrum eccleſiae; 2.) infideles baptizati macula, qua laborabant, liberantur, fiuntque honeſti, vt ad ciuium iura, honoresque admitti queant; 3.) liberantur a cenſu tolerantiae, et omni nota ſeruitutis; 4.) mancipia infidelium olim, mox fiebant libera, ſoluto tamen Dominis pretio.

Cap. 5. de bapt. cap. 13. de iud. cap. 21. in fin. de teſt. l. 56. §. 3. cod. de epiſc. et cler. c. 19. de iud. can. 94. de conſecr. diſt. IV. cap. 3. de bapt.

§. DCCCXXI.

Vlteriores effectus eius recenſentur.

Addam duos alios notabiles adhuc effectus, 1.) quod baptiſmus imprimat *characterem indelebilem*, et ideo etiam iterari nequeat in eadem perſona, et 2.) quod tribuat *capacitatem ad ſuſcipienda alia Sacramenta*, et ius ad illa.

Vid. tit. de apoſtaſ. et reit. bapt. et tit. cod. ne ſanctum bapt. iter. c. 2. de cognat. ſpirit. in VI.

[redacted]

§. DCCCXXII.

Sacramentum hoc ante alia ſuſcipiendum.

Cum igitur baptiſmus ſit omnium Sacramentorum ianua, et fundamentum; recte deciditur, quod *ſi presbyter ordinatus deprehenderit ſe non eſſe baptizatum, baptizari et ordinari debeat.*

Ita ſonant verba *c.* 1. *de presbyt. non baptizat.* Add. *can.* 70. *I. q. I.* et *capitul.* 94. *lib. LVI.* ap. Baluz. *tit. I. col.* In dubio tamen praeſumendum eſt, quod presbyter ordinatus natus ex chriſtianis parentibus, et inter chriſtianos educatus, fuerit baptizatus, donec contrarium euidentiſſime probetur. *c.* 3. *eod.*

TITVLVS XLIV.

DE CVSTODIA EVCHARISTIAE, CHRISMATIS, ET ALIORVM SACRAMENTORVM.

§. DCCCXXIII.

Euchariſtia ſemper parata adſeruari debet.

Cum multis, et ſaepe inopinatis caſibus, infantibus primum in lucem editis baptiſmum; et aliis fidelibus infirmis ſacrum viaticum et ex-

extremam vnctionem miniſtrari ſit neceſſe: ſanctiſſima euchariſtia, aliaque pro illorum neceſſitatibus ſemper parata adſeruari debent.

§. DCCCXXIV.

Et regulariter quidem in eccleſiis tantum parochialibus.

Qua de re notandum eſt, 1.) vt in eccleſia *euchariſtia*, *chriſma* et *alia* ad Sacramentorum vſum deputata cuſtodiantur: 2.) regulariter tantum *in eccleſiis parochialibus*, non item in capellis, vel aliis eiusmodi eccleſiis non parochialibus; 3.) adſeruanda eſt *in tabernaculo*, ſeu ſacrario ad id decenter ornato, ante quod diu noctuque lampas ardeat. 4.) Ne res profanae *extra caſum neceſſitatis* in eccleſiis reponantur, 5.) vt *oraria* (*oratoria* alii legunt:) *vaſa*, *corporalia*, *purificatoria*, et reliqua eccleſiae *munda*, et nitida ſint.

SYNOD. TRID. *ſeſſ. XIII. cap. 6. de ref. cap. 1. et 2. h. t.* add. CARD. BONA *rer. liturg. lib. I. cap. 24 num. 6.*

TI-

TITVLVS XLV.

DE

RELIQVIIS, ET VENERATIONE SANCTORVM.

§. DCCCXXV.

Sancti et beati differunt.

Sancti dicuntur, qui cum fama ſanctitatis et miraculorum ex hac vita diſceſſerunt, et ab eccleſia in canonem ſanctorum relati ſunt. *Beati* vero, qui ab eccleſia numero beatorum adſcripti ſunt. Differunt *a ſanctis*, quod hi ab omnibus, et omni *cultus religioſi* ſpecie, ac vbique; beati autem cum reſtrictione ad certum cultum, aut ſaltem pro certo loco, aut genere perſonarum publice coli permittantur.

§. DCCCXXVI.

Cultus conueniens ſanctis eſt vel publicus vel priuatus.

Veneratio eſt cultus conueniens ſanctis, et beatis tanquam Dei amicis; et vocatur cultus *Duliae*, quatenus ſcilicet cultui *latreutico*, qui ſoli Deo exhibetur, opponitur. Hic cultus duplex eſt, *publicus*, qui auctoritate eccleſiae permittitur: *priuatus*, qui ex priuata fidelium deuotione exhibetur.

[redacted]

DCCCXXVII.

Primo ſolis martyribus, poſtea etiam confeſſoribus et virginibus honor ſacrae apotheoſeos deferri coepit.

In canonizatione ſanctorum eccleſia non vnum, eundemque modum ſeruauit. Primis ſeculis modus hic fuit ſimpliciſſimus; et primitus *martyribus* tantum hic honor deferebatur. *Confeſſores* et *virgines* ſerius hac ſacra *apotheoſi* inſignitae fuerunt, videturque BONIFACIVS IV. demum, qui floruit anno 608. hunc honorem confeſſoribus, et virginibus primus detuliſſe. Et conſtat id etiam ex eo, quod in antiquo canone miſſae, tantum martyrum fiat mentio.

§. DCCCXXVIII.

Proceſſus ſanctificationis olim ſimpliciſſimus erat.

Proceſſus ſanctificationis tunc erat breuiſſimus, et ſimpliciſſimus; et ſanctificatio conſtabat in eo, quod fideles feruenti pietatis ſtudio illos, qui ſanctitatis et miraculorum fama inſignes defuncti fuerant, colerent ita, vt etiam *epiſcoporum auctoritate* talis cultus publicus alicui ſancto potuerit exhiberi.

VAN ESPEN *iur. eccl. vniu. p. I. tit. XXII. c. 9.*

§. DCCCXXIX.

[redacted]

eſſet praeſcriptio. Quidquid ſit de moderno canonizationis et beatificationis ritu prae oculis habenda eſt *definitio* VRBANI VIII. *Quoad imagines nondum a ſede apoſtolica canonizatorum, vel beatificatorum* in generali congregatione Romae an. 1625. data, in qua poſt varia decreta hac in materia condita declarat §. 4. VRBANVS: *Quod per ſuperſcripta praeiudicare in aliquo non velit, neque intendat iis, qui aut per communem eccleſiae conſenſum, vel immemorabilem temporis curſum, aut per patrum virorumque ſanctorum ſcripta, vel longiſſimi temporis ſcientia, ac tolerantiae ſedis apoſtolicae, vel ordinarii coluntur* BVLLAR. MAGN. *t. IV. fol.* 85. quam deinde firmauit in *bulla:* COELESTIS de an. 1634. *eod. tom. in append. fol.* 34. Add. VAN ESPEN *cit. loc. c.* 10.

§. DCCCXXX.

Pontifex imo et tota eccleſia falli poteſt, non ſolum in beatificatione

An vero *papa*, immo vel *tota eccleſia* in *canonizatione* ſanctorum ſit *infallibilis*, quaeſtio eſt anceps, et difficilis. Illud inprimis mihi ſatis certum eſſe videtur, quod 1.) nec relatio alicuius in martyrologium, et breuiarium romanum; nec 2.) relatio in album ſanctorum, quam beatificationem dicimus, particulari alicui eccleſiae, prouinciae, regno, aut ordini religioſo facultatem impertiens *colendi aliquem* vt SANCTVM: nec etiam 3.) cultus publicus ex adclamatione populi originem trahens, infallibilia ſanctitatis ſuppeditent argumenta.

Errari hic poſſe (ait CHRISTIAN. LVPVS *tom. III. ſchol. in canones pag.* 573. *et ſeqq.*) *docet numera martyrologii*

logii romani purgatio, quae plures donatiſtarum, ac aliorum haereticorum falſos martyres merito expunxit: et paucis interiectis ſubiungit; *eandem eſſe rationem de inſertione in romanum breuiarium.*

§. DCCCXXXI.

Sed ipſa etiam canonizatione.

Sola proinde quaeſtio ſupereſt *de relatione alicuius in numerum ſanctorum*, quae more loquendi hodierno *canonizatio* dicitur, qua nimirum praeuio ſolenni rituum et cerimoniarum adparatu a romano pontifice, vel concilio quiſquam catalogo ſanctorum adſcribitur, et vt talis toti eccleſiae colendus praeponitur, vtrum inde oriatur indubitatum et infallibile ſanctitatis argumentum? Conſtat inprimis *de fide non eſſe* papam, immo et concilium generale in huiusmodi canonizationis negotio errare non poſſe. Inde etiam eſt, quod theologi, et iuris ſacri interpretes non pauci magni nominis, *infallibilitatem eccleſiae* in hoc negotio non tantum in dubium trahant, ſed ſine diſſimulatione eandem quoque negent. Nec mihi deeſſe videtur grauiſſimum negandi ex ipſius, et negotii circumſtantiis reſultans argumentum. Eſt enim canonizatio nil aliud, quam iudicium, quod romanus pontifex, vel eccleſia in concilio congregata ferunt de ſanctitate hominis cuiusdam pie defuncti, quae 1.) in ſincera morum probitate 2) infucato virtutum exercitio, 3.) aliisque actionibus externis innocentiam vitae internam praeſeferentibus: nec non 4.) in miraculis ab eo in vita, vel 5.) poſt mor-

tem

[redacted]

gem patratis conſiſtere iudicatur. Cum autem de horum omnium exiſtentia, et veritate non aliter, quam inſtituto praeuio, adcurato, et exacto examine et inquiſitione, teſtibus, inſtrumentis, aliisque documentis fide digniſſimis conſtare poſſit; per ſe patet, quod iudicium pontificis, vel eccleſiae in tali quaeſtione *facti* argumentis mere humanis nixum, quae fallere poſſunt, tamdiu ab errandi periculo minime alienum eſſe cenſeri debeat, quamdiu infallibili verbi DEI ſcripti, vel non ſcripti auctoritate, et teſtimonio euinci non poteſt, quod cuiuslibet hominis fidelis in domino mortui ſanctitas obiectum reuelationis diuinae conſtituat. Sed vbi hoc ſcriptum, vel traditum eſſe legimus?

Huius[d] opinionis eſt GLOSSA *ad cap.* vn. *h. t. in VI.* adiecta. FRANCISC. VERONIVS *in ſua regula fidei*, quam vt vtiliſſimam pro conuertendis haereticis probarunt, et adprobarunt fratres WALABVRGENSES. CHRIST. LVPVS *loc. cit.* hac de re ſequentem in modum ratiocinatur: *canonizantur enim maxime ex miraculis factis poſt tempora apoſtolorum, quorum miraculorum plenae ſunt vitae ſanctorum, tum in vita, tum poſt mortem ab eisdem editorum. Aſt nullum talium miraculorum eſt reuelatum in verbo* DEI, *proinde nullum eſt de fide diuina. Quomodo ergo canonizatio ex illis facta ſeu iudicium eccleſiae*, QVOD SINT SANCTI, *fide diuina credendum? Nulla ergo bulla canonizationis, quae fere omnes ſunt romanorum pontificum, et continent quaeſtionem ſeu doctrinam facti, ſcilicet* HVNC VEL ILLVM ESSE SANCTVM, *facient rem de fide.* Addatur ratiocinium LVD. MVRATOR. *de ingen. moderat. in relig. negot. cap. XVII. p. m.* 76. qui locus etſi paulo longior, integer tamen adſcribendus eſt: *Ad eccleſiam*, inquit, *ad generalia concilia, ad apo-*

ſto-

ſtolicam ſedem pertinet in ſanctorum canonem referre homines conſummatae ſanctitatis, gloria, dum viuerent, illuſtres, et poſt mortem miraculis claros. Diſciplinae leges eorum cultum ita indicere poſſunt, et ad vniuerſam eccleſiam extendere, vt non ſolum pium, ac laudabile ſit, huiusmodi ſanctos inuocare, et ſibi adſciſcere patronos apud Deum, ſed etiam impietatem ſapiat, eorum cultum improbare, atque contemnere, quare a ſuſpicione haereſis ille non abſit, atque intolerandam, et poenis dignam temeritatem, ac impudentiam prae ſe ferat, qui rite coelitum catalogo adſcriptos explodat, et in iis, vt aiunt, canonizandis eccleſiam reipſa, et romanum pontificem erraſſe dicat. Suſpicionem haereſis memoraui, non autem haereſim formalem, quippe non video, qui conciliari poſſit cum certiſſimis regulis hactenus traditis eorum ſententia, qui firmiſſimo adſenſu, diuinaque fide credendum cenſent, eccleſiam, aut romanos pontifices talia decernentes falli nunquam poſſe. Videant ipſi, an non inde ſequatur, nouas reuelationes noua de factis dogmata in eccleſiam induci, quod abhorrere a catholica doctrina, et ipſi negant. — — — — — Nam omnem procul dubio veritatem a diuino Spiritu nobis reuelandam ex omnium interpretatione perſpectum eſt; ſed omnem tantummodo veritatem, quae ad ſalutem hominum, et ad verae fidei, atque eccleſiae catholicae integritatem, conſeruationemque neceſſaria ſit. Quomodo vero dicamus, neceſſarium hominibus fidei, et eccleſiae eſſe cultum noui alicuius Sancti, fidemque de illius beatitate coeleſti? vtile eſt, non neceſſarium iſta habere, iſta ſcire. Sane ipſa proteſtatio pontificum, quam canonizationis pronunciationi praemittere ſolent, ſupponit in hoc negotio errandi poſſibilitatem. Eſt autem huius tenoris: *Antequam ad pronunciationem veniamus, proteſtamur publice apud vos omnes praeſentes, quod per hunc actum canonizationis non intendamus aliquid facere, quod ſit contra fidem, aut catholicam eccleſiam, ſeu honorem* Dei. Vid. Lupus *loc. cit.*

§. DCCCXXXII.

[redacted]

§. DCCCXXXII.

Cultus tamen beatis vel ſanctis impenſus, DEO gratus eſt.

Quamuis ergo de ſanctitate alicuius, cui QVA TALI vi decreti canonizationis cultus publici honores exhiberi queant, abſolute dubium eſſe poſſit, imo et ſubeſſe falſum; id tamen non impedit, quin cultus illi impenſus DEO *ſit gratus*, et preces ad eum fuſae fructu ſuo non careant. Cum enim ille, qui colit, et inuocat, prudenter credat hunc eſſe SANCTVM, atque ex illa fide impendat illi honorem, quem DEVS ſanctis ſuis impendi vult, fides illa errorem purgat, ſiue facit, vt DEO gratus ſit, licet reuera, qui colitur, SANCTVS non ſit; DEO nimirum fidem ſeu pium animi adfectum remunerante. Quemadmodum contingeret, ſi quis adoraret hoſtiam ab eo conſecratam, qui publice, et ab omnibus haberetur ſacerdos, et tamen re ipſa non eſſet.

Per fidem Chriſti omnia purgari, et eſto, quod veritas canonizationis deficiat, non tamen deficere fidem, ſolide obſeruat gloſſa §. praeced. *cit.* Fatentur omnes, grauiſſimam ſtare auctoritatem ex canonizationis ſolennitate pro ſanctitate canonizati, et a temeritatis nota non facile eſſe abſoluendum, qui de ea dubitaret. VERONIVS et MVRATORIVS *loc.* mox *cit.* FAGNAN *in comment. ad cap.* 52. *de teſtib.* recenſitis aliorum argumentis adhaeret D. THOMAE, qui ait, *pie credendum eſſe in hoc negotio eccleſiam non poſſe errare*, non tamen ſententiam contrariam damnandam eſſe, *vt haereticam:* cum et CAIETANVS doctiſſimus theologus ei adhaereat. Noſtram quoque ſententiam amplectitur COVARRVVIAS *in ſuis reſolut. cap.* 10. *num.* 13.

§. DCCCXXXIII.

§. DCCCXXXIII.

Definiuntur reliquiae.

Reliquiarum nomine veniunt corpora Sanctorum, vel partes eorum: item veſtes, et alia vſu, vel adtactu Sanctorum ſacrata. Licet Sanctorum reliquiae nonnunquam ab eorum corporibus diſtinguantur.

P. Zech. *de Iur. Rer. ſect. I. Tit. V.* §. 53.

§. DCCCXXXIV.

Sine illis non conſecrantur Altaria.

Primis temporibus Chriſtiani Romae conuentus ſuos agebant in areis, et coemeteriis Martyrum. *Poſtea* in iisdem locis magnifica *templa* fuerunt *extructa*, aut reliquiae Martyrum in eccleſias alibi aedificatas translatae, et ſub aris repoſitae. Inde inualuit mos eccleſias, et altaria non conſecrandi abſque Sanctorum reliquiis: quam eccleſiae traditionem contra Iconoclaſtarum, aliorumque impios auſus ſtabiliuerunt Concilia.

S. Ambros. *epiſt.* 54. S. Paulin. *epiſt.* 12. Concil. Nicaen. II. *can.* 7. Carthaginens. V. *can.* 14.

§. DCCCXXXV.

De veneratione Sanctorum, et reliquiarum varia quaedam monentur.

De veneratione Sanctorum, et reliquiarum obſeruandum eſt 1.) prohibitum eſſe cultu publico venerari aliquem, qui auctoritate eccleſiae inter Sanctos, vel Beatos non eſt relatus. 2.) Non licere reliquias Sanctorum antiquas extra capſam oſtendere, aut venales exponere. 3.) Neque nouiter inuentas publicae venerationi exponere absque S. Pontificis adprobatione. 4.) Sanctorum corpora, *inſignesque* reliquias non collocandas in priuatis aedibus, nec apud laicos, ſed in eccleſia: 5.) *minus inſignes* etiam in priuatis aedibus, in loco tamen apto, et decenti conſeruari poſſe. 6) Omnem ſuperſtitionem eſſe vitandam; adeoque nouas reliquias, niſi recognoſcente et adprobante Epiſcopo non eſſe recipiendas: 7.) non eſſe ferendos eos, qui venerationis cauſa accedentes variis figmentis, aut falſis documentis vulgus decipiunt.

TRIDENT. SESS. XXV. Decret. *de inuoc. vener. reliq. cap.* 3. *X. de reliq. et ven. Sanct.*

§. DCCCXXXVI.

Monitum ad Proteſtantes de vſu cultuque Imaginum.

Vtinam animo tantiſper pacato legerent Proteſtantes, quae CONCIL. TRID. Nicaenae, ... alia-

aliarumque Synodorum orthodoxarum inſiſtens veſtigiis *ſeſſ. XXV. de vſu cultuque SS. Imaginum* grauiter, et ſapienter ſtatuit, puderet profecto viros cordatos, verique amantes religionem innocuam abominando *Idololatriae* probro apud imperitum vulgus diffamare.

TITVLVS XLVI.

DE OBSERVATIONE IEIVNIORUM.

§. DCCCXXXVII.

Ieiunium differt ab abſtinentia.

Differt *ieiunium* ab *abſtinentia*, quod illud totalem abſtinentiam a cibis vſque ad veſperam, haec vero tantum a carnibus, et parſimoniam in ipſis cibis inducat. *Ieiunium naturale* eſt abſtinentia ab omni prorſus cibo, quale ante ſumptionem Euchariſtiae requiritur. *Eccleſiaſticum* eſt abſtinentia a pluribus refectionibus, et certo ciborum genere ſecundum regulas ab eccleſia praeſcriptas.

Can. 6. diſt. IV. Continet ergo ieiunium eccleſiaſticum tria; 1.) vnicam refectionem, 2) abſtinentiam a carnibus, 3.) tempus pro vnica refectione praeſcriptum. *Can. 4. diſt. IV. et can. 10. diſt. III.*

III. de conſecr. Illud olim erat veſpertinum, ſei poſt occaſum ſolis: poſtea vero mutatum eſt adeo, vt hodie fideles hora ordinaria a meridie ſoleant cibum ſumere, et veſpere eccleſia permittit collatiunculam.

§. DCCCXXXVIII.

Sola initio conſuetudine inualuit.

Ieiunium, prout hodie ab eccleſia obſeruatur, nec ab *Apoſtolis*, nec a CHRISTO Domino fuit praeceptum, ſed paulatim inualuit. Initio fideles ex pietate in hunc morem deſcendebant; eccleſia particularis vna alteram imitata eſt; et ſic pedetentim *conſuetudo fere vniuerſalis* enata eſt. Tepeſcente dein fidelium feruore eccleſia tandem illam adprobauit tanquam *legalem*, vt adeo hodie per modum legis obliget.

Can. 11. *diſt.* XII. *cap. fin. h. t.* TERTVLLIAN. *de ieiun. cap.* 2. ORIGEN. *homil.* X. *in Leuit.*

§. DCCCXXXIX.

Quo tempore ſingulae eius ſpecies inductae ſint, incertum eſt.

Sed quonam potiſſimum tempore ieiunia quaeuis in ſpecie inualuerint? vnde ieiunium quadrageſimae? an ab horis? an a diebus? vel qua alia ratione *quadrageſimale* dicatur, incertum eſt. Id conſtat, iam dudum quoque ieiu-

ieiunium *quatuor temporum* obſeruatum eſſe, idque prius in vſu fuiſſe, quam introductus fuerit mos ordinationes iis temporibus celebrandi.

Irenaevs *epiſt. ad Victor.* ap. Evseb. *hiſt. eccleſ. Lib. V. cap.* 24. Socrat. *hiſt. eccleſ. Lib. V. cap.* 22. Cassian. *collat. XXI. cap.* 24. 25. 30. Benedict. XIV. *de ſynod. dioeceſ. Lib. VII. cap.* 54. De ieiuniis quatuor temporum extant ſermones S. Leonis P. Gelasivs P. *epiſt. 6. ad epiſc. Lucan. Capitul. reg. franc. lib. VI. cap.* 168.

§. DCCCXL.

Ieiunia quoque hebdomadalia conſuetudini debent originem.

Conſuetudine quoque recepta ſunt ieiunia *hebdomadalia* die mercurii et veneris. Ieiunium feriae quartae in ſabbathum translatum eſſe videtur in eccleſiis occidentalibus; et demum ita temperatum, vt ſola abſtinentia a carnibus ſeruetur. Ieiunia quaedam ad eum etiam finem in eccleſia ſuſcepta ſunt, vt animi fidelium ad imminens aliquod feſtum rite celebrandum praeparentur, adiunctis ex antiquiſſima traditione nocturnis *vigiliis.* Sed vigiliis iſtis fere omnibus abolitis, remanſit nihilominus vocis illius vſus ad ſignificandum ieiunium, quod ſiue iure, ſiue generali conſuetudine pridie feſtorum ſolennium ſeruatur.

Can. 11. *diſt. XII.* Origen. *homil. X. in Leuit.* Clemens Alexand. *ſtrom. Lib. VII. cap.* 7. Socrat. *hiſt. eccleſ. Lib. VII. cap.* 22. Hospinian. *de*

[redacted]

Cap. 2. *X. h. t.* Si autem *diſpenſatum* ſit quoad comeſtionem carnium, non etiam quoad ſecundam refectionem diſpenſatum eſſe dici poteſt. Vid. conſtit. BENEDICT. XIV. data 30ma *Mai*, et 22da *Auguſti an.* 1741. 10ma *Iunii an.* 1744. *Tom. I. Bull.*

TITVLVS XLVII.

DE

PVRIFICATIONE POST PARTVM.

§. DCCCXLIV.

Praeceptum purificandi foeminas hodie nequaquam ſtringit.

In lege veteris teſtamenti praeceptum quidem diuinum erat LEVIT. XII. quo foemina ab ingreſſu templi per 40. dies; ſi maſculum; per 80. ſi foemellam peperiſſet, arcetur. Hodie tamen illud vtpote *cerimoniale*, ita ſublatum eſſe conſtat, vt mulieri, ſimul atque ennixa eſt liceat templum ingredi; nec peccet, ſi ſecluſo contemtu ſe negligat purificari.

Diſt. 5. *can.* 2. *cap. vn. h. t.* quibuscum concordat *Capitulare* CAROLI M. *L. VI. cap.* 207. Si tamen foeminae ex veneratione voluerint aliquamdiu abſtinere, deuotionem earum non improbat INNOCENTIVS III. *in cap. vn. h. t.* Vid. GONZALEZ. *ad h. cap.*

TI-

[redacted]

TITVLVS XLIX.

DE

IMMUNITATE ECCLESIARUM, COEMETERII, ET RERVM AD EAS PERTINENTIVM.

§. DCCCXLV.

Eccleſia chriſtiana qua talis a ciuitate independens eſt.

Eccleſia chriſtiana eſt ſocietas inaequalis, in ciuitate exiſtens, et ab ea independens. Et hactenus recte docent ii, qui immunitatem eccleſiaſticam, id eſt, eccleſiae a ciuitate independentiam diuinis ordinationibus conſtitutam eſſe adſerunt. CHRISTVS autem diuinus huius ſocietatis fundator eam ita conſtituit, vt vel *internum* vel *externum* ciuitatum nexum NVLLO PRORSVS MODO per eam turbari voluerit.

Nemo non videt, quod ergo eccleſiaſticae perſonae ſingulae, quatenus neceſſario ſimul ciues ſunt, earum cauſae et negotia omnia, cum religione non connexa, earum res omnes, quae in notione eccleſiae non comprehenduntur, ciuili imperio omnimode ſubiaceant.

[redacted]

§. DCCCXLVI.

Immunitas eccleſiaſtica in perſonalem realem et localem diſpeſcitur.

Sed pulcherrimum hoc ſyſtema mira confuſione turbatum eſt praeſertim ab eo tempore, quo ſacerdotium *omnimodam independentiam* ab imperio ciuili ſibi adrogare coepit. Inde profluxit *triplex* illa, de qua nunc ſermo erit, immunitas eccleſiaſtica. I.) *Perſonalis*, vi cuius perſonae eccleſiaſticae, et negotia earum omnia: II.) *Realis*, vi cuius res quaecunque ad eas pertinentes ab omni iurisdictione, et poteſtate principum eximuntur. Acceſſit III.) *Localis*, quaſi violati territorii alieni reus eſſet princeps, qui propria auctoritate delinquentem ex loco ſacro, vel religioſo extraxiſſet.

De immunit. perſonali vid. *P. II. Lib. II. Tit. II. de for. compet.*

§. DCCCXLVII.

Aſylum eccleſiaſticum definitur.

Immunitas *localis* praecipue in iure aſyli conſiſtit. *Aſylum eccleſiaſticum* eſt *locus ſacer, vel religioſus ſecuritatem praeſtans iis, quibus ob laeſam rempublicam iuſta coercitio imminet.* Praeterquam quod plenam de hac re ſtatuendi facultatem Romano Pontifici attribuant; *ex natura* huius aſyli porro deducunt, reum

cri-

criminis illuc confugientem 1.) nec abſtrahi inde ſine licentia ſuperioris eccleſiaſtici; 2.) nec poena ordinaria adfici poſſe.

De variis aſylorum generibus vid. P. Zech. Diſſert. *de iur. aſyl. eccleſ. cap. I.*

HISTORIA IMMVNITATIS LOCALIS.

§. DCCCXLVIII.

Ius determinandi aſyla maieſtaticum eſt.

Ius vitae, et necis, adeoque etiam leges poenales ferendi nemini in republica competere poteſt, niſi ſummo Imperanti ciuili. Sicut autem determinatio poenae penes eum eſt, ita et ius normam proceſſui criminali praeſcribendi, poenam determinatam remittendi, vel commutandi, et conſequenter etiam loca, vnde rei criminum abſtrahi nequeant, determinandi penes eundem reſidere manifeſtum eſt.

Grot. *de Iur. Bel. ac P. Lib. II. cap.* 21.

§. DCCCXLIX.

Occaſionem immunitati eccleſiarum praebuere epiſcoporum interceſſiones.

Quamuis autem ſeculo IV. iam vſitatum fuerit, vt criminum rei ad eccleſias confuge-

rent;

rent; nemo tamen ſomniauit, quaſi eccleſiae eſſet id iuris datum, vt modum et terminos ſacris eiusmodi aſylis conſtitueret. Exiſtimabant quidem Epiſcopi, officium ſuum ſacerdotale id exigere, vt per *interceſſiones* ſuas criminum reis miſericordiam impetrarent; ſed ipſae interceſſionum formulae aperte demonſtrant, ipſos optime agnouiſſe, nec templa, nec epiſcoporum preces vllum dare aſylum poſſe, ſed omne illud ex principum auctoritate et arbitrio profluere debere.

CONCIL. SARDICENS. *can.* 7. S. AVGVST. *epiſt.* 153. qua Macedonio reſpondet, cuius *epiſt. ap.* S. AVGVST. *eſt* 152. *tom. II.* 523. Idem S. Pater *epiſt.* 115. *ibid. col.* 326. 397. 419. 134. 139. *et* 115. S. AMBROS. *epiſt.* 41. 42. *ad* THEODOS. *et epiſt.* 25. S. CHRYSOST. *homil. XV. in II. ad Corinth.* Id vero hic praecipue adtendendum eſt, vt ſciamus, pro quibus intercedere conſueuerint viri ſanctiſſimi, quis fuerit interceſſionum ſcopus, quae ratio? Vid. VAN ESPEN *Iur. Eccl. Vniu. tom. IV.* Diſſert. *de Aſyl. templ. cap. I.* §. 1. *ſeq.*

§. DCCCL.

Ea tamen ex indultis Principum fluxiſſe agnoſcitur.

Non ergo dubitarunt orbis romani principes, ſibi pleniſſimum ius eſſe, ac proprium, eam, quam anteceſſores ſui charitatis et pietatis ergo venerabilibus locis detulerant, aſyli praerogatiuam ampliandi, reſtringendi, atque, prout viſum fuerit, modificandi. Neque

que fuit vnquam, qui eiusmodi leges recuſare, eas, vt male, et temerarie in materia ad principis auctoritatem non ſpectante latas, traducere auſus fuiſſet.

§. DCCCLI.

Quod oſtenditur e legibus ciuilibus.

Sic exſtat conſtitutio Theodosii Senioris *in l.* I. *cod. Theodoſ. De his, qui ad eccleſ. confug.* qua non quidem aſylum eccleſiaſticum, cuius vſus iam tum in abuſum degenerauerat, concedit; ſed modum, et limites ei fixit. Mox Arcadivs conſueta hactenus aſylorum iura inſtigante Eutropio abrogauit. Conſtitutio abrogatoria extare in *Codice Theodoſiano* in plures partes ſub diuerſis titulis diſtributa creditur, ſcilicet in *l.* 3. *de his, qui ad eccleſ. confug. l.* 16. *de poen. l.* 32. *de epiſc. l.* 17. *de adpellat.*

Ad legem Theodosii Senioris vid. S. Avgvstin. *epiſt.* 268. *ad pleb. Hipponens. Tom. II. cit.* 901. Ad legem Arcadii vid. Socrat. *lib. VII. hiſt. cap. V.* Sozomen. *lib. VIII. hiſt. cap. VII.* Iacob. Gothofred. *in comment. cod. Theodoſ. ad l.* 3. *cit.* Flevrii *hiſt. eccleſ. lib. XXI. num.* 36.

§. DCCCLII.

Quarum vim agnouere Patres.

Dein Patres africani aſylorum reſtitutionem ab imperatoribus flagitarunt. Secuta ergo

go eſt conſtitutio THEODOSII IVNIORIS, cuius fragmentum occurrit in *l. 4. cod. Theodos. de his, qui ad eccles. confug. et in l. 3. cod. Iuſtin. eod.* Is primus fuit, qui, ne reuerentia ſacris locis debita per irruentium veſaniam violetur, vltra altare, et templum terminos aſylorum extendit, atque *eccleſiae ſepta* eodem iure gaudere voluit. Addidit alteram, quae extat in *cod. Theodos. l.* 5. et ex parte in *cod. Iuſtin. l. 4. l. c.* cui ſerui iram ſuorum dominorum metuentes, et ita ad eccleſias confugientes anſam dederant.

IACOB GOTHOFRED. *in comment. cit. ad leg. 4. cit.*

§. DCCCLIII.

Et confirmarunt ſucceſſores Imperatores.

Eadem auctoritate vſi ſunt Imperatores LEO, qui *l. 6. cod. Iuſtin. de his, qui ad eccles. confug. lege per omnia loca valitura* THEODOSII SENIORIS hac in re conſtitutionem ſuſtulit: et IVSTINIANVS *in Nouell. XVII. cap 7.* vbi abrogatam THEODOSII conſtitutionem renouat.

CVIAC. *in comment. ad Nouell. cit.* VAN ESPEN *loc. cit. cap. II.*

§. DCCCLIV.

§. DCCCLIV.

Nec eccleſia per nouem ſecula ius ſibi eſſe diſponendi de hoc templorum aſylo iudicauit.

Hactenus *inuiolata* perſtitit principum *maieſtas*; neque legitur, quod eccleſia per *nouem* (vt minus) *ſecula* vllum de hoc templorum aſylo ediderit decretum, quo ſibi ea de re diſponendi ius competere modo quocunque declaraſſet. Nunc vero falſiſſimae Pſeudo-Iſidori decretales orbi catholico obtruduntur, Quam incurius, et incautus fuerit GRATIANVS in recipiendis ſpuriis eiusmodi mercibus. nemo eſt, qui neſciat.

DCCCLV.

Canones decreti gratianei, qui obiiciuntur, falſi ſunt.

Sic *cauſ. XVII. q. IV.* occurrit primo loco *can.* 6. ſub nomine NICOLAI P. ad omnes Epiſcopos. *Ibi antiquitus a SS. Patribus ſtatutum eſſe* adſeritur, vt maior eccleſia XL, et capella XXX. per circuitum paſſus habeat, ad quos immunitas templorum ſe extendat. Eiusmodi haec ſunt, quae falſitatem ſuam ſponte produnt. Sequitur *can. 8. ibid.* quo profert epiſtolam AVGVSTINI *ad Bonifacium Comitem.* Vt autem nihil dicam de huius epiſtolae falſitate, exinde aliud nihil habetur,

quam

quam AVGVSTINVM admodum indigne tuliſſe extractionem hominis ab eccleſia per Bonifacium temere adtentatam.

ANTON. AVGVSTIN. *de emend. Grat. lib. II. dial.* 17. Extant cit. Tom. II. op. S. AVGVSTIN. col. 923. epiſtolae breuiores ſub nomine S. Auguſtini ad Bonifacium Comitem, et Bonifacii ad Auguſtinum. Inter has, et haec a GRATIANO relata occurrit. Sed epiſtolis his hoc monitum plurimis adductis ſuppoſitionis argumentis praemittere voluerunt eruditi, et exacti operum S. Auguſtini reuiſores: *Itaque docti plerique cenſent eas ab otioſo ſcriptore ſtyli exercendi gratia confictas fuiſſe, quorum iudicio, tametſi aduerſetur Baronius, ſubſcribendum eſſe exiſtimamus.*

DCCCLVI.

Nec in contrarium quidquam probant cap. 10. 11. 19. *cauſ. XVII. q.* 4.

Dein *can.* 10. *et* 11. *ibid.* refert fragmenta epiſtolarum ſub nomine GELASII P. ſed demus iterum, quod nemo eruditorum adferet, genuinas eſſe has epiſtolas, nihil tamen occurrit, quod vel minimum probet, papam ſibi, aut epiſcopis ius aſyla templorum dirigendi vindicare voluiſſe. Decretum SYNOD. ILERDENS. *in can.* 19. *ibid.* relatum praecipit clericis, *ne conceſſam a principibus, locis ſacris praerogatiuam violent.* Et recte quidem. Quid autem aliud in hoc canone occurrit? Vix mentionem meretur *can.* 20. *ibid.*, ſub nomine CONCILII TRIBVRIENS. cum in nulla ſynodo triburienſi haec a Gratiano relata occurrant.

§. DCCCLVII.

§. DCCCLVII.

Reſpondetur ad c. 21. 35. 36. *ibid.*

Subiicit *can.* 21. *ibid.* ſub nomine Ioannis VIII. ſpurium, et (in quantum genuinum,) leuiſſimi ponderis eſt hoc fragmentum: ſequens autem perfidiae teſtimonium ex Concil. Tolet. XII. refertur *can.* 35. *ibid.* Illius decretum Gratianus ita retulit, ac ſi concilium ſua auctoritate ſtatuiſſet; cum tamen conſtet, *mixtam* fuiſſe hanc ſynodum, atque auctoritate regia non tantum roboratam, ſed et executioni mandatam. Idem de *can.* 36. *ibid.* ſub nomine Concilii Avrel. II. iudicium eſto.

Ant. Avgvstin. *l. c. dial.* 9. Stephan. Balvz. in *not. ad can.* 21. *cit.* ſcribit Gratianus in *can.* 35. *cit. definiunt S. concilium, vt nullus etc.* Sed reticuit, quae immediatae praecedunt: *conſentiente pariter, et iubente glorioſiſſimo domino noſtro* Ervigio Rege etc. Conf. van Espen *l. c. cap. III.*

§. DCCCLVIII.

Erant canoniſtae, qui in adſerendo pontifici iure diſponendi de aſylo eccleſiaſtico ad hos canones confugiunt.

Ex iis, quae hactenus adlata ſunt, ſatis opinor, adparet, ea omnia, quae Gratianus in ſuo decreto hac in re retulit, partim *ſpuria*, partim *mutilata* et *corrupta*, partim ita comparata eſſe, vt nihil minus eo, quod ipſe voluit, inde deduci poſſit. Et tamen edito,

[redacted]

ac recepto in foris hoc decreto canoniſtae, vt authenticum illud recipientes, recte ſibi argumentari videbantur, ſi epiſcopis ac praeſertim romano pontifici auctoritatem huic aſylo eccleſiaſtico terminos, legesque praeſcribendi adſererent.

§. DCCCLIX.

Quae tamen doctrina poſtea ipſis pontificibus probata eſt.

Quid, quod ipſi poſtmodum romani pontifices errorem Pſeudo-Iſidori et Gratiani ſectatores ſpecioſam hanc doctrinam promouerint. Ita INNOCENT. III. in hac materia *conſultus* reſpondet in *cap. 6. h. t.* cuius conſtitutionem magis declarat GREGORIVS IX. in *cap. 9. et* 10. *ibid.* Qui et legem EXODI ſuae collectioni inſeri iuſſit *cap.* 1. *de homicid.*

§. DCCCLX.

Praeſertim Gregorio XIV. Benedicto XIII. Clementi XII. et Benedicto XIV.

GREGORIVS XIV. vt omne de hac immunitate iudicium iudici eccleſiaſtico adtribueret, atque magiſtratus ſecularis auctoritatem legitimam ea in re deprimeret, edidit an. 1591. *bullam*: CVM ALIAS NONNVLLI *etc.* famoſam admodum, et, vt romanae curiae adſcriptis loqui placet, *firmum, et ineluctabile funda-*

men-

mentum. Dubia inter doctores ratione huius conſtitutionis exorta declaruit, numerum exceptorum criminum auxit, modumque procedendi praeſcripſit Benedictvs XIII. per *literas apoſtolicas*: Ex qvo divina etc. Dein Clemens XII. per *conſtitutionem*: In Svpremo ivstitiae solio *etc.* priora iura ampliauit. Demum Benedictvs XIV. in *conſtitutione*; Officii nostri *etc.* nonnulla dubia declarauit, aliaque de nouo ſtatuit.

Bullam Gregorii XIV. ſpeciali tractatu explanandam, et tuendam ſuſcepit Petr. Gambacvrta. Eam quoque van Espen *l. c. cap. IX.* ſolide diſcuſſit, Ioan. Frid. Karg ad eandem explanandam, et iuſtificandam *diſſertat. theolog. nomo- canon. hiſt. et politic.* elaborauit. Conſtitutionem Benedicti XIII. more decretaliſtis ſolito explicauit Ioan. Casp. Barthel *opuſc. tom. II. opuſc. VI. §. 45. ſeq.*

EX QVONAM IVRE DESCENDAT IMMVNITAS LOCALIS.

§. DCCCLXI.

Immunitas localis nec ex iure naturae.

Quae cum ita ſint, adfirmari ſane non poteſt, aſylorum eccleſiaſticorum *originem iuri naturali* eſſe adſcribendam, vtpote quod laeſae reipublicae ius puniendi illimitatum adtribuit. Et ſi ſalua, quae templis Deo dicatis debetur, reuerentia, fas eſt ſe ſe contra iniuſtum inuaſorem in illis defendere, cur nefas erit, ſalu-

[redacted]

tis publicae cauſae hoſtes inde extrahere, atque iuſta animaduerſione coercere?

§. DCCCLXII.

Nec ex diuino poſitiuo.

Neque aliter *iure diuino poſitiuo* conſtitutum eſſe meminimus. Quod enim in veteri teſtamento ciuitates refugii Devs adſignauerit, vt eo confugientes ab iniuriis tuti eſſent, eius longe alia eſt ratio, hodiernae aſylorum praxi vtique contraria.

Exod. *XXI.* Nvmer. *XXXV.* Devter. *XIX.* Nimirum ob nimium iudaeorum vindictae *ſtudium*, permiſſum erat proximis conſanguineis occidere homicidam in flagranti deprehenſum, quos *ideo* vindices ſanguinis adpellabant. Cum itaque etiam ictis defenſoribus ab his periculum immineret, Dominus Devs haec aſyla conſtituit, vt ibi tuti eſſent homicidae, donec de iniuria conſtaret, qua deprehenſa ſecuritas ceſſabat. De hiſce *aſyl. vet. teſt. tractat. theolog. typicum* conſcripſit Franc. Vlric. Ries.

§. DCCCLXIII.

Sed ex humano ciuili et imperatorum pio indulto deriuanda eſt.

Ex quibus porro conſequitur, ius *aſyli* creaturam *iuris humani* eſſe, vtque ex *hiſtoria* euidentiſſime adparet, ſemper ab imperatoribus chriſtianis, tanquam ſequelam iuris *adgratiandi*, exercitum fuiſſe. Legimus equidem,

nec

nec ſine ingenti ſtupore legimus, quam diminuta, quam pene extincta hac quoque in re quondam fuerit, cleri intempeſtiue zeloſi conatibus, imperantium maieſtas, vt maiori forſitan labore opus ſit ad eandem reſtituendam, quam ad perdendam fuerit.

§. DCCCLXIV.

Principum itaque eſt, de aſylis ſtatuere.

Verum, cum corpus iuris canonici nonniſi ex recepto nos obligare poſſit, haecque materia nec ad dogmata, nec ad diſciplinam, ſed originetenus ad ius imperantium ciuilium pertineat: dubium non eſt, quin principes etiam contra receptos canones vtpote iuri publico oppoſitos, leges hac in re ferre poſſint, aſyliam eccleſiaſticam vel *totam*, vel *pro parte* abrogando, quatenus publicam ſalutem id poſtulare viſum fuerit. Accedit, quod imperantes anteceſſores in praeiudicium ſucceſſorum hac poteſtate ſe ſe abdicare minime potuerint.

Io. Philip. Hahn *diſſert. de ancip. in ter. vel ciuit. mixt. relig. aſyl. iur. cap. II.* §. 8. *ſeq.* Mirari ſubit celeberrimum virum Ios. Casp. Barthel. *opuſc. tom. II. opuſc. VI.* §. 34. *ſeq.* negare potuiſſe, imperantibus ius eſſe de aſylis eccleſiaſticis diſponendi. Karg. *l. c. diſſert. II.* §. 63. *ſeq. Localem* eccleſiarum immunitatem iuris poſitiui eccleſiaſtici et ciuilis eſſe ait, ita tamen ciuilis, vt ob ceſſionem eccleſiae factam, principes ſibi adeo manus conſtrinxerint. Eſt hoc ratiocinium illis proprium, qui non ex primis principiis rem ſcrutari, ſed coeco zelo duci conſuecuerunt.

[redacted]

§. DCCCLXV.

Non autem pontificum, niſi habito placito regio.

Idem fere dicendum eſt de *conſtitutioni*bus pontificiis nouiſſime hac de re editis. Eae nempe totam vim ſuam ex ratihabitione et placito principum ſortiri debent; hinc in quantum *conſenſu imperantium vel expreſſo vel tacito* receptae ſunt, in tantum vigorem ſuum obtinere dicimus: quod nec aliter eccleſia vnquam agnouit, vel agnouiſſe recte praeſumi poteſt. Igitur adleganti eas incumbit probatio, an ſufficienter promulgatae, an vſu hactenus ſint receptae?

Praecipue autem conſtitutionem GREGORII XIV. reiiciendam eſſe viri cordati nos monent PAV. SARPI *in tract. de iur. aſyl. cap. VII.* relato, ſummatim praedictae conſtitutionis textui ſubiungit; *Quae omnia, ſi obſeruare poſſent, iam ſacra loca omni ſcelerum genere refertiſſima eſſent, et quodcunque iuſtitiae tribunal euerſum, regesque ac principes, quibus iure ſceptra conueniunt a* DEO *tributa, eadem precario tenerent, et a ſacerdotis arbitrio in iuſtitia exercenda penderent.* Eſt haec ipſa illa conſtitutio, quam PETR. GAMBACVRT. ſapientiae, prudentiae ac pietatis pleniſſimam eſſe, ait *loc. cit.* Turbam canoniſtarum ſequitur etiam P. ZECH. *in diſſert. de iur. aſyl. eccleſ. cap. VIII. §.* 163. *hodiernam aſyli formam non ordinamus iuxta illas leges imperatorum, quia* (*l. c. §.* 158.) *ſolis conſtitutionibus pontificis in hac cauſa nitimur.* Item *cap. cit. §.* 182. *leges etiam ciuiles hodie non adtenduntur in hoc negotio, ſed iuri canonico inſiſtimus: cura enim locorum ſacrorum, et debiti eiſdem honoris, eccleſiaſticae poteſtati ſubeſt. Poteſt tamen pro caſu particulari ob enormi-*

normitatem criminis ſiue ad occurrendum futuris ſcandalis peti, et a ſummo pontifice impetrari extractio confugae etc.

§. DCCCLXVI.

Priuilegium aſyli ſtrictae eſt interpretationis.

Ceterum in vniuerſa hac materia animaduertendum eſt I.) priuilegium aſyli eſſe prorſus exorbitans, nec reipublicae fauorabile, neque etiam religionem promouens; hinc *ſtrictiſſime interpretandum*: II.) plurimum in hac re *valere conſuetudinem*, quam potiſſimum eſſe reſpiciendam ex ſupra adlatis patet.

Van Espen *l. c. cap. V.* §. 2. vbi quid in *extendenda*, vel *interpretanda* hac immunitate adtendendum ſit, more ſuo ſolidiſſime declarat. Quae pro ampliandis aſylorum fauoribus adferri ſolent, vid. Barthel. *l. c.* §. 8. *ſeq.* Karg. *l. c. diſſert. II.* P. Zech. *diſſert. cit. cap. II.* §. 34. *ſeq.* Sed ne multum temporis perdas, in euoluendis huius farinae ſcriptis audiamus Lud. Thomass. *de V. et N. E. diſcip. part. IV. lib. II. cap.* 88. *Aſyla legibus diuinis veteris teſtamenti conſtituta, et ciuilibus paganorum conſtitutionibus, ad vnam ſpectaſſe ſcelerum impunitatem, mortisque reorum amolitionem. Non eum autem ſibi eccleſia ſcopum proponebat in aſylis ſuis tuendis. — — Ea, qua ſe eccleſia induebat, curae propagandae reorum vitae ad aras confugientium, ad otium ſpectabat ſeriae canonicaeque poenitentiae conſequendum, cui ſe ipſo ſuo in eccleſiam ingreſſu mancipabant. Ea ſepoſita ſpe, iam alternare poterit non iniuria animus, inter malum, et dedecus criminis inulti; et decus indultae indignis veniae. Vbi ergo in nihilum recidit, qui fructus fuerat vberrimus aſylorum, iam non eſt, quod magnopere nobis doleat, ſi et ipſa nobis aſyla deperiere: ſiue imminuto paulatim criminum numero, qui-*

bus patebant: ſine facta ciuili magiſtratui copia, e reos comprehendendi in ipſo aſylo, et diiudicandi, e ei reſiſtendi ſit.

DE LOCIS SACRA ASYLIA GAVDENTIBVS.

§. DCCCLXVII.

Gaudent hoc priuilegio 1.), *eccleſiae.*

Aſylo eccleſiaſtico gaudent 1.) *eccleſiae*: quo nomine non tantum chorus, aut altare, vel ſacrarium ad effectum aſyli intelligitur, ſed totum ſpatium, quod intra parietes aedis ſacrae continetur. Addunt omnia aedificio ſacro coniuncta, et ad id ſpectantia: vt ſacriſtia, turris, atrium, porticus, tectum, ambitus muro, vel fixis terminis diſtinctus. Hocque iure eccleſiam gaudere, mox vt epiſcopi auctoritate erecta, et ad diuinum cultum publice celebrandum deſtinata eſt; extenſionem tamen ad 40, aut 30. paſſus extra ſepta eccleſiarum in plerisque prouinciis exoleuiſſe auctores teſtantur. Nec perdidiſſe hanc immunitatem cenſetur eccleſia, quae forte interdicta, violata, aut polluta ſit.

Cap. 9. *h. t.* COVARRV. *lib. II. cap.* 20. *num.* 4. ZECH diſſert. *de iur. aſyl. eccleſ. cap.* 7. §. 150.

§. DCCCLXVIII.

§. DCCCLXVIII.

2.) *Loca alia religioſa.*

Praeterea iure aſyli gaudent 2.) *loca religioſa*; vti monaſteria cum omnibus domibus, et habitationibus *auctoritate epiſcopi* erectis, cum aequiparentur eccleſiis. Vti et 3.) alia *aedificia auctoritate eccleſ.* ad charitatis, miſericordiae, et religionis opera deſtinata. Inde 4.) *coemeterium* eccleſiae adiectum, ſiue ab ea ſeparatum, modo auctoritate eccleſiaſtica ad ſepulturam fidelium ſit deſtinatum, eadem immunitate gaudebit.

Can. 21. *XVII. q. IV. rubr. h. t. domus epiſcopi* inter loca immunia numeratur in *can.* 36. *ibid.* Sed conſuetudine paſſim receptum eſt, vt tametſi intra 40, aut 30. paſſus illos extructa ſit, hac immunitate non gaudeat. Idem de *aedibus parochialibus* dicendum videtur.

DE PERSONIS, ET DELICTIS, QVAE ASYLO GAVDENT.

§. DCCCLXIX.

Confugientes ad eccleſiam chriſtiani aſylo fruuntur, quorumcunque criminum rei ſunt.

Illi tantum aſylo eccleſiaſtico gaudent, qui ad eccleſiam ſponte, et propria voluntate confugiunt, ſicque oſtendunt, ſe eccleſiae protectionem implorare, quae dein conceditur 1.) *debitoribus priuatis* (non publicis) contra moleſtos

leſtos creditorum inſultus, modo ſine fraude, et praeiudicio eorum id fiat, 2.) *omnibus* quorumcunque criminum *reis*, queis poena publica ex diſpoſitione principum imminet, niſi lege excipiantur.

L. 6. cod. de his, qui ad eccleſ. nouell. XVII. cap. 7. §. 1. can. 36. XVII. q. IV. cap. 6. h. t. Igitur ex priuilegio non potiuntur arrepti, et in eccleſiam conducti; aut ii, qui per ipſam eccleſiam ad locum ſupplicii trahuntur: cum illis nulla ſit confugii ratio. GONZALEZ *in comment. ad cap. 6. h. t.* E contra iure aſyli gaudent omnes chriſtiani, laici, etſi ſint perſonaliter interdicti, aut excommunicati, et clerici, immo et regulares, non autem iudaei, aliique infideles *L. 1. cod. ibid.*

§. DCCCLXX.

Quaedam tamen delicta excipiuntur.

Excipiuntur autem 1.) *publicus latro*; *nocturnus depopulator agrorum, qui itinera frequentat, vel publicas ſtratas obſidet adgreſſionis inſidiis.* 2.) Rei *aſſaſſinii:* 3.) qui *proditorie* proximum ſuum occiderit; 4.) *homicidae, adulteri, et raptores virginum.*

Cap. 6. h. t. l. 4. cod. ibid. cap. 1. de homicid. cap. 1. §. 1. et 2. ibid. in VI. nouell. XVII. cap. 7.

§. DCCCLXXI.

Recenſentur vlteriora excepta crimina.

Repelluntur, 5.) *qui homicidia, aut membrorum mutilationes in ipſis eccleſiis, aut eorum*

rum coemeteriis committere non verentur: quia fruſtra legis auxilium inuocat, qui committit in legem. Hinc 6.) *qui quodcunque crimen in loco immunitatis committunt, vt ea impoſterum in quocunque alio loco gaudeant; indigni ſunt*, quia violatio vnius eccleſiae generaliter pertinet ad omnium eccleſiarum iniuriam. Neque 7.) audiendi ſunt, *qui ſpe conſequendae immunitatis per eccleſiam crimen perpetrarunt.*

Cap. fin. h. t. COVARRVV. *var. reſolut. l. 2. cap.* 20. *num.* 14. 15. 26. *et* 27. BOET. *ep. in comment. ad cap. cit.*

§. DCCCLXXII.

Horum numerus per recentiores pontificum conſtitutiones auctus, magisque declaratus fuit.

Sed recentiores pontificum conſtitutiones hunc catalogum plurimum auxerunt, magisque declararunt. Sic 1.) placuit, vt vnicus actus ſufficiat, vt quis publicus latro, et graſſator ad effectum priuationis aſyli dici valeat, ſi *graſſati mors, aut mutilatio* ſecuta fuerit. 2.) Vt non tantum *nocturni*, ſed etiam *ii, qui per diem ſegetes, ſeu fructus agri deuaſtant, aut etiam diripiunt*, huc referantur. 3.) Vt ſi alteruter, vel *occidens*, vel *occiſus ſtet extra eccleſiam*, tamen in eccleſia occidiſſe videatur.

§. DCCCLXXIII.

[redacted]

§. DCCCLXXIII.

Harum conſtitutionum tenor exponitur.

Vtque 4.) proditorie quis proximum ſuum occidiſſe dici queat, ſatis eſſe, ſi *animo praemeditato*, *ac deliberato* id egerit; *mandatum*, *conſilium*, *auxilium*, aut *aliam operam* praebuerit. Eos quoque huc pertinere, qui *homicidium in rixa committunt*, inſtrumentis per ſe aptis ad occidendum. Item, *qui in duello ſiue publice*, *ſiue priuatim indicto occidunt*. 5.) Vt non tantum, *qui quempiam chriſtianorum per aſſaſſinos interfici fecerit*, *ſed quicunque mercede conducti*, *alieno iuſſu aliquem interficiunt*, aut interfici mandant, *dummodo mors ex eo ſecuta ſit*, huc pertineant. Vt tamen 6.) (quod generatim de ſingulis criminibus exceptis notandum) *homicidae*, *qui a poena ordinaria excuſantur*, aſylo defendi mereantur.

§. DCCCLXXIV.

Continuatur idem argumentum.

Denique beneficio aſyli priuantur 7.) *rei haereſis non toleratae*; 8.) *rei laeſae maieſtatis*, in perſonam nempe principis ſui; 9.) *qui confugientibus vim inferunt*: 10.) *falſificantes literas apoſtolicas*: 11.) *miniſtri montis pietatis*, vel alterius publici telonii, aut banci, qui in his locis furtum, aut falſitatem committunt; 12.) *conflantes*, *adulterantes*, *vel tondentes*

quas-

quaſcunque monetas. 13.) Illi, *qui ſub nomine curiae ſe ſe introducunt in alienas domos, ibique perpetrant rapinas cum homicidio, aut mutilatione* alicuius.

P. Zech. *loc. cit. cap. VIII.* Barthel. *l. c.* §. 45. *ſeq.* Karg. *l. c. diſſert. V. et VI.*

DE MODO RECIPIENDI, PROTEGENDI, ET EXTRAHENDI REOS.

§. DCCCLXXV.

Confugientes ad aſylum recipiendi ſunt.

Recipiendi autem ſunt, quicunque ad aſyla confugiunt, nec repelli poſſunt. Immo curandum eſt, vt ſine moleſtia morari in loco immuni iis liceat, atque cauendum, ne aliquid vel victualium rerum, vel veſtis denegetur, aut requies. Si confuga habet bona propria, ex illis alendus eſt; quodſi nil habeat, eccleſia, quae eius tutelam ſuſcepit, afflicto, et pauperi de alimentis prouidebit.

L. 2. *cod. de his, qui ad eccleſ. can.* 9. *XVII. q. IV. cap.* 6. *h. t. l.* 6. *cod. ibid.* Quod illi rectores eccleſiarum, et ſuperiores locorum immunium peſſime agant, qui reos, quoscunque demum, poſt requiſitionem iudicis laici occultant, et omnes ſuas artes impendunt, vt in perniciem reipublicae eius manibus elabantur dubium non eſt. *Si tamen id fiat*, ait P. Zech. *l. c. cap. IX.* §. 187. *poteſt iudex ſecularis ſibi perſuadere, talem hominem paulo poſt iterum ob noua ſcelera in manus iuſtitiae venturum.* Hic ergo fructus tam ſolicitae, et ſanctae protectionis?

§. DCCCLXXVI.

Nec recepti per magiſtratus extrahi queunt.

Porro recepti per magiſtratus *violenter* ad poenae executionem extrahi non poſſunt. At quia reſpectu eorum, qui criminis *excepti rei* ſunt, loca immunitatis talia eſſe deſinunt; nec eccleſia, nec locus alius immunis reum eiusmodi criminis, a poena, aut proſecutione iudicis, qui *gladium portat ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum*, vllatenus tutum reddere valebit. Et quia magiſtratus iure proprio criminum reos perſequuntur, licentia epiſcopi, vt eiusmodi confuga extrahi poſſit, non ſolum eſt ſuperflua, ſed etiam fini conſequendo contraria.

Nouell. XVII. cap. 7. can. 6. XVII. q. IV. cap. 6. h. t. COVARRVV. *l. c. n.* 34. 35. VAN ESPEN *loc. cit. cap. VII.*

§. DCCCLXXVII.

Niſi quis reus ſit excepti criminis.

Prius tamen conſtare debet iudici crimen, de quo agitur, eſſe *exceptum*, cuius quidem non plena requiritur probatio, ſed qualis ex informationibus praeparatoriis haberi ſolet. Verum, quia et hoc ipſum ſaepe dubium eſt, et mora occaſionem aufugiendi praebere ſolet, id receptum in multis locis eſt, et ſaltim vbique recipiendum eſſet, vt extractio auctorita-

te

te iudicis ſecularis fiat in quocunque delicto grauiore, neque tuti ſint confugae, niſi in delictis leuioribus. Solius iudicis ſecularis eſt cognoſcere, principis autem in caſu quocunque ſtatuere, num extractus eo modo aſylo ſit reſtituendus.

Atque haec iam pridem in regno Galliae fuit conſuetudo conformiter ad conſtitutionem Francisci I. *reg. gall. de an.* 1539. *art.* 166. Covarruv. *l. c.* Bobr. *deciſ.* 103. Qua oblique ſenſim omnia aſyla gallicana labefactata eſſe experientia teſtatur. *Nec eccleſia gallicana magnopere ſibi laborandum cenſuit ad defenſionem aſylorum ſacrorum, quorum iam fructus non ille erat, qui olim optatiſſimus, poenitentiae publicae liber vſus; ſed ille potius triſtiſſimus, ſcelerum impunitas.* Thomassin. *l. c.* Add. Van Espen *l. c. cap. VII.*

§. DCCCLXXVIII.

Accepta tamen de vita ac membris ſecuritate confugam extradi neceſſe eſt.

Quod ſi reus aſylo dignus videatur conſequens eſt, vt, ſi crimen morte vel ſeueriore poena corporali plectendum commiſiſſet, poenae ordinariae remiſſio ei indulgeatur. Nihil itaque prohibet, quo minus eo in caſu ad poenam mitiorem condemnari poſſet: atque hinc ſecuritate de vita, ac membris accepta, talem confugam in loco immuni non detineri, ſed confeſtim tradi oportet.

§. DCCCLXXIX.

§. DCCCLXXIX.

Imo etiam contra latitantem in aſylo proceſſus inſtitui, mortisque ſententia proferri valet.

Immo ſi hanc ſecuritatem dari non placeat, dubium non eſt, quin (quod multorum tribunalium praxis oſtendit) interim iudex ſecularis, qui reum in aſylo latere non ignorat, eum citare, et inſtituto proceſſu contra abſentem proferre etiam mortis ſententiam valeat, quam executioni mandabit, quamprimum reum extra locum immunem comprehenderit.

Longe alius eſt in hac re procedendi modus, quem P. ZECH. *l. c. cap. IX. et X.* ſecundum conſtitutiones pontificias recentiores deſcribit, *et ſigillatim* explicat, quid obſeruandum ſit, *ſi* 1.) reus *certo gaudeat* iure aſyli, ſi 2.) id *dubium* ſit, et ſi 3.) *certum* ſit, quod *non* gaudeat. Recte, ſi his conſtitutionibus pontificiis PLACETVM REGIVM et *promulgatio* acceſſerit.

DE POENIS VIOLANTIVM IMMVNITATEM.

§. DCCCLXXX.

Violatores immunitatis duplici poena pleċtuntur.

Violatores immunitatis eccleſiaſticae in extrahendo reo vtroque iure vindicantur. Secundum *leges* rei ſunt criminis laeſae maieſtatis,

is capitali et vltimi ſupplicii animaduerſione plectendi. Secundum *canones* conſtituta in eos eſt inprimis poena pecuniaria iudicis arbitrio varianda, dein poenitentia publica, demum poena excommunicationis ferendae ſententiae.

L. 2. l. 6. cod. de his, qui ad eccleſ. l. 2. cod. de crim. ſacril. can. 7. 20. 21. 8. 19. 6. 10. 35. 36. XVII. q. IV. Verum nec canonico nec romano iure criminali hodie vtimur. Si tamen ius Aſyli priuilegio principis, conſuetudine, vſuque legitimo nitatur, illudque nec expreſſe, nec tacite ſit ſublatum, magiſtratibus illud impune violare non licet, et eccleſia laeſa contra eiusmodi violatores debitam ſatisfactionem a principe omnino petere poteſt.

DE IMMVNITATE REALI IN SPECIE.

§. DCCCLXXXI.

Immunitas realis definitur.

Immunitas realis eſt exemptio perſonarum et rerum eccleſiaſticarum ab omni genere contributionum et onerum, ſiue ea perſonalia, ſiue realia, ſiue mixta ſint, quae alias ciuibus reipublicae debentur. In extendendo hoc fauore dici non poteſt, quam ingenioſa ſit luxuriantium ingeniorum philoſophia. Huc enim referunt I.) *Clericos*, hac voce in ſenſu latiſſimo accepta, id eſt, omnes diuino ſeruitio ſpecialiter deputatos. II.) *Res omnes* modo quocun-

que ad has perſonas pertinentes. III.) *Onera omnia*, quocunque nomine illa veniant.

Teſtem hic adduco vnum pro omnibus, quia eadem fere omnium ſententia, ita autem P. FRANCISCVS SCHMALZGRVEBER *I. E. V. ad h. t. §. 1. num.* 51. *Certum eſt* 1.) *ea immunitate de iure gaudere eccleſias, monaſteria, ceteraque loca ſacra, et religioſa.* 2.) *Regulares vtriusque ſexus etiam nouitios. Et extenditur haec immunitas etiam ad oblatos religionum. Item ad Franciſcanos, et Sorores tertii Ordinis S. Franciſci, qui in communitate religioſa viuunt, nec non ad commendatarios, et equites ordinum militarium.* 3.) *Clericos etiam in minoribus conſtitutos, aut prima ſaltem tonſura initiatos etc. Item colonos eccleſiae, vel perſonarum eccleſiaſticarum. De bonis eccleſiaſticis, quod excepta ſint ab omnibus oneribus, et tributis, certum eſt apud omnes catholicos, ſiue titulum intueor, ſiue perſonam. — — Et dicendum porro eſt, Clericos etiam ſecundum bona patrimonialia eximi a tributis, et oneribus non mere realibus, quae non ex vi pacti, ſed ex vi ſolius iurisdictionis lege publica ordinaria a principibus ſecularibus imponuntur etc.* Add. AVGVST. BARBOSA. *I. E. V. Lib. I. cap.* 39. §. 5.

EX HISTORIA OSTENDITVR, EAM EX PRINCIPVM PRIVILEGIIS DESCENDERE.

§. DCCCLXXXII.

Ea prius a Conſtantino M. conceſſa.

Primus fuit CONSTANTINVS. M., qui cum plurima in fauorem eccleſiae chriſtianae conſtituiſſet, ſimul etiam *bona ad eccleſias pertinentia* a quibuscunque (*l.* 1. *cod. Theod. de annon.*

et

et tribut. l. 4. cod. Iuſtin. eod.) ipſos autem *clericos eorumque praedia* a nouis tantum col-lationibus exemit. (*l. 8. cod. Theod. de epiſc. et cler.*)

SOZOMEN. *hiſt. eccleſ. lib. I. cap. 8. 9.* FRANCISCVS BALDVIN. *de legg. Conſtant. M.* Praeterea ne Clerici a functionibus ſuis religioſis abſtrahantur, a muneribus ciuilibus, et perſonalibus vacationem iis indulſit. *l. 1. 2. 7. cod. Theodoſ. de Epiſ. et Cler.* IAC. GOTHOFRED, *in Comment. ad LL. cit.* Add. EVSEB. *Hiſt. eccleſ. Lib. X. cap. 7.*

§. DCCCLXXXIII.

Poſtea ab eius filio Conſtantino confirmata, auctaque fuit.

CONSTANTINVS, Conſtantini M. filius, illa patris ſui priuilegia, et confirmauit, et nouis adauxit. Sic I.) exemptionem a *muneribus ciuilibus et curialibus* ad omnes indiſtincte clericos extendit (*l. 9. 11. cod. Theod. l. 16. ibid. de Epiſc. et cler.*) II.) nullam contentionem eſſe circa eos *munerum ſordidorum* ſtatuit (*l. 10. 14. cod. Theod. l. 2. cod. Iuſtin. ibid.*) III.) immunitatem a *cenſu capitum* conceſſit. (*L. 10. 14. cod. Theod. ibid.*) Ceterum ad reliqua *penſitanda fiſcalia* etiam clericos perurgeri iuſſit. *L. 15. cod. Theod. l. 3. cod. Iuſtin. ibid.*)

SOZOM. *Lib. III. cap. 17.* Fata conſtitutionum de exemptione *a muneribus curialibus* enarrat IOS. BINGHAM. *origin. eccleſ. Lib. V. Cap. III. §. 14. ſeq.*

[redacted]

Quid ſint *munera ſordida* explicant GOTHOFRED. *in Comment. ad l.* 15. *cod. Theod. de extraord. mun.* THOMASSIN. *Vet. et Nou. Eccleſ. diſcipl. p. III. L. I. cap.* 33. §. 5.

§. DCCCLXXXIV.

Quae tamen ad pauperes praecipue clericos pertinuit.

Porro IV.) primum clericos pauperes: (*l.* 8. *cod. Theod. de epiſc. et cler. l.* 1. *cod. Theod. de luſt. collat.*) dein omnes ſine diſcrimine (*l.* 10. 14. *cod. Theod. l.* 2. *cod. Iuſtin. de epiſc. et cler.*) mox denuo pauperes tantum (*l.* 15. *cod. Theod. ibid. a luſtrali collatione* ſeu *chryſargyro* exemit. Addidit V.) exemptionem a *metationibus, translationibus, angariis, perangariis* (*l.* 8. *cod. Theod. l.* 1. *Iuſt. ibid. l.* 10. 13. 14. *cod. Theod. l.* 2. *Iuſt.* ibid. quam tamen ſuſtuliſſe iterum videtur (*l.* 15. *cod. Theod. L.* 3. *Iuſtin. ibid.*)

IAC. GOTHOFRED. *ad. l.* 1. *cod. Theod. de luſt. collat.* et *ad. l.* 10. 13. 14. *cit.* BINGHAM. *l. c.* §. 10.

§. DCCCLXXXV.

Abrogata a Iuliano apoſtata priuilegia immunitatis renouata ſunt a Valentiano et Valente, Gratiano, Valentino II. et Theodoſio M.

Abrogauit quidem, vt videtur, haec priuilegia IVLIANVS APOSTATA; ſed mox iterum con-

[redacted]

confirmata ſunt a VALENTINIANO et VALENTE Impp. (*l.* 18. *cod. Theod. de epiſc. et cler.*) dein a GRATIANO *l.* 24. *cod. Theod. l.* 6. *Iuſt. ibid.*) VALENTINIANO II., et THEODOSIO M., qui eccleſias a *muneribus* quidem *ſordidis*, non tamen *extraordinariis collationibus* immunes eſſe declararunt. (*l.* 15. 18. *cod. Theod. de extraord. muner.*)

THEODORET. *hiſt. eccleſ. Lib. III. cap.* 3. *Lib. IV. c.* 4. SOZOM. *Lib. V. cap.* 5. GOTHOFRED *ad LL. cit.*

§. DCCCLXXXVI.

Nec minus eccleſiae Arcadius et Honorius fauerunt.

Eodem fauore eccleſiam clericosque proſecuti ſunt ARCADIVS et HONORIVS Impp. Plures eorum conſtitutiones de hac re *in cod. Theod.* legi poſſunt (*l.* 30. 34. *de epiſc. et cler. l.* 13. *cod. Iuſt. l.* 38. *cod. Theod. ibid. l.* 22. *de extraor. mun. ibid.*) praeſertim *l.* 29. *de epiſc. et cler.* Verum haec immunitas tantum ad *munera* et praecipue *ſordida*, et *extraordinarias collationes* ſe extendebat. (*l.* 4. *cod. Theod. ibid. l.* 5. *cod. Iuſt. de SS. eccleſ.*) Ordinaria enim, et *canonica collatio* clericis diſerte imponitur (*l.* 33. *cod. Theod. l.* 11. *Iuſt. de Epiſc. et. cler.*) et ab *auraria penſione* ſeu *collatione luſtrali* in tantum, qui victus emendi, et ſe ſuſtentandi cauſa negotiarentur, eximuntur (*l.* 36. *cod. Theod. ibid.*)

[redacted]

§. DCCCLXXXVII.

Priuilegia haec a ſubſequentibus imperatoribus partim reſtricta aut reuocata ſunt.

Theodosivs ivn. bonis ad eccleſias Theſſalonicenſem, Conſtantinopolitanam, et Alexandrinam pertinentibus immunitatem indulſit, ita tamen, *ne externorum grauamine tributorum reſpublica eccleſiaſtici nominis abuſione laedatur. (l. 33. cod. Theod. l. 12. cod. Iuſt. de ann. et tribut. l. 8. cod. Iuſt. de SS. eccles. l. 6. cod. Theod. de patron. iur.)* Idem Theodosivs II. et Valentinianvs III. exemptiones, quatenus *viarum, et pontium etc. reſtaurationes (l. 6. cod. Theod. de itin. mun. l. 7. Iuſt. de SS. eccles. Nouell. Theod. tit. 21.)* quatenus *translationes (l. 11. de SS.* eccles. *l. 21. de curſ. publ. cod. Iuſt.)* ſpectabant, reſtrinxerunt. Valentinianvs III. priuilegia clericis negotiationes exercentibus conceſſa reuocauit. *(Nouell. Valentin. tit. 12. cod. Theod.)* Reliqua Leo et Anthemivs Impp. generatim confirmarunt. *(l. 35. cod. Iuſt. de Epiſc. et Cler.)*

§. DCCCLXXXVIII.

Certi quoque a Iuſtiniano imper. immunitati huic limites poſiti ſunt.

Huius confirmationis vigorem Ivstinianvs valere ſanciuit, addita tamen conſueta limi-

limitatione. (*Nouell.* 131. *cap.* 5.) iuſſit, vt erepta quidem ab Arianis bona eccleſiis reſtituantur, *vt tamen publicas pro iis penſiones conferant.* (*Nouell.* 37.) Exemptionem eccleſiae Conſtantinopolitanae magis amplam, ad alias vero eccleſias non extendendam eſſe voluit, *ne aliorum onera ad alios deferantur.* (*Nouel.* 43. *cap.* 1.) Tandem, quae piis cauſis ex cauſa lucratiua obuentura eſſent, a *denariſmo* ſeu *lucratiuorum inſcriptione* liberauit. (*l.* 22. *de SS. eccleſ. et Nouell.* 131. *cap.* 1.)

Ios. Bingham. *l. c.* §. 11. De fatis huius immunitatis iisdem in Germania, Gallia, Anglia, Hiſpania etc. vid. Thomassin. *P. III. Lib. I. cap.* 34. — 49. Van Espen *P. II. Sect. IV. Tit. IV. Cap. I. II. III.*

QVO IVRE IMMVNITAS REALIS NITATVR.

§. DCCCLXXXIX.

Immunitas realis nec ex iure nat. nec diuino poſitiuo nec humano eccleſiaſtico deriuanda eſt.

Quo iure haec immunitas conſtituta ſit? Illiacos intra muros certatur et extra. Nos ſine ambagibus eam nec ex *naturali*, nec ex *poſitiuo iure diuino*, nec ex *iure humano eccleſiaſtico*, verum ex ſola *principum liberalitate* deriuari poſſe intrepide adſerimus. Cuius poſitionis demonſtrationem hic adſcribo eorum dunta-

[redacted]

taxat gratia, quibus veritas haec non ſatis placet.

§. DCCCXC.

Demonſtratur I. ex principiis iuris publici vniuerſalis.

Quod ad eam iurisprudentiae naturalis partem, quam *ius publicum vniuerſale* adpellamus, adtinet, optarem ego, vt tantum olei in perſcrutanda hac ſcientia impendiſſent immunitatis patroni, quantum in euoluendis decretalitarum voluminibus perdiderunt. Ius indicendi, et exigendi tributa ad finem ciuitatis obtinendum neceſſaria, *maieſtaticum* eſt, ciuitati coaeuum, et *eſſentiale*, adeoque ſummo imperanti tantum, *per ſe* competit. Huic iuri correlata eſt ſubditorum obligatio eadem in ſingulis, licet diuerſa ſit eorum religio; *neque enim pietatem ſubuertit illa ſubiectio.* (S. CHRYSOST. *homil. II. ad popul. Antioch.*)

Chriſtiana autem ſuis ſectatoribus eandem non vno in loco grauiſſimis verbis inculcat. MATTH. XXII. 21. MARC. XII. 17. LVC. XX. 21. — 25. CORNEL. A LAPID. *ad Matth. l. cit.*

§. DCCCXCI.

II. Ex alio medio.

Eccleſia in republica exiſtit; ergo eius membra non poſſunt non duplicem ſtatum habere,

[redacted]

bere, duplicis generis iura, et obligationes. Hinc euidens eſt, *clericos* tum perſonarum, tum bonorum ſuorum intuitu, ſimul *ciues* et *ſubditos* eſſe reipublicae, obligatione *perfecta* ad id obſtrictos, vt ad bonum commune conſequendum vires ſuas conferant.

S. OPTAT. MILEVIT. *aduerſ. Parm. de Schiſm. Donatiſt. Lib. III. cap.* 3. PETR. DE MARC. *de concord. Sacerd. et Imp. Lib. II. cap.* 7. §. 1. et in Diſſert. *ad Can.* 8. *III. q. IV.*

§. DCCCXCII.

Confirmatur e Chriſti doctrina.

Hanc obligationem naturalem CHRISTVS *Dominus*, qui *non venit legem ſoluere, ſed adimplere*, non tantum non ſuſtulit, ſed vbique magis confirmauit. *Reddite quae ſunt Caeſaris, Caeſari: et quae ſunt* DEI DEO (MATTH. *XXII.* 15.) *Omnis enim anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit.* — — *Ideo neceſſitate ſubditi eſtote, non ſolum propter iram, ſed etiam propter conſcientiam. Ideo enim et tributa praeſtatis: miniſtri enim* DEI *ſunt in hoc ipſo ſeruientes. Reddite ergo omnibus debita; cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal: cui timorem, timorem; cui honorem, honorem.* (*Ad* ROM. *XIII.* 1. *ſeqq.*)

Add. IOAN. XVIII. 33. MATTH. XXVII. 11. MARC. XV. 2. LVC. XXIII. 4. ad TIT. III. 1. II. PETR. II. 13.

§. DCCCXCIII.

A Theologis et Canoniſtis adhuc perperam explicata.

Si eam nemo ſuae prudentiae innixus ſacram ſcripturam aliter interpretari audeat, quam iuxta conſenſum vnanimem Sanctorum Patrum ipſam interpretantium, quis non miretur Theologos, et iuris canonici interpretes alias non indoctos, in omnia alia abire; et contortis ſuis explicationibus, et interpretationibus, malae cauſae inſeruire: quam veritatem iure naturali, diuino poſitiuo, et veneranda Sanctorum Patrum auctoritate luculentam, dubiam conteſtari maluiſſe.

S. IVSTINVS MART. *in Apolog. II.* ita interpretatur. *Illud etiam ſtudio nobis eſt, vt* VECTIGALIA et CENSVS, *quibus hoc munus commiſiſtis, pendamus; quemadmodum ab eo ſumus inſtituti. Illo namque tempore accedentes quidam percunctati ſunt ex illo, an* CAESARI VECTIGALIA PENDERE OPORTEAT? *qui reſponſum hoc ab eo retulere. Dicite, inquit, mihi, cuius imaginem nummus habet? qui vbi dixiſſent, Caeſaris:* REDDITE IGITVR, *ait,* QVAE CAESARIS SVNT, CAESARI: ET QVAE DEI, DEO. *Proinde nos ſolum* DEVM *adoramus, vobis autem in rebus aliis laeti ſeruimus reges ac principes hominum eſſe cognoſcentes.* In eadem ſententia fuit TERTVLLIANVS: REDDITE, *quae ſunt Caeſaris,* CAESARI; *et, quae ſunt* DEI, DEO, *id eſt, imaginem Caeſaris, Caeſari, quae eſt in* NVMMO: *et imaginem* DEI, DEO, *quae in homine eſt, vt* CAESARI QVIDEM PECVNIAM REDDAS, DEO *temetipſum.* S. HILARIVS EPISC. In Comment. ad cap. 22. Matth. *Si enim nihil, quod Caeſaris eſt, penes nos reſederit, conditione reddendi ei, quae ſua ſunt, non tenebimur,*

porro

porro autem ſi rebus illius incubamus, ſi iure poteſtatis ſuae vtimur, extra querelam iniuriae eſt, Redhiberi Caesari, *quod Caeſaris eſt*. Idem docet S. Hieronym. *in Cap. III. ad Tit.* et pluribus in locis S. Ambros. *Epiſt.* 33. *ad Marcell. Soror.* et *in Orat. contra Creſcent.* vbi ait: Tributum Caesaris est, non Negatur. Add. Cornel. a Lap *in loc. cit.* Sed et alii locum S. Pauli ad Rom XIII. 1. explicant: S. Irenaevs Lib. V. cap. 24. adver. haereſ. *Et ſecundum hoc miniſtri* Dei *ſunt, qui* Tributa *a nobis exigunt, in hoc ipſum ſeruientes poteſtates a* Deo *ordinatae ſunt.* S. Chrysost. homil. 22. ad Rom. XIII. *oſtendens ordinari haec* Sacerdotibus, *non ſecularibus ſolum.* Quod ipſe in exordio planum fecit, ſic dicens: *omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit. Etiam ſi Apoſtolus ſis, etiamſi Euangeliſtes, etiamſi Prophetes, etiamſi quisquis es. Haec enim ſubiectio non ſubuertit pietatem.* S. Avgvstin. *in Expoſit. quarumd. prop. ex Epiſt. ad* Rom. XIII. *tom. III. col.* 920, *Si quis ergo putat, quoniam chriſtianus eſt, non eſſe* Vectigal Reddendum, *aut* Tributum —— *iis, quae haec curant, poteſtatibus, in magno errore verſatur.* Item *ſi quis putat, ſe eſſe ſubdendum, vt etiam in ſua fide habere poteſtatem arbitretur eum, qui temporalibus adminiſtrandis aliqua ſublimitate praecellit, in maiorem errorem labitur.*

§. DCCCXCIV.

Igitur ex ſola principum ſecularium liberalitate proficiſci potuit.

Ergo ex iure humano deriuanda erit haec immunitas, & quidem non alio, quam ciuili. Dixi enim, Majeſtati tantum competere ius indicendi, et exigendi tributa a ſubditis ſine differentia religionis, ac ſtatus. Oſtendi clericorum coetum nec bonorum, nec perſonarum ſua-

[redacted]

ſuarum intuitu ab hac obligatione iure diuino exemptum. Ergo talis exemptio non niſi a Maieſtate proficiſci poteſt. Certe eccleſia eam ſuis Clericis dare non potuit, quod cuiuis, qui mutuam vtriusque poteſtatis independentiam agnoſcit, & quis eam non agnoſcat? in oculos incurrit.

§. DCCCXCV.

Qui eam ob bonum reipublicae poſſunt reſtringere, aut plane abrogare.

Certum itaque eſt, a ſola principum et originetenus quidem imperatorum liberalitate clericos ſuam immunitatem habere. Omnia priuilegia a ſummo imperante immo, et reuocari poſſunt, gratuita quidem pro arbitrio; oneroſa autem, ſi ſalus reipublicae id expoſcat. Immunitatis, de qua agimus, priuilegium mere gratuitum eſt, neque enim clerici iure perfecto eam exigere poſſunt. Ad quid ergo indulto pontificio opus erit, ſi princeps eccleſiae et clericis conceſſam immunitatem tollere, reſtringere, eosque ad debita reipublicae obſequia praeſtanda adigere voluerit.

OB-

OBIECTIONES EX S. SCRIPTVRA, ET TRADITIONE; EARVMQVE SOLVTIO.

§. DCCCXCVI.

Obiectio I. ex ſcriptura veteris teſtamenti.

Supereſt, ut obiectiones, & vulgata ſophismata ſoluamus. 1.) Ex veteri teſtamento adducunt Pharaonem *Geneſ. XLVII.* 22. et Artaxerxem *I.* Esdrae *VII.* 24. quos (aiunt) ſola ratio docuit, ſacerdotibus immunitatem indulgere. Quid ergo chriſtianos principes deceat adparere. Verum tantum abeſt, ut haec exempla diuinam immunitatis a tributis, et vectigalibus originem demonſtrent, vt potius noſtram ſententiam confirment. Quin, ſi contextus legatur, neque proprie ſic dictam immunitatem deprehendere licet.

Nam Aegyptii extrema fame preſſi pro alimonia venditas Pharaoni terras recuperarunt ea conditione excolendas, vt quintam fructuum partem penderent. Huic oneri ſacerdotes, qui ſuas terras non vendiderant, iuſte ſubeſſe haud poterant. Immo cum per ſe ſe nec excolere, vtpote miniſterio diuino occupati, ſuas terras poſſent, eisdem tamen ſuſtentatio deberetur, dictante recta ratione, a praeſtanda quinta parte fructuum reliquis ſubditis impoſita a Pharaone merito erant eximendi. Hanc autem nec dici poſſe *proprie immunitatem* in ſenſu a nobis ſupra expoſito, quisque cordatus videt. Artaxerxes item haud *ex naturali obligatione*, cuius pariter *nullum ibi veſtigium*; ſed ex magnanimitate, ſingulari clementia, et ſummi ſacerdotis Esdrae adeo aeſtimati reuerentia, [illegible] Leuitis tri-

[redacted]

tributa exigantur Arcae publicae cuſtodibus prohibuerat, quod ius exercendi ſubordinati magiſtratus vtique non habent. Ceteroquin de omni eo (nec ſacerdotibus exemptis) qui Dei et regias leges non ſervaſſet, dum omne iudicium ſibi reſeruauit; luculenter indicauit *omnem*, qualis demumcunque ea eſſet, *immunitatem* a *ſua* mere liberalitate, et poteſtate oriri, extendi, *reſtringi*. Genes. XLVII. 20. I. Esdr. VII. 24. ſeqq.

§. DCCCXCVII.

Obiectio II.

II.) Deus leuitis pro miniſterio eorum *ſacro* decimas omnes adtribuit cum exemptione ab omnibus oneribus, ſi primitias ſummo ſacerdoti praeſtandas exceperis. *Argumento a minori ad maius* ducto, cur clerici noſtri *non* eadem immunitate gaudeant, de quibus dicit Psalmista; *nolite tangere Chriſtos meos*. Verum clericorum dignitatem ſanctam, et inuiolabilem eſſe debere nemo negat. Sed et nemo hactenus antiquatas ciuitatis iudaicae leges nobis impoſuit, quarum inſuper longe alia eſt ratio ab ea, quam praetenſa immunitas iſta exigit.

Leges veteris teſtamenti cerimoniales, et iudiciales ſpeciali ratione a Domino Deo Synagogae, et reipublicae hebraicae latas ad eccleſiam Chriſti minime pertinere alibi docui. Leuitis enim decimae conſtitutae fuerunt, *ut nihil aliud poſſideant*, ideoque in terrae ſanctae diuiſione inter alias tribus Leuitis nulla ceſſit portio, ſed huius loco adſignatae ſunt decimae in compenſationem, et neceſſariam vitae ſuſtentationem, quae absque vllo

vllo dubio tributis et oneribus ſalua iuſtitia ita accidi, et exhauriri nequit, vt nil ſuperſit. Reliquis bonis imponi ſolent cenſus et tributa, per quae ſacerdotalis *dignitas* vtpote *ſpiritualis* non *tangitur*, ſicut nec maieſtas regia per morum, fideique dogmata offenditur. Repetatur, et adplicetur reſponſio ſupra P. II. ad hunc textum *nolite tangere Chriſtos meos* occaſione immunitatis perſonalis data. Impoſitio tributorum eſt ius maieſtaticum ſummis imperantibus iure naturali, et diuino reuelato competens nullam ergo iniuriam, illud in clericos, qua ciues et ſubditos exercendo, inferre cenſeri poteſt princeps.

§. DCCCXCVIII.

Obiectio III. ex nouo teſtam.

III.) *Reges terrae, a quibus accipiunt tributum vel cenſum?* (quaeſiuit Christvs ex Petro) *a filiis ſuis, an ab alienis? Et ille dixit ab alienis. Dixit illi IESVS: ergo liberi ſunt filii: vt autem non ſcandalizemus eos, vade et da eis pro me, et te.* Sed ego non video, quomodo hoc textu immunitas probari deberet. *Si enim cenſum Filius* Dei *ſoluit, quis tu tantus es, qui non putes eſſe ſoluendum? Tributum in ore piſcis piſcante Petro inuentum eſt, quia de exterioribus ſuis, quae palam cunctis adparent, eccleſia tributum reddit.* Ita S. Ambros. *in Comment. ad C. V.* Lvc. *lib. IV. cap. penult.*

Ad obiectum ex Matthaei cap. XVII. 24. et ſeqq. Scripturae textum cum Cornelio a Lapide celeberrimo Bibliorum interprete reſpondeo:

„ Non

„ Nonnullos canoniſtas ex hac CHRISTI ratio-
„ cinatione non recte colligere, *iure diuino cle-*
„ *ricos eſſe immunes, et liberos ab omni tributo.* Pa-
„ ri enim ratione colligeretur ab eodem immu-
„ nes eſſe omnes Chriſtianos, vti volunt Ana-
„ baptiſtae. Chriſtiani enim ſunt filii DEI ado-
„ ptiui renati in baptiſmo per gratiam; quod
„ tamen falſum eſſe dixit *Apoſtolus* ROM. XIII.
„ 7. et tota eccleſia. *Nam haec adoptio altioris*
„ *eſt haereditatis et ordinis, ſcilicet coeleſtis non ter-*
„ *reni.* Ita S. HILARIVS, CHRYSOSTOMVS, EV-
„ TYCHIVS, et alii. Recte tamen, et adpoſite ad
„ hoc CHRISTI dictum Reges et Principes a tri-
„ buto exemerunt eccleſiaſticos, *qui ſunt de do-*
„ *mo et familia* CHRISTI. Et tantum hoc vult
„ S. HIERONYMVS, *et canones*, dum dicunt cle-
„ ricos non tantum iure humano, ſed et diuino
„ exemptos eſſe a tributo. „ Nec aduerſantur
nobis, ſi cum dictis conferantur, ea, quae lauda-
tus CORNELIVS immediate ſubiungit, *quia ſcilicet*
ius diuinum dictat hanc exemptionem a principibus eſſe
concedendam, Eccleſiaſticis nempe (vt praemiſit)
iis, *qui ſunt de domo et familia* CHRISTI, ſeu eius,
quam Apoſtoli vita exprimebant, ſectatores
paupertatis. Hos quippe non *exemtos iam eſſe*,
at primum *eximendos* dictat ius diuinum, et qui-
dem a *principibus*, et qua *ſacerdotes* munia *ſpiritua-*
lia exercentes, adeoque vt *ſuperfluis carentes*:
non item, *qua ciues* reipublicae commodis fruen-
tes. Fundatur haec expoſitio etiam in S. AM-
BROSII *Comment. ad. Cap. V.* LVC. *Lib. IV. Cap.*
penult. Cuius clariſſimam ſententiam placet huc
adponere: „ *Magnum quidem eſt, et ſpirituale do-*
„ *cumentum, quo Chriſtiani viri ſublimioribus poteſta-*
„ *tibus docentur debere eſſe ſubiecti, ne quis putet po-*
„ *teſtatem terreni regis eſſe ſoluendam. Si enim cen-*
„ *ſum Filius* DEI *ſoluit*, qui tu tantus es, qui non
„ putes eſſe ſoluendum? et ille cenſum ſoluit,
„ qui nil poſſidebat, tu autem, qui ſeculi ſeque-
„ ris lucrum, cur *ſeculi obſequium non recognoſcas?*
„ Cur te ſupra ſeculum, quadam animi arrogan-
„ tia effers, cum ſeculo ſis miſera cupiditate

„ ſub-

„ ſubiectus? Si tu vis non eſſe Caeſari obnoxius, „ *noli habere, quae mundi ſunt, ſed ſi habes diuitias, obnoxius es Caeſari.* Si vis Regi nil debere terreno, relinque omnia, et ſequere „ CHRISTVM. „ Idem ſentit URBANVS PAPA ap. Grat. *Can.* 22. *XXIII. q. VIII. Can.* 27. *et* 28. *XI.* q. I. Dein *Can.* 21., *et* 22. *C. XXIII. q. VII.* Denique add. *Diſſertatio* von dem Rechte des Landesfürſten die geiſtliche Perſonen und Güter zu beſteuern a meo filio IOSEPH. ANT. DE RIEGGER, Iur. Eccleſ. Profeſſore, *Friburgi edita An.* 1769. §. 103. *et ſeqq.*

§. DCCCXCIX.

Nec ex traditione immunitas haec probari poteſt.

Quid IV.) ex *traditione* pro immunitate reali adferri poſſit, plane non video. Octo praeterierunt ſecula, et nemo fuit, qui eam iuri diuino adſcriberet. Id, quod adducta SS. Patum loca, leges principum, et omnis hiſtoria teſtatur a Pſeudo-Iſidori primum temporibus orta, et eodem modo, quem ſupra de aſylis adduximus, ſtabilita ſunt, vulgata de immunitate reali principia.

Vid. CLAVD. FLEVRY *Diſſert. IV. ad hiſt. eccleſ. Secul. X. et XII.* §. 7.

§. DCCCC.

Obiectiones ex conciliis vniuerſalibus vlteriores.

Quod in conciliis *lateranenſi III. can.* 19. ſub ALEXANDRO III., et *lateranenſi IV.*

[redacted]

can. 46. ſub INNOCENTIO III., et *Conſtantienſi ſeſſ. XIX.* ea de re cautum eſt, id leuiſſimi eſt ponderis. In duobus enim prioribus id agitur, *ne magiſtratus ſeculares propria aucto-ritate* clericis onera et tributa imponant. Et recte hactenus. Quae autem ſequuntur *de licentia a romano Pontifice impetranda, de nullitate conſtitutionum, et ſententiarum, de excommunicatione*, ipſa ſua abſurditate ſatis refutantur. In poſtremo dein tantum canonis *Lateranens. IV.* ac *conſtitutionum* FRIDERICI II. et CAROLI IV. *Impp.* renouatio continetur.

Cap. 4. *et* 7. *X. h. t. Authent.* CASSA ET IRRITA. *Cod. de SS. eccleſ. Authent.* ITEM NVLLA. *Cod. de Epiſ. et Cler.* NAT. ALEXAND. *Hiſt. Eccleſ. Secul. XV. Diſſert. V.*

§. DCCCCI.

Nouae ex conciliis vniuerſalibus.

In Concilio *Lateranenſi V.* ſub LEONE X. *ſeſſ. IX. et X.* pro certo ponitur, *a iure tam diuino quam humano laicis poteſtatem nullam in eccleſiaſticas perſonas adtributam eſſe.* Igitur in *virtute S. obedientiae mandatur* cunctis principibus, ne immunitatem eccleſiaſticam vllo modo turbare audeant. Addidit *Concilium Tridentinum ſeſſ. XXV. cap.* 20. *eccleſiarum immunitatem* DEI *ordinatione, et canonicis ſanctionibus conſtitutam* nullo modo eſſe violandam. Verum aut iſta non in eo ſenſu, quem nonnulli interpretes fingunt, ſunt intelligen-

ligenda, aut Doctores Tridentini ſcholaſticos hac in re deceptos fuiſſe dicendum eſt.

§. DCCCCII.

Ac ex corpore iuris canonici, et conſtitutionibus Pontificum ſecundum principia ſtabilita reſolui poſſunt.

Tandem vniuerſum iuris canonici corpus, innumeras pontificum conſtitutiones fulmine ſacro refertas continens, aduerſarii nobis obtrudunt. Sed alibi oſtendimus, corpus illud canonum qua tale in vtroque quidem foro, ſed non niſi in cauſis priuatorum ſponte receptum, iuribus maieſtaticis praeiudicium nullum facere. Quod autem extrauagantes, aliasque pontificum conſtitutiones non ad aedificandum publici iuris factas; praeſertim eam, quae de *Coena Domini* nomen habet, adtinet, melius ſane eccleſiae proſpectum fuiſſet, ſi vel nullo vnquam tempore ſolem adſpexiſſent, vel ſaltem in poſterum aeterno ſilentio inuoluerentur, hominumque memoriae eriperentur.

Ad has conſtitutiones Pontificias merito referas illam, quae BONIFACIVM VIII. P. habet auctorem *et hoc Tit. in VI.* inſerta invenitur *cap. Clericis laïcos* 3. quam CLEMENS V. *P.* in Concilio *Viennenſi* reuocatione dignam cenſuit, et actu reuocauit ingenue confeſſus, ex ea *nonnulla ſcandala, magna pericula, ac incommoda gravia eſſe ſecuta, et ampliora ſequi poſſe (niſi celeri remedio ſuccurratur)* ESPEN. *Tract. de promulgat. Leg. Ecleſ. P. I. Cap. III. §. 4.*

F I N I S.

INDEX
RERUM, et VERBORUM

Ubi numerus 1mus paginam, et alter ſphum denotat.

A.

pag. ſ.

Abbas an mutuum contrahere poſſit ſine conſenſu capituli. - - 242. 328.
quid ſit, et quae huius acceptiones? 414. 555.
localis, et generales in quo differunt? 415. 556.
an ei diſpenſanti in regula ſemper obediendum ſit? - - - 447. 592
an generaliter rigorem regulae augere poſſit? - - - - - 448. 593.
Abſtinentiae praeceptum quosnam obliget, et quae cauſae ab ea excuſent? 615. 843.
diſpenſatus quoad comeſtionem carnium an ſit etiam diſpenſatus quoad ſecundam refectionem? - - - 616.843.in ſch.
Aduocatos eccleſiarum inter et patronos quae differentiae? - - 512. 689.
quae horum conditio, et quotuplex horum protectio? - - 513. 690.
quaenam illis conſtituta iura? - 514. 691.
Aedificatio vitae clericorum quae in ſe includat? - - - 12. 18.
Alienatio bonorum eccleſiae an epiſcopis olim competebat, a quo, et quibus limitibus circumſcripta? - - - 217.299.ſeq.
an principes ſeculares circa eam leges tulerint? - - - - 219.301.ſeq.
quorum locorum in bonis prohibeatur? 220. 302.
cur in bonis eccleſiae fieri non debeat? 221. 303.
quot modis fieri poſſit, et an per conſtitutionem hypothecae? - - 221.304.ſeq.

quid

[redacted]

INDEX

	pag.	§.
quid ſub hypotheca generali comprehenditur? - - -	224.	306.
quod remedium eccleſiae competit contra praelatum, ſi is ius aliquod delatum repudiarit? - -	224.	306.
an licita ex cauſa pietatis, neceſſitatis, vel vtilitatis eccleſiae? - -	225.	307.
quid SS. patres requirant ad eam?	225.	307. ſeq.
quas ſolennitates, et cuius conſenſum requirat? - - -	227.	309.
an fieri poſſit ab abbatiſſa ſciente, et non contradicente conuentu? -	228.	309.
quid ſentiendum de conſtitutione paulina, quae conſenſum pontificis requirit? - - -	228.	310.
an conſenſum principis ſecularis requirat? - - -	229.	311.
an conſenſus hic exerceatur vi conſuetudinis, vel priuilegii pontificii?	229.	311.
an valida, ſi praeſumtio de ſolennitatibus rite adhibitis pro ea militet?	230.	312.
an haec praeſumtio locum habeat in iure canonico, vel ſolum in iure ciuili?	231.	312.
rerum mobilium, et minus pretioſarum an inſtructa debeat eſſe his ſolennitatibus? - - - - -	232.	313.
an ſit nulla pro vtroque foro abſque ſolennitatibus facta? - -	233.	314.
an valeat ex ſola iuſta cauſa, et an praeſcriptio ſuppleat defectum ſolennitatum? - - - - -	233.	315. ſeq.
quid in Auſtria circa praeſcriptionem rerum eccleſiaſticarum ſtatutum?	234.	316.
ſi illegitima ſit, quomodo eccleſia ſe tueri poteſt? - - -	235.	317.
quae ſint poenae ſtatutae in male alienantes res eccleſiaſticas, et in mala fide recipientes? - -	236.	318.
Altare quid, et quae eius diuiſio?	568.	772.
cur ſine reliquiis conſecrari nequeat?	639.	834.
Amortizationis legi quis anſam dederit?	451.	596.
Apoſtata, et fugitiuus religioſus qui?	459.	606.

[redacted]

Rervm, et Verborvm.

pag. §.

Apotheoſis ſolennis quo tempore obtinuit? vid. *canonizatio*? - - 603. 829.

Armis an et quando clericis vti liceat? 10. 15.

Aſcetae qua de cauſa multiplicati, quis horum auctor, et illuſtrator? 389.524.ſeq.

Aſylum eccleſiaſticum quid? - 618. 846.
an ius id ſtatuendi ſit maieſtaticum? 619. 848.
quomodo immunitati eccleſiarum occaſionem praebuerint epiſcoporum interceſſiones? - - - 619. 849.
quare principes locis venerabilibus concedebant? - - - 620. 850.
quomodo probetur? - - 621.851.ſeq.
an eccleſia ſibi hoc antiquitus adrogauerit? - - - 623. 854.
quomodo canonibus gratianeis reſpondeatur? - - - 623.855.ſeq.
an pontifex iuſte id ſibi vindicarit? 625.858.ſeq.
an fluat ex iure naturae vel diuino poſitiuo, vel humano? - - 627.861.ſeq.
an principes circa id leges ferre poſſint? 629. 864.
an pontifices circa id leges ferre poſſint? - - - - 630. 865.
quomodo interpretandum priuilegium, et ad quid adtendendum? - 631. 866.
quaenam loca eo gaudeant? - 632.867.ſeq.
quaenam perſonae eo gaudeant? 633. 869.
ob quae crimina non concedatur? 634.870.ſeq.
quae crimina recentiores pontifices ab eo exceperint? - - 635.872.ſeq.
quid faciendum rectoribus eccleſiae, ſi reus ad id confugiat? - - 637. 875.
an recepti a magiſtratu violenter extrahi poſſint, et quando? - - 638.876.ſeq.
quid ſi magiſtratus ſpondeat ſecuritatem a vita, et membris. - - 639. 878.
poteſtne ferri ſententia mortis in eum, quem iudex ſcit latere in aſylo? 640. 879.

B

[redacted]

INDEX

pag. §.

B.

Baptiſmus quid? - - - 591. 809.
quotuplex, quis proprie talis dici debeat? - - - - 592. 810.
quae illius forma? - - 592. 811.
quae eius materia? - - 593. 812.
quis miniſter ordinarius, quis in caſu neceſſitatis? - - - 593. 813.
in qua eccleſia conferendus ſit? 594. 814.
an certum tempus pro eo conferendo determinatum? - - 595. 815.
quibus, et ſub quibus requiſitis conferri poſſit? - - - 595. 816.
an cerimoniae interrupte vel in continua ſerie adplicari debeant? - 596. 817.
quid patrini, et quae illorum adpellationes? - - - 596. 818.
qui excludantur ab officio patrini, et qualis numerus requiratur de iure canon.? - - - - 597. 819.
quotuplices eius effectus, et quinam ciuiles, ſeu externi? - - 598. 820.
quinam notabiliores eius effectus? 598. 821.
quare ante cetera Sacramenta ſuſcipi debeat, et quid in dubio? - 599. 822.
Beati, et ſancti quomodo differant? 601. 825.
Beatificatione an pontifex, et eccleſia ſit infallibilis? vid. *canonizatio.* - 604. 830.
Benedictinorum monaſterii caſſinenſis, et nouae regulae auctor quis fuit? 395. 532.
regula per quos in occidente propagata, et reformata? - - 396. 533. ſeq.
Beneficiatus ſub quali poena ad reſidentiam teneatur? - - - - 47. 74.
Beneficium quid in genere? vnde hoc nomen deſcendat? - - - 57. 90.
quomodo definitur? quae eius requiſita? - - - - - 58. 91.
an idem ac praebenda, et quae eius differentiae? - - - 59. 92.
beneficia aeuo Apoſtolorum an fuerint? 560. 94.

[redacted]

pag. §.
quae poſt eos diuiſio bonorum facta? quae ſeculo V. et an haec poſtea vbique fuerit obſeruata? - - 62. 97. ſeq.
an diuiſio bonorum eccleſiae vbique fuerit recepta? - - 64. 99. ſeq.
quomodo ſunt orta, et perpetua facta? 66. 102.
quid ſimplicia, quid curata? - 67. 103.
quid illa, quibus dignitas, aut officium eſt adnexum, et quid haec? - - 68. 104.
beneficia ſecularia quid, quid regularia? - - - 70. 106.
quae regula inde orta: et an praeſcriptio locum habeat? - - 71. 107.
compatibilia quae, et quae incompatibilia? - - - - 72. 108.
et quot capitibus oritur incompatibilitas? - - - - 73. 109.
ex eorum pluralitate quae oriantur mala? 74 110.
quae fuerint cauſae pluralitatis beneficiorum? - - - 75. 111.
quid CONC. TRID. hac de re ſtatuit? 76. 112.
quae electiua, quae collatiua? 77. 113.
an pontifex poſſit illimitate conferre? 81. 119. ſeq.
an laici conferre poſſint? - 83. 122.
quibus conferenda, an dignioribus ſine exceptione? - - - 84. 123. ſeq.
poſſeſſio eius per triennium an aliquod ius tribuat? - - - 117. 167.
vacatio beneficii quid et quotuplex? 119. 170. ſeq.
quodnam vacans debet, quodnam poteſt, et quodnam nequit conferri? 120. 172. ſeq.
quid circa promiſſionem beneficii ſtatuit CONCIL. LATERAN. - 121. 174.
quibus interpretationibus huius concilii conſtitutio fuit obnoxia? - - 122. 175.
quis Bonifacii VIII. et CONC. TRID. ſenſus de conſtit. CONC. LATERAN.? 123. 174. ſeq.
an promiſſiones iuramento firmatae teneant? - - - 125. 179.
quid de reſeruationibus in Germania ſentiendum? - - - 127. 182.

bene-

pag. §.
beneficia eccleſiaſtica an ſine diminutione conferenda ſunt, et quid diminutio? 189.267.ſeq.
in quem vſum adplicandi fructus beneficii vacantis, et an diminutio eorum poſſit eſſe licita? - - 190. 268.
vnio beneficiorum quid et quotuplex? vid. *vnio.* - - - 203.283.ſeq.
Bona clericorum quotuplicia ſunt? 265. 369.
patrimonialia quid, quo iure ea clerici poſſideant, quis de iis S. Auguſtini ſenſus? - - - 266. 370.
clericalia quotuplicis ſunt generis? 267. 371.
quae genuina beneficialium definitio, et in quos vſus impendenda? - 268.372.ſeq.
eorum adminiſtratio penes quem olim, et penes quem hodie? - - 269.374.ſeq.
an clerici ſint beneficialium domini? 271.376.ſeq.
an clerici de his teſtari poſſunt? 274. 380.
parſimonialia in quos vſus conuertenda? 278. 384.
quaſi parſimonialia quae, et quid de his ſentiendum? - - 279.385.ſeq.
quae ſub diſtributionibus quotidianis veniant, et in quos vſus impendenda? 280.386.ſeq.
ſuperflua in quos vſus conuertenda? 282. 389.
ex beneficialibus an clericus viuere poſſit, qui ex patrimonio congruam ſuſtentationem habet? - - 283. 390.
in quem vſum impendenda clerici decedentis ab inteſtato, ſi nemo conſanguineorum exiſtit? - - - 311. 424.
Breuiario in recitando quae forma, et ritus tenendus? vid. *horae canonicae.* 572. 680.

C.

Canonicus quis, quis non canonicus? 131. 186.
vnde canonicorum origo, et progreſſus repetendi? - - - 131.187.ſeq.
quid canonici eccleſiae collegiatae? 135. 192.
quodnam diſcrimen inter canonicos, et monachos? - - - 135. 193.

pag. §.
quando, et cur regularium canonicorum feruor deficere coepit? - - 136. 194. ſeq.
quo tempore ſeculares canonici exordium coeperunt? - - - 137. 196.
quod diſcrimen inter ſeculares, et regulares canonicos? - - 138. 197.
quid hodiedum in capitulis antiqui moris ſupereſt? - - - 139. 198.
cur quidam ex canonicis iure ſuffragii priuantur vi iuris communis? 146. 208.
an canonici omnes, qui in partem redituum veniunt, vbique inter membra capituli adnumerentur? - - 148. 211.
canonicorum regularium quodnam inſtitutum, et origo? - - 399. 537.
praemonſtratenſium quae origo? 400. 538.
Canonizationis proceſſus qualis antiquitus erat? - - - - - 602. 828.
quo tempore ſolennis initium repetendum, an ab Alexandro III.? 603. 829.
an pontifex, et eccleſia in ea ſit infallibilis? - - - - 604. 830. ſeq.
Capellae, ſeu oratoria domeſtica vnde ortum ducant, et quomodo inualuerint? 488. 651. ſeq.
palatinae vnde repetendae ſint, quae ad formam eccleſiarum exſtruebantur? 491. 657. ſeq.
vnde nomen et originem repetant? 493. 659. ſeq.
a quo multiplicatae fuerint? - 494. 661.
quid huius nomine vſu loquendi veniat? 499. 668.
quid monachorum? - - 499. 669.
quando hae inualuerint, et quomodo creuerint? - - - 500. 670. ſeq.
quae concilii claromontani compoſitionis ſumma? - - - 501. 672. in ſch.
Capellani quae habeant iura? - 495. 662. ſeq.
quis ſenſus ſummorum pontificum, et conciliorum de iis, et capellis regum? - - - - - 497. 664. ſeq.
an exemtiones iis datae hodiedum perdurent? - - - - 498. 666. ſeq.
Capitula an dignitates perpetuas, et irreuocabiles habeant? - - 135. 193.

vnde

[redacted]

INDEX

pag. §.
vnde ortum ducunt? quid ſenatus cleri dioeceſani, cur hic in ſolis ciuitatibus receptus, quaenam in hoc agebantur cauſae, diune durauit? - - 140. 199. ſeq.
cathedralia quo ſeculo, et cur inualuerunt? - - - - 141. 202. ſeq.
quae conſuetudo in Germania circa membra capitularia? - - 143. 204.
quid ſupereſt hodiedum in capitulis in Germania? - - - 143. 205.
quodnam diſcrimen inter capitulum et eccleſiam? - - - 144. 206.
quaenam capituli tam collegiati, quam cathedralis requiſita? - - 145. 207.
cur quidam ex canonicis iure ſuffragii priuantur vi iuris communis? 146. 208.
danturne ſtatuta capitulorum particularia, per quae quis iure ſuffragii non gaudet? - - - 147. 209.
cuius valoris ſuffragium epiſcopi, vt canonici, et vt epiſcopi? - 148. 210.
quo iure decani, et praepoſiti in capitulo ſedent? - - 148. 210.
an canonici omnes, qui in partem redituum veniunt, vbique inter membra capituli numerentur? - 148. 211.
eccleſiarum cathedralium capitula quibus iuribus gaudent ſede repleta, et quibus ea vacante, aut impedita? 149. 212.
quae ratio ſedis impeditae, et vacantis? - - - - 150. 214.
quotuplici modo ſedes vacare poteſt? 151. 215.
quid ſedes vacans ſecundum quid, et quid ex toto? - - - 151. 215.
ad quem deuoluebatur olim ius omne ſede vacante, et cur neglecto clero ſeculo IV. ad interceſſores, vel interuentores? - - - 152. 216. ſeq.
quis in Germania, et Gallia olim de adminiſtratione prouidebat, cur, et quando hic mos ceſſauit? - - 153. 218. ſeq.

quo

[redacted]

pag. §.
quo nomine reges reditus ſedis vacantis ſibi vindicabant? - - 153. 218.
quando omne ius circa ſacra exercere coeperunt, et quo iure? - 154. 221.
Capituli poteſtas an ſit mere iuris arbitrarii? 155. 222.
ſede vacante an tam quoad ſpiritualia, quam ſecularia vicaria ſit? - 156. 223. ſeq.
quae in ſpecie quoad ſacra? 157. 226.
Capitulum an iurisdictionis ordinariae poteſtatem proprio, vel alieno nomine exercet? - - - 159. 227.
an quoque eam, quae ex priuilegio, et iure ſpeciali epiſcopo conueniebat? 161. 228.
an quoad politica iuribus territorialibus gaudeat in Germania? - - 162. 232.
et quo reſpectu? - - 163. 231. ſeq.
quale habeat ius circa fructus ſede vacante? - - - 164. 233.
an in Germania voto, et ſeſſione in comitiis gaudeat? - - 165. 234.
quae in ſpecie iura habeat? - 166. 235.
in quantum ea iura reſtricta? 168. 239. ſeq.
an beneficia deuoluta conferre poſſit? 170. 241.
quid facere debeant ſede vacante? 173. 244. ſeq.
quid ſede plena facere poſſit? 176. 250. ſeq.
eius conſenſus legitimus quid requirat? 179. 254.
an omnium canonicorum etiam abſentium requiratur? - - 180. 256. ſeq.
et quomodo habere poſſit ad tractationem rerum? - - - 181. 258. ſeq.
a cuius voto dependent negotia tam epiſcopo, quam capitulo propria? 183. 260.
vota abſolute maiora in quibus caſibus ſint inſufficientia? - - 183. 261.
ſolius conſenſu quaenam cauſae definiri nequeunt? - - - 184. 262.
actorum integritas vt ſeruetur, quid requiritur? - - - 186. 264.
ius et poteſtas ad regimen epiſcoporum politicum in Germania quouſque ſe extendit? - - - 187. 265.

a gra-

[redacted]

INDEX

pag. §.

a grauamine vel totius, vel canonici tantum ad quem grauatus prouocare debet? - - - 188. 266.
an mutuum contrahere poſſit ſine conſenſu ſuperioris? - - 242. 328.
Cathedralium quid, cur et quando ſoluendum, et cur ſynodaticum dicitur, quis huius hodie vſus? - - 546. 738.
an omnes eccleſiae, et monaſteria ſoluant? - - - 547. 739.
Cenſus quid, et quae eius diuiſio? 544. 735.
ex quibus titulis perſolui debet? 545. 736.
quis antiquum, et quis nouum eccleſiis imponere poſſit? - - 546. 737.
quid antiquum imponere volens probare debet? - - - 546. 737.
Ciſtercienſium quaenam origo? . 398. 536.
Clericorum ſub nomine qui veniunt? 4. 2.
